BENZIGER BROTHERS
New York & Cincinnati, Ohio

BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. 9k 102
Pl. 1 8

PHILOSOPHIA
CHRISTIANA
CVM ANTIQVA ET NOVA
COMPARATA

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

AVCTORE

Caietano Sanseverino

Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonico

Opus denuo recensuit

Nuntius Can. Signoriello

Nec recuso . . . hominem nosse se, et perspicere debere quid sit, unde sit, quare sit; Min. Fel., Octav. n. XVI.

Acc B 69

VOLVMEN I

LOGICAE PARTEM PRIMAM COMPLECTENS

Praemittitur Introductio ad universam Philosophiam

NEAPOLI

APVD OFFICINAM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE SCRIPTORVM

via vulgo dicta san-Giov. Magg. Pignatelli—in aedibus Fibrenianis

MDCCCLXXVIII

Huius Operis ius proprietatis
in Legum tutela est

NEAPOLI — TYPIS FRATRVM MANFREDI
in via vulgo dicta Sannicandro n. 4

MONITVM EDITORVM

Institutionum

Quod in fronte Institutionum Philosophiae Christianae cum antiqua et nova comparatae *adnotare necessarium duximus, nunc tertiam Operis principis Canonici Caietani Sanseverino editionem ab altero Canonico Nuntio Signoriello recognitam ac repletam publicantes, repetendum censuimus.*

Doctrina nobilis et clarus Nuntius Signoriello perillustris philosophi Caietani Sanseverino, dum viveret, magis quam discipulus, perfecta fuit imago. Immo si iste merito tantam in re philosophica celebritatem consequutus est, ut philosophorum nostri aetatis temporis habeatur facile princeps, ille quoque scriptis suis cum practicae, *tum* speculativae *Philosophiae, sapientia et eruditione refertis, doctoris sui copiam scientiae et styli perspicuitatem exprimit ad unguem.*

Quem igitur Caietanus Sanseverino socium sibi adscivit in tot laboribus exantlandis ad Christianae Philosophiae

instaurationem, quod ipsemet in Introductione *huius Operis testatus est, hic eius incepta prosequutus, hisce voluminibus manus admovit, eaque in meliorem ordinem redegit, et quartum* Logicae *volumen condidit praecedentibus omnino aequale. Horum voluminum tertiam editionem nunc proponimus venalem, eiusdem Canonici Signoriello curis auctam, atque dispositam, plurimumque emendatam, ad commodum sanae Philosophiae amatorum.*

Neapoli festo die S. Thomae Aqvinatis

EMINENTISSIMO DOMINO

D.XYSTO S.R.E.PRESBYTERO CARDINALI

EX DVCIBVS RIARIO SFORTIA

ARCHIEPISCOPO ET PATRITIO NEAPOLITANO

ETC. ETC. ETC.

Te profecto non fallit, Eminentissime Princeps, me pluribus abhinc annis totum Philosophicis studiis deditum in eam denique sententiam venisse, philosophiam a primaeva in scholis puritate dilapsam, atque infinitis propemodum erroribus scatentem restitui non aliter posse, nisi ad eam, quae a ss. Ecclesiae Patribus tradita, atque a Scholarum Doctoribus excolta fuit, disciplinam revocetur. Quod quidem meum consilium, cum ex variis quae subinde in iuventutis commodum specimina edidi, gravissimis, deque re christiana meritissimis viris probatum noverim, eo tandem omnes animi mei cogitationes, curasque adieci, ut quae Ecclesiae Patres, et Scholarum Doctores in re philosophica docuerunt, in medium proferrem, eaque cum veteris, tum novae philosophiae figmentis longissimo intervallo praestare pro viribus ostenderem.

Iam vero huius Operis, in quo concinnando nimium quantum laboris ac industriae insumpsi, priora volumina in publicum proditura, sine patrono et vindice prodire non audent. Hic autem quisnam alius esse posset, nisi Tu, Eminentissime Princeps? Tu enim me aliis atque aliis studiis distentum ad philosophica studia revocasti iam inde ex eo tempore, quo florentissimae huius Archidioecesis gubernaculo manum admovens me in Tuo Archiepiscopali Lyceo ad Logicae, et Metaphysicae cathedram provexisti; Tu iuvenes ad meam hanc philosophandi rationem institutos donis, et beneficiis nullo non tempore cumulasti; Tu me meaque omnia singulari semper bene-

volentia complexus, postremo in amplissimum Tuae Metropolitanae Ecclesiae Capitulum (quo certe honorificentius facere nihil poteras) cooptasti.

Opus igitur Tuo quasi iussu susceptum, Tuisque auspiciis profligatum, priusquam ad calcem perducatur, Tibi, Princeps Eminentissime, sistitur, in Tuam sese fidem, et clientelam recipit, nec alio nomine, quam Tuo, ornari et muniri desiderat. Quisquis alius, qui Te in eiusmodi rebus compellet, videri possit officiose facere; at mihi aliter facere ne liberum quidem fuit. Quid si Tu, Eminentissime Princeps, qui magno ingenio praeditus optima vides, magna prudentia iubes, magna constantia tueris, factum probes, et iure factum concedas; ego novi beneficii loco accipiam, et quidem longe maximi. Cuius gratia ferventiores usque Deo Optimo Maximo adhibebo preces, quo Te praeclarissimum neapolitani nominis praesidium et columen, Ecclesiae Tuae, quae sui Pastoris desiderium numquam profecto iniquiori animo tulit, quam citissime, rebus compositis, restituat, et quam diutissime servet atque sospitet. Vale.

Datum Neapoli die octava S. Ianuarii principis Patroni civitatis et regni Neapolitani, anno MDCCCLXII.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

Humillimus, addictissimus, devotissimusque
CAIETANVS CANONICVS SANSEVERINO

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

CAIETANO SANSEVERINO

METROPOLITANAE ECCLESIAE NEAPOLITANAE CANONICO

Redditae sunt Nobis tuae litterae, ex quibus maxima voluptate accepimus, typis iam mandata esse quinque priora volumina Operis, cui te plures abhinc annos adlaborare compertum Nobis erat, et ex quo non mediocrem utilitatem Ecclesiasticis studiis redundaturam non solum bene speramus, sed etiam confidimus. Ecquid enimvero in tanta qua versamur rerum publicarum perturbatione, aptius, et consultius fieri posset, quam ut philosophia humanarum scientiarum facile princeps ad sanctissimam Ecclesiae Patrum, et Scholarum Doctorum disciplinam revocetur, qui non in divinis modo, sed et in humanis omnium sapientissimi extiterunt? Hinc est, quod lubentissimo prorsus animo huius tui Operis dedicationem excipimus, atque instaura-

tam per te philosophandi rationem etiam, atque etiam commendamus. Illud tamen praemonemus Nos opinionibus illis, de quibus Apostolica Sedes, omnium Ecclesiarum Mater, et Magistra, nullum adhuc iudicium emisit, nihil Auctoritate Nostra aut adiicere, aut detrahere in animo habere.

Tu vero, Illme ac Revme Canonice, perge, ut facis, tuis studiis rei catholicae bonum procurare, atque adolescentum in Ecclesiae spem succrescentium commodis inservire. Vale.

Datum Romae die 12 Octobris 1862.

XISTVS CARD. RIARIO SFORZA
ARCHIEPISCOPVS NEAPOLITANVS

INDEX

VOLVMINIS HVIVS

INTRODVCTIO AD PHILOSOPHIAM . . . . . PAG. 11

LOGICAE

PROLEGOMENA . . . . . » 163

PARS PRIMA

CAPVT PRIMVM. De praedicamentis et Praedicabilibus — *Prooemium* . . . . . » 211
ART. I. De Praedicabilibus in universum consideratis . » 219
ART. II. De genere, et specie. . . . . » 234
ART. III. De Differentia. . . . . » 254
ART. IV. De nexu trium priorum universalium disseritur. . . . . » 298
ART. V. Quomodo plures exitiales errores philosophiae ex sola doctrina universalium hactenus exposita refelli possint, demonstratur. . . . . » 314
ART. VI. De Proprio et Accidente . . . . . » 338
ART. VII. Nonnulla ad categoriarum intelligentiam necessaria exponuntur . . . . . » 366
ART. VIII. Principium, ex quo divisio categoriarum petenda est, investigatur . . . . . » 384

ART. IX. De elementis, ex quibus singulae categoriae constant, deque ipsarum numero, et distinctione . PAG. 418
ART. X. De categoria substantiae . . . . . » 439
ART. XI. De categoria quantitatis . . . . . » 488
ART. XII. De categoria relationis . . . . . » 541
ART. XIII. De categoria qualitatis. . . . . » 609
ART. XIV. Nonnullae voces ad maiorem categoriarum intelligentiam opportunae explicantur . . . . . » 651

INTRODVCTIO

AD

PHILOSOPHIAM

QVISQVIS animi sui latebras parumper scrutatur, non potest, quin mentem humanam ad verum cognoscendum naturaliter trahi advertat, lubenterque assentiatur, Aristoteli, qui praeclarissimum *Metaphysicae* suae opus exorsus est hoc pronunciato: « Omnes homines natura scire desi-« derant [1] ». Hanc propensionem animi humani ad cognitionem veri assequendam s. Thomas in laudatum locum Stagiritae ex tribus potissimis causis repetivit [2]. Prima causa in ipsa natura mentis humanae posita est. Nam mens humana non habet insitam sibi scientiam rerum, sed ita natura sua comparatur, ut ipsam assequi valeat. Iam, quoniam unaquaeque res ad se ipsam perficiendam spectat, necesse est, ut mens humana ad scientiam rerum, ex qua perficitur, adipiscendam naturaliter feratur. Altera causa in actionibus animae humanae invenitur. Quamlibet enim rem ad actiones naturae suae consentaneas exerendas naturalitar inclinare cuique cum se ipsum, tum res, quibus circumdatur, consideranti compertum est. Sed genus actionum intellectricium illud est, quod ad naturam hominis proprie pertinet. Homo igitur ad intelligentiam rerum assequendam natura sua pertrahitur. Cum vero in hac rerum intelligentia

[1]) Lib. I, c. 1, p. 3, ed. Bonitz, Bonnae 1848.

[2]) *In lib. I Met.*, lect. I. Cf s. August., *Op. imperf. cont. Iulian.*, lib. V, n. 1.

scientia consistat, hominem naturali sciendi desiderio teneri rursus patescit. Tertia denique causa in fine ultimo, ad quem Deus hominem destinavit, quique perfectam beatitudinem eius efficit, quaerenda est. Re vera, finis ultimus hominis, perinde ac reliquarum rerum, is certe est, ut homo ad principium, ex quo profectus est, scilicet Deum, redeat, cum eoque, quoad fieri potest, coniungatur [1]. Homo autem cum Deo nonnisi per intellectum coniungi potest, quippe quod, cum Deus sit Ens per se intelligibile, et praestantissimum, non alia facultate Eum assequi valet, quam quae et ad intelligendum destinatur, et ceteris praestantior est. Itaque homo ex eo etiam, quod fine ultimo sui potiri, beatitatemque consequi naturaliter vult, ad intellectum suum scientia rerum perficiendum natura fertur [2].

Quod si desiderium sciendi est homini naturale, facile intelligitur ipsum a Deo naturae humanae inditum esse, quia quidquid ad naturam cuiuslibet rei pertinet, nonnisi a Deo, qui ipsam condidit, repetendum est. Vnde idem Aquinas scribit: « Cuius (scientiae) mentibus ho-« minum naturalem Deus inseruit appetitum [3] ». Id persaepe, et diserte antiqui Scriptores Ecclesiae inculcarunt.

---

[1]) Apposite s. Augustinus: « Eum (Deum) consequimur non « cum hoc omnino efficimur, quod est Ipse, sed Ei proximi, « Eumque mirifico, et intelligibili modo contingentes »; *De moribus Eccl. Cath.*, lib. I, c. 11, n. 18.

[2]) Sanctus Doctor hoc, quod in ipso loco innuit, praeclare ostendit 1ª 2ae, q. III, aa. 4, 5, et 8. Ei praeiverat s. Augustinus, qui perbelle inquit: « Quid est aliud beate vivere, nisi aliquid « aeternum cognoscendo habere?... omnium enim praestantissi-« mum est, quod aeternum, et propterea id habere non possu-« mus, nisi ea re, qua praestantiores sumus, id est, mente: quid-« quid autem mente habetur, cognoscendo habetur »; Lib. *Qq. LXXXIII*, q. 35, n. 2. Alibi subdit: « Beatissimi autem sunt, « quibus hoc est Deum habere, quod nosse. Ipsa quippe notitia plenissima, verissima, felicissima est »; *Liber ad Dardanum*, seu *Epist.* CLXXXVII, c. 6, n. 21. Cf *De beata vita*, n. 35.

[3]) *Cont. Gent.*, lib. I, c. 4, n. 1. Cf *ibid.*, lib. III, c. 25, n. 9, et 2ª 2ae, q. CLXVI, a. 2 c.

Omnium instar sit Origenes, qui desiderium sciendi frustraneum esse non posse inde confecit: « ... sicut oculus, ait, naturaliter lucem requirit, et visum, et corpus « nostrum escas, et potum desiderat per naturam: ita mens « nostra sciendae veritatis Dei, et rerum causas noscendi « proprium ac naturale desiderium gerit. Accepimus autem a Deo istud desiderium, non ad hoc ut nec debeat nunquam, nec possit expleri, alioquin a conditore Deo menti nostrae frustra videbitur amor veritatis « insertus, si nunquam desiderii compos efficitur [1] ».

Cum mens humana ita natura sua comparata sit, evenire debuit, et re ipsa evenit, ut homines, et maxime ii, qui ceteris vi ingenii, et efficacia voluntatis praestarent, causas phaenomenorum, in quae incidebant, investigare conarentur. Inde paullatim diversae scientiae extitere; scientia enim, ut mox dicemus, est cognitio rerum per suas causas, indeque constituta est *Philosophia*, quae apud veteres complexum omnium scientiarum designabat. Hanc ob causam Plato, et Aristoteles philosophiam ab *admiratione* θαυμάζειν, profectam fuisse statuerunt. Ille sanxit admirationem esse propriam philosophi, et non aliam, nisi ipsam, esse initium philosophiae [2]; hic vero homines propter admirationem ad philosophandum animum applicuisse dixit [3]. Namque is, ut idem Aristoteles advertit, admiratur, qui, cum in aliquod phaenomenum incidit, eius causam ignorat [4]; unde, si ad hanc causam inquirendam accedit, profecto ab admiratione excitatur. Audiatur rursus s. Thomas: « Na-

---

[1]) *De principiis*, lib. II, c. 11, n. 4, ed. Carol. Delarue, Parisiis 1733. Cf s. Thom., q. CLXV, a. 2. c.

[2]) Μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν, οὗ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη; *Theaet.*, p. 155 A, ed. H. Stephanus, Parisiis 1578.

[3]) Διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν (*Met.* lib. I, c. 2, ed. Bonitz, Bonnae 1848). S. Thomas in h. l. (lect. III) ait: « Qui primi philosophati sunt, inceperunt « philosophari propter admirationem alicuius causae ».

[4]) Ὁ δ' ἀπορῶν καὶ θαυμάζων οἴεται ἀγνοεῖν; *ibid.*

« naturaliter inest omnibus hominibus desiderium cognoscendi causas eorum, quae videntur; unde propter « admirationem eorum, quae videbantur, quorum causae latebant, homines primo philosophari coeperunt; « invenientes autem causam, quiescebant[1] ».

Ast is omnino deciperetur, qui admirationem unicam causam philosophiae fuisse sibi persuaderet. Venia certe danda est Platoni, et Aristoteli, quippe qui veram originem rerum, et historiam primaevae generis humani conditionis ignorabant. Sed, postquam antiquissima historia mosaica creationis apud omnes gentes pervagata fuit, nemini dubitare licuit, quin homines, qui ab admiratione ad philosophandum excitati sunt, iam aliquam dogmatum philosophicorum suppellectilem possiderent. Enimvero ex illa Mosis historia [2], necnon ex aliis Sacrarum Litterarum libris [3], Deum, cum primum generis humani parentem creavit, exquisitam scientiam rerum in animo eius inseruisse luculenter edocemur. Quod ipsamet ratio nobis suadet. Nam, cum Adam totius humani generis parens, et doctor a Deo institutus sit, ea omnia scire debuit, quae homini tum ad vitam agendam, tum ad finem supernaturalem, ad quem assequendum destinatur, cognitu necessaria sunt; unde duplicem scientiam, scilicet naturalem, et supernaturalem, ei divinitus infusam fuisse pro certo habendum est [4]. Quanta

---

[1]) *Cont. Gent.*, lib. III, c. 25, n. 8.

[2]) *Genes.*, c. II, v. 19.—[3]) *Eccli.*, c. XVII, v. 6.

[4]) Praestat audire s. Thomam, qui hac in re, perinde ac in ceteris, ss. Patrum doctrinam religiose sectatus est: « Et ideo, sicut « primus homo institutus est in statu perfecto, quantum ad corpus, ut statim posset generare; ita etiam institutus est in statu « perfecto, quantum ad animam, ut statim posset alios instruere, « et gubernare. Non potest autem aliquis instruere, nisi habeat « scientiam. Et ideo primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui...Ad « gubernationem autem vitae propriae, et aliorum non solum requiritur cognitio eorum, quae naturaliter sciri possunt, sed « etiam cognitio eorum, quae naturalem cognitionem excedunt; « eo quod vita hominis ordinatur ad quemdam finem supernatu-

autem scientia Adae naturalis, quantaque supernaturalis fuerit, haud facile est definire, cum hac de re non solum inter Scriptores historiae philosophicae [1], sed etiam, ut constat, inter Theologos catholicos valde disputatum sit; sed nos hanc controversiam, quippe quae ad rem nostram non facit, lubenter omittimus.

Rerum humanarum, divinarumque scientia, quam Adam calluit, usque ad Noemum, qui universali Diluvio supervixit, et a quo genus humanum rursus propagatum fuit « propter recentem, ut s. Thomas advertit [2], memoriam creationis », incorrupta pervenit. Etenim Mathusalem, qui fuit postremus Patriarcharum ante diluvium defunctorum, ut ex historia mosaica constat, cum Adamo annis biscentum quadraginta tribus, et cum Noemo annis sexcentum vixit [3]. Veterum Scriptorum Ecclesiae quoque opinio fuit homines hac prima mundi aetate sub visibili Dei, Angelorumque eius tutela fuisse, cum illos saepe vocem Dei auscultasse, et consuetudinem cum Angelis habuisse ex eadem historia Mosis constet. Omnium instar sit Origenes. « Nam, « ait, si providentia mundum concludit, et Deus uni« versis rebus praeest, necesse est primos hominum pa« rentes a naturis praestantioribus custoditos fuisse, ita

---

« ralem; sicut nobis ad gubernationem vitae nostrae necessarium « est cognoscere, quae fidei sunt »; I, q. XCIV, a. 3 c. Cf *Qq. dispp., De Verit.*, q. XVIII, a. 4 c.

[1]) Longum, operosumque foret omnes Auctores recensere, qui de philosophia Adae disputarunt. Qui hos noscere velit, consulere potest Gundling, *Hist. phil. mor.*, c. 7, § 1, p. 591 sqq, Halis 1706; Fabricium, *Codex Pseudep. V. T.*, vol. I, p. 8 sqq, Hamburgi 1722; Buddeum, *Introd. ad hist. phil. Hebr.*, § 1, p. 1-6, Halae Sax. 1720, et *Hist. eccl. vet. et nov. Testam.*, period. I, sect. I, § 26, p. 135, Halae Magdeburg. 1744, necnon Bruckerum, *Hist. crit. phil.*, part. I, lib. I, c. 2, § 2-4, t. I, p. 52 56, Lipsiae 1767.

[2]) 2^a 2^{ae}, q. XCIV, a. 4 ad 2; cf 3, q. LXX, a. 2 ad 1.

[3]) Vid. AA. laudatos, et ex catholicis Lud. Thomassinum, *La méthode d' étudier, et d' enseigner chrétiennement, et solidement la philosophie*, lib. I, c. 2, p. 15-27, Paris 1693.

« ut ab initio intima esset divinae naturae cum illis « societas. . . Et divina Moysis scripta docent auditam « primis parentibus divinam vocem, audita oracula, « eisque nonnunquam apparuisse Angelos Dei, qui ad « se venirent. Atque etiam aequum erat homines initio « mundi magis adiuvari, usque eo dum, aucta solertia, « comparatis virtutibus, artibusque inventis, per se ipsi « possent vitam tueri, nec egerent cura, et moderatione « corum Dei ministrorum, qui ipsis eius voluntate con- « spicabiles se modo quodam incredibili praebebant [1] ».

Divinae huius educationis necessitatem non pauci primipili germanorum Rationalistarum vi veritatis coacti agnoverunt, et inculcarunt. Inter hos nominare lubet Herderum, et Fichteum, qui locum Origenis, a nobis modo laudatum, prae oculis habuisse videntur. Ille haec habet: « Si Deus voluit, ut homo intellectu, et corde uteretur, « utrumque ei largiri debuit: homo enim, statim ac in lu- « cem editus fuit, educatione, arte, et cultura indiguit. « Hoc pacto ipsa intima natura mentis humanae veritati « huic antiquae philosophiae historiae nostrae testimonium « reddit [2] ». Hic vero sanxit: « necesse prorsus fuisse, ut « primi homines ab aliquo ente intelligentia praedito, quod « homo non erat, erudiretur, usque eo dum ipsi sese « invicem erudire possent [3] ». Alii autem Rationalistae, iique quam plurimi fassi sunt primaevam conditionem generis humani nonnisi perfectam esse potuisse, idque ex cunctis vetustis traditionibus comprobari, cum hae, ut Cousinius ex illorum numero inquit [4], « in eo miri- « fice consentiant, quod homo e Dei manibus egrediens « ab Eo immediate accepit omnia lumina, omnesque ve-

---

[1]) *Cont. Celsum*, lib. IV, c. 79, et 80, *Opp.* ed. cit. Quam brevissime s. Augustinus: « Neque enim eis, antequam lex daretur « praedicator Deus, vel Angeli defuerunt »; *De Civ. Dei*, lib. X, c. 25.

[2]) *Idèes sur la philosophie de l' histoire de l' humanité*, trad. par Edgar Quinet, lib. X, c. 6, t. I, p. 276, Paris 1827, et 1828.

[3]) *Fundamenta iuris naturae* (germ.), Ienae 1796-1797.

[4]) *Introd. à l' histoire de la phil.*, leç. VII, p. 194, Bruxelles 1836.

« ritates, quas manca hominum scientia statim obscura-« vit [1] ».

Post diluvium tres filii Noe Sem, Cham, et Iaphet, cum in diversas partes terrae divertissent, et antiquissimorum Imperiorum fundamenta iecissent, populis, qui ab eis ortum duxere, scientiam antediluvianam procul dubio tradiderunt; nam, praeterquam quod illos a patre suo eruditos fuisse indubium est, iunior eorum centum circiter annos ante diluvium vixerat.

Verum, locuples illa cognitio rerum divinarum, et humanarum, ob immanem morum corruptionem, tractu temporis adeo depravata est, ut in idololatriam converteretur [2]. Nihilominus scientia divina, qua Deus Adamum erudiverat, et cum ea vera religio e terra omnino non exularunt. Namque Abrahamus e progenie Semi, cum quo quinquaginta annis vixit, vir fuit, sacris, profanisque Scriptoribus consentientibus, et morum sanctitate, et copia scientiae divinae, et humanae praeclarissimus [3]. Ab Abrahamo autem per Isaacum, Iacobum,

---

[1]) Cf ea, quae de hac re scripsimus in Op. *I principali Sistemi di Filos. sul Criterio* etc., c. 2, § 6, ed. 2, t. I, p. 213 sqq, et in Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. IX, p. 10, et 11, Napoli 1845, nec non Nunt. Signoriello, *Del progresso religioso del genere umano secondo le teoriche di Aug. Comte*, in citt. *Ephem.*, ibid., p. 93 sqq, et Chassay, *Lettres sur la chute primitive*, in Ephem. *L' Vniversitè catholique*, ser. 2e, vol. V, et VI, Paris 1848.

[2]) « Dicendum, s. Thomas ait, quod immediate post peccatum « primi parentis, propter doctrinam ipsius Adae, qui plene in-« structus fuerat de divinis, adhuc fides, et ratio naturalis... vi-« gebat in homine... Sed circa tempus Abrahae diminuta erat « fides, plurimis ad idololatriam declinantibus: obscurata etiam « erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiae »; 3, q. LXX, a. 2 ad 1. Vid. Calmet, *Commentt.*, t. V, *Dissert. De orig. idolol.*, Venetiis 1731, et Lefebve, *Ess. sur l' orig., la nat. et la chute de l' idolol.* inter *Commentt. Vnivers. Cathol. Lovan.*, t. IV, pp. 229 sqq.

[3]) Vid. Clem. Alex., *Strom.*, lib. V, c. 1, ed. Potter, Oxonii 1715; s. Ambrosium, lib. *De Abrahamo*, lib. I, c. 1 et 2, p. 281-86, t. I, part. I, Parisiis 1686; maxime Eusebium, *Praep. Evang.*, lib. IX, c. 16 et 17, ed. Vigerus, Coloniae 1688, et inter recentes

et Levi, qui usque ad Mosen Hebraeorum Legislatorem vixit, scientia Patriarcharum postdiluvianorum ad gentem hebraeam traducta est, et in hac cum per repetitas divinas revelationes, tum per nonnullorum virorum fide, et scientia praeclarorum studia aucta usque ad I. C. aetatem pervenit [1]. At, quamvis Patriarchas, et Sapientes populi iudaici non solum scientiam supernaturalem, sed etiam scientiam naturalem habuisse indubium sit; tamen eorum, quae scientiam naturalem eius constituerunt, quid ex revelatione divina acceperint, quidque ingenio suo invenerint, definire non potest.

Quin vetustissimae gentes, quae ex tribus filiis Noemi, natisque ab eis exortae, et propagatae sunt, insignes noaichae scientiae reliquias servaverint, dubitandum non est. Nam fieri non potuit, ut tradita ab illis sive supernaturalia, sive naturalia dogmata in oblivionem prorsus caderent, idque vel ex eo maxime, quod apud vetustas gentes, ut inter omnes constat, extitere collegia Pontificum, qui rerum ad religionem pertinentium curam gerebant, plebique erudiendae vacabant. Id, quod quisquis ex se facile coniicere valet, certa veteris historiae documenta comprobant: ex his enim edocemur apud antiquos Indos, Sinenses, AEgyptios, Persas, antiquos Graecos, Romanos, necnon apud Germaniae, et Scandinaviae populos vestigia primitivae revelationis circa Vnitatem Dei, et Trinitatem Divinarum Personarum, creationem mundi, et originariam generis humani iustitiam, eiusque lapsum repereri, illaque vestigia eo luculentiora esse, quo antiquiora sunt monumenta, quibus consignata sunt [2].

Petr. Lambecium, *Prodromus historiae litter.*, lib. I, c. 4, § 3, p. 43 sqq, ed. Fabric., Lipsiae 1710; Lud. Vivesium, In s. Aug. *De Civ. Dei, lib. XVIII, c. 2*, Parisiis 1636; Hornium, *Hist. phil.*, lib. II, c. 10, Lugduni Batav. 1655; Vossium, *De Philosophiae et Philosophorum sectis*, lib. II, c. 8, § 7, et 8, Hagae Com. 1658; Buddeum, *Introd. ad hist. phil. Hebr*, § VIII, ed. cit.

[1]) AA. ante laudatis, qui de philosophia Hebraeorum tractarunt, adiicere iuvat Thomassinum, *Op. cit.*, lib. I, c. 1-7, p. 28-87.

[2]) Praeter libros alibi (*I principali Sistemi* etc., c. 2, § 6, p. 227,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Nec omittendum est nonnullas harum Gentium, ut AEgyptios, Persas, et Graecos multa ex Hebraeis discere potuisse; id enim, ut praetereamus peregrinationes Pythagorae [1], Lao-Tseu [2], aliorumque sapientum apud Hebraeos, quippe quae valde incertae sunt, ex dispersione decem tribuum Israel, ex longa captivitate babylonica populi iudaici, et ex commigratione Iudaeorum in Asiam, in AEgyptum, et in Europam, quae sequentibus temporibus frequentissima fuit, omnino exploratum est [3]. Quocirca non pauca capita doctrinae, a Deo primum Adamo, aliisque Viris sanctissimis revelatae, vetustis Gentibus innotuisse pro certo habendum est propter reliquias primitivae revelationis, quae apud ipsas servatae sunt, et propter commercium, quod aliquae ipsarum cum Hebraeis habuerunt.

Sed, quamvis hoc certum sit, tamen ne revocari qui-

---

not. 1, ed. cit.) a nobis laudatos, qui alicuius harum Gentium traditiones enarrant, et explicant, consulere iuvat F. Schlegel, *Filosofia dell' istoria* etc., lez. V, pp. 84 sqq, 1ª vers. ital., Napoli, *Biblioteca Cattolica*, 1858; Rohrbacher, *Storia universale della Chiesa*, trad. ital., lib. II, vol. I, Torino 1859-1862; Windischmann, *Philosophia in progressu historiae* (germ.), t. I, Bonnae 1827; Riambourg, *Rationalisme, et Tradition., Oeuvr. phil.* t. III, p. 7-429, Paris 1837.

[1]) Cons. Franc. Buddeum, Diss. *de Peregrinationibus Pythagorae*, Ienae 1692, et in eius *Analect. hist. phil.* p. 442, Halae Saxon., 1706; Harles, *Introductio in hist. linguae graecae*, t. I, Altenburgi 1792; Schoell, *Istoria della lett. greca profana*, trad. ital., vol. II, part. 3, Venezia 1827; Macri, *Discussione istor. crit. sulla patria di Pittagora*, art. XV, Napoli 1831.

[2]) Vid. Abelem Rèmusat, *Mèlanges asiat.* t. I, art. *Lao-Tseu.*

[3]) « Scire vos velim, Theodoretus tenet, Phoenices proximos He-
« braeis, atque conterminos, si quid veritatis didicerunt, ab He-
« braeis praeceptoribus didicisse. Ipsi quoque AEgyptii, uberri-
« mos fructus ex Hebraeorum consuetudine perceperunt; diu-
« tissime enim Hebraei homines in AEgypto versati sunt. Quin
« et ipsi Chaldaei magnum sibi commodum ab eisdem sumpse-
« runt. Hebraeos enim Chaldaei Reges in Babiloniam captivos
« duxerunt »; Serm. I *De curandis Graec. affect.* in eius *Opp.*, ed. Schultz. et Nöesselt. t. IV, Halae Saxon. 1769-1774.

dem in dubium potest, quin, propter admirationem animo insitam, quam Plato, et Aristoteles principium philosophiae esse dixerunt, antiqui Sapientes Gentium multa excogitassent, et invenissent. « Antiqui philoso-« phi, s. Thomas ait, paulatim, et quasi pedetentim « intraverunt in cognitionem veritatis [1] ». Quod quidem et ex libris sacris harum nationum, qui extant, et ex Scriptorum graecorum, latinorumque testimoniis, et ex monumentis, quae in regionibus, quas incoluerunt, adhuc conspiciuntur, abunde colligere licet.

Duo genera cognitionis, quae diximus, apud Gentes inveniri s. Augustinus aperte docuit. « Duo, ipse scribit, « sunt genera doctrinarum, quae in moribus etiam ethni-« corum inveniuntur. Vnum earum rerum, quas institue-« runt homines, alterum earum, quas animadverterunt « iam peractas, aut divinitus institutas [2] ».

Verum, etsi in scientia vetustissimarum Gentium detegenda, explicandaque plurimi doctissimi viri desudassent; tamen quae, et quanta ipsa fuerit, cognoscere admodum difficile est. Nam, praeterquam quod multa monumenta nobis deficiunt, inter omnes constat illarum Sapientes, et maxime Pontifices, praeter scientiam ἐξοτηρικὴν, *externam*, quam cum vulgo communicabant, aliam, nempe ἐσοτερικὴν, *internam*, excoluisse, quam soli μυηθέντες μυστηρίων [3], sive, ut Seneca vertit, *sacrorum initiati* [4], ab eis excipiebant.

Hanc arcanam scientiam apud omnes Gentes viguisse, missis prophanis Scriptoribus [5], Clemens Alex. [6], Orige-

---

[1]) I, q. XLIV, a. 2 c.

[2]) *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 19, n. 29.

[3]) Vid. Clem. Alex., *Strom.*, lib. IV, c. 1, ed. cit.—[4]) *Epist.* XCV.

[5]) Vid. Warburton, *De Legatione divina Mosis* (angl.), Glocester 1738, et 1741; Sainte-Croix, *Recherches hist. et crit. sur les mystères du paganisme*, 2° ed. revue et corrig. par Sylvestre de Sacy, part. I, sect. V, art. 5, t. I, p. 396 sqq, et passim, Paris 1817; Ioan. Gasp. D'Ansse de Villoison, *De triplici theologia, mysteriisque veterum*, ad calc. *Op. cit.* Bar. de Sainte-Croix, t. II, ed. cit. — [6]) *Strom.*, lib. V, c. 4, p. 658, ed. cit.

nes [1], Eusebius [2], Theodoretus [3], Lactantius [4], et ne de cunctis dicamus, in primis, et saepe s. Augustinus [5] testes sunt locupletissimi. Horum aliquos audiamus. Clemens Alex. inquit: « Omnes ergo, ut semel dicam, qui « de rebus divinis tractarunt, tam barbari, quam Graeci, rerum quidem principia occultaverunt; veritatem « autem aenigmatibus, signisque ac symbolis, et allegoriis rursus et metaphoris, et quibusdam talibus tropis, modisque tradiderunt [6] ». Explicatius, et disertius eius discipulus Origenes: « Quod idem mihi esse videtur, ac si quis in AEgypto peregrinatus, ubi sapientes patriis litteris eruditi multa philosophantur de iis, « quae apud ipsos sacra putantur, vulgus autem, quibusdam fabulis auditis, quarum intellectum minime « capit, vehementer gloriatur, iudicaret sibi explorata « esse omnia AEgyptiorum mysteria, quamvis huius regionis imperitos dumtaxat audiisset, nec arcana mysteriorum ex ullo sacerdotum percontatus fuisset. Quae « vero dixi de sapientibus, et de ignaris AEgyptiis, eadem dicere licet de Persis, apud quos et mysteria « sunt, quae curantur a peritis viris, qui interiorem eorum rationem perspectam habent: dum plebs imperita, quae praeter rerum superficiem nihil videt, externa tantum signa consectatur. Idem etiam dicendum « de Syris, de Indis, et de omnibus, apud quos fabulae, et litterae reconditiores habentur [7] ». S. Augustinus vero, ceteris omissis, id praesertim ex Varronis sententia, saepe asseruit. Varro enim, ut apud eum le-

---

[1]) *Cont. Celsum*, lib. I, c. 12, *Opp.* t. I, p. 330, ed. cit.

[2]) *Praep. evang.*, lib. III, c. 1, et alibi, ed. cit.

[3]) *Therapeutica*, Serm. I, p. 482, t. IV, Parisiis, studio ac cura Sirmondi et Garnerii, 1642-1684.

[4]) *Div. Inst.*, lib. II, c. 3, p. 148, ed. Gallaeus, Lugd. Batav. 1660.

[5]) *De Civ. Dei*, lib. IV, c. 31, et 32, lib. VI, c. 5, lib. VII, c. 5, lib. IX, c. 7.

[6]) Cf loca, quae mox citabimus.

[7]) *Op. cit.*, ibid.

gitur, dixit « de religione loquens multa esse vera, quae « non modo vulgo scire non sit utile, sed etiam, ta- « metsi falsa sunt, aliter existimare populum expediat, « et ideo Graecos teletas, ac mysteria taciturnitate, pa- « rietibusque clausisse [1] »; atque inferius: « Quod uti- « que non aliam ob causam factum videtur, nisi quia « hominum velut prudentium, et sapientium negotium « fuit populum in religionibus fallere, et in eo ipso « non solum colere, sed imitari etiam daemones, qui- « bus maxima est fallendi cupiditas [2] ». Praeterea, il- lud quoque de Gentibus monendum est, quod circa scientiam naturalem Patriarcharum, et Sapientum populi hebraei observavimus, scilicet nos non posse adamussim decernere, quid illorum, quae Sapientes vetustarum gen- tium noverunt, et tradiderunt, primitivae, vel mosaicae revelationi, quidque eorum meditationi, et observationi tribuendum sit.

Quae hactenus quam brevissime exposuimus, conside- ranti manifestum efficitur, 1° doctrinam divinitus acce- ptam apud cunctas vetustas nationes extitisse, eamque integram, et incolumem apud Patriarchas, et populum sacrum hebraeorum, qui ab eis originem repetebat, foe- de autem corruptam penes profanas nationes, eoque foe- dius, quo magis ab ortu sui recedebant; 2° quamdam scientiae humanae suppellectilem cum Hebraeos, tum

---

[1]) *De Civit. Dei*, lib. IV, c. 31, n. 1. *Teletae*, quarum mentionem s. Augustinus hoc in loco fecit, dictae sunt a voce τέλος, *finis*, seu *perfectio*, quia τελεταὶ erant *ultimae* coeremoniae, adeoque eius- modi, ut per illas initiati mysteriis *perfecti* evaderent; unde ini- tiati etiam τελούμενοι vocabantur (Cf opus cit. Bar. de Sainte- Croix, *Eclaircissemens*, t. II, p. 202-204, ed. cit.). Iuvat senten- tiam Chrysippi afferre, quam *Ethymologicon magnum* affert (voc. τελετὴ, p. 751, Heidelbergae 1594): « Chrysippus autem sermones « de divinis rebus merito τελετὰς vocari affirmat; hos enim om- « nium ultimos, τελευταίους, in fine tradendos esse, cum iam ani- « mus confirmatus veluti stabili innitatur fundamento, et iis, qui « initiati non sunt, πρὸς τοὺς ἀμυήτους, eos reticere, et celare « valeat ». — [2]) *Ibid.*, c. 33.

Gentiles meditatione, et observatione sibi comparasse, quae in aliis magis, in aliis minus dives fuit.

Quae cum ita se habeant, nemo inficiari potest, antequam Graeci ad philosophandum data opera accederent, non parvam cognitionis suppellectilem apud exteras gentes, et in ipsa Graecia extitisse, sive ipsam hominum ingenio partam, sive divinitus acceptam esse existimetur. Haec cognitionis suppellex βάρβαρος φιλοσοφία, *philosophia barbara* [1], seu *barbarica* ab antiquis nuncupata fuit, quia Graeci, quemadmodum deinceps Romani, *Barbaros* [2] vocabant, quotquot valde extranea, et pere-

[1]) De philosophia barbarica, praeter multos nuperos, qui de religionibus veterum populorum scripsere, legi possunt Otto Heurnius, *Antiquitatum philosophiae barbaricae libri duo*, Lugduni Batavorum 1600; Christianus Kortoltus, *De origine, progressu et antiquitate philosophiae barbaricae, chaldaicae, persicae, aegyptiacae* etc., Ienae 1690, et Bruckerus, *Op. cit.*, Period. I, pars I, t. I, p. 46-364.

[2]) Hanc vocem Graecos ex aliena lingua accepisse inter eruditos convenit. Ast, undenam originem habeat, lis inter ipsos est, si quidem alii a chaldaea, alii ab arabica, alii ab alia lingua illam derivant. Radicem eius vero sunt qui *desertum*, sunt et qui *murmur* significare opinantur. Nos, quippe qui in hisce studiis ieiuni sumus, illud dumtaxat cum Bruckero adnotamus, « ad a-« speritatem soni, et horridam quamdam oris elocutionem vocem « ab Ægyptiis, teste Herodoto (lib. II), acceptam, Graecos retu-« lisse, et dedecoris causa barbaros appellavisse, qui difficulter, « aspere, et duriter loquerentur, cum Graecis ore rotundo musa « loqui dederit. Quae vocis significatio tandem omnes illos de-« notavit, qui ignotam, auribusque insuetam linguam loquebantur: sic ut barbarus esset, quisque Graeca lingua non utere-« tur » (*Op. cit.*, ibid., § 1, p. 46, et 47). Bruckero addere lubet Lennepum: « Βάρβαρος, hic ait, sine dubio a sono facta vox est, « qualis edi videbatur Graecis ab iis, quorum linguam non in-« telligebant. Dicti autem antiquis temporibus ii omnes βαρβαροί, « qui lingua Graeca non loquebantur. Postea autem varie trans-« latum non tantum ratione sermonis, sed etiam morum rudi-« tatis, et saevitiae fuit positum » (*Observ. et orig. ling. graec.*, apud Scapulam p. 906, Londini 1820). Cum haec sit vis huius vocis, sane haud mireris Scriptores christianos *barbaram* appellasse philosophiam Hebraeorum. « Barbara itaque, Clemens Alex. scri-« bit, quam nos sectamur, philosophia vera est, et vere perfecta »; *Strom.* lib. II, c. 2, ed. cit.

grina lingua utebantur. At, cave, ne istam, quam diximus, veterum Patriarcharum, Hebraeorum, et generatim Orientalium Gentium philosophiam ex notione scientiae philosophicae, quae deinde apud Graecos exorta est, atque ab eis profecta ad hanc usque aetatem viguit, dimetiaris. Nam Dei, rerumque ab Eo creatarum notitiae, quae exortui philosophiae graecae praecesserunt, non ita inter se connexae, evolutae, digestaeque inveniuntur, ut ullum cognitionum systema, sive scientiam efficiant [1]. Vt id, ceteraque, quae in hac *Introductione* dicturi erimus, intelligi queant, quid nomine philosophiae a politioribus Graecis, atque ab aliis post eos antiquis Scriptoribus significatum sit, breviter exponamus oportet.

Principio, notandum est Pythagoram omnium graecorum primum fuisse, qui nomen *philosophiae* adhiberet; nam quae, ipso auctore, philosophia, nempe *amor*, sive *studium sapientiae* [2], vocari coepit, ante σοφία, sive, ut latini hanc vocem verterunt, *sapientia* dicebatur, et quisquis illam profitebatur, σοφοῦ, *sapientis* nomen habebat. « A quibus (*septem Sapientibus*) ducti deinceps omnes, « Tullius inquit, qui in rerum contemplatione studia

---

[1]) Initium philosophiae stricte sumtae a Graecis, non vero ab Indis ducimus, quippe quod, ut in hoc opere saepe adnotabimus, systemata philosophica Indiae, quae ab Alexandro Iones, aliisque nuperis litterarum indarum studiosis detecta, et exposita sunt, posteriora esse graeca philosophia cum Rittero arbitramur. Vid. Ritter, *Histoire de la phil. ancien.*, trad. par Tissot, lib. II, c. 2, vol. I, p. 53 sqq, Paris 1835.

[2]) Philosophia a duabus vocibus graecis φίλος, et σοφία ducta est, quae *amorem*, seu *studium sapientiae* significant. « Quid est, « s. Augustinus quaerit, philosophia ? amor sapientiae » (*Contr. Acad.*, lib. II, c. 2, n. 6); atque alibi: « Quorum (*Philosophorum*) « ipsum nomen, si latine interpretemur, amorem sapientiae pro« fitetur » (*De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 1). « Quisquis, s. Bonaven« tura ait, omnem philosophiam fugiendam putat, nihil nos vult « aliud, quam non amare sapientiam » (*Pharetrae*, lib. VI, c. 33). Hinc philosophi a Platone (*De republ.*, lib. II, p. 375, et 376, ed. H. S.) φιλομαθεῖς quoque vocantur. De usu harum vocum apud Platonem vid. Van Heusde, *Op. cit.*, Prooem. p. 28-30, ed. cit.

« ponebant , sapientes et habebantur , et nominaban-
« tur , idque eorum nomen usque ad Pythagorae ma-
« navit aetatem : quem . . . . Phliuntem ferunt venisse,
« eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte, et
« copiose disseruisse quaedam , cuius ingenium , et e
« loquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex
« eo, qua maxime arte confideret , at illum artem qui-
« dem se scire nullam , sed esse philosophum [1] ». Py-
thagorae modestiam Plato [2], post Socratem [3] praeceptorem
suum , aliique deinceps Philosophi probarunt ; ex quo
factum est , ut omnes, qui studio rerum divinarum, et
humanarum vacarent, philosophiam , nempe amorem sa-
pientiae a sapientia distinguerent , seque non σοφούς, sa-
pientes , sed φυλοσοφοὺς , vel φυλομαθεῖς , hoc est , *amantes*
sapientiae, vel *cupidos discendi* appellarent [4]. « Qui (*Py-*
« *thagoras*) , ita s. Augustinus , cum ausus non fuisset
« sapientem prōfiteri , philosophum potius , idest ama-
« torem sapientiae se esse respondit , a quo id nomen
« exortum ita deinceps posteris placuit , ut quantalibet
« de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque
« vel sibi , vel aliis videretur excellere nonnisi philoso-
« phus vocaretur [5] ».

Iamvero, σοφία , seu *sapientia*, cuius professio , auctore Pythagora, nomen philosophiae accepit, cum a graecis, tum a latinis , uti ex Tullio discimus , definita fuit : « scientia rerum divinarum , et humanarum , causarum-
« que, quibus hae res continentur [6] ». Stoici, quamvis

---

[1]) *Tuscul. Dispp.*, lib. V, c. 3, *Opp. phil.* ed. Ernesti, Rotterodami 1804. Cf Clem. Alex., *Strom.* lib. I, c. 14, et lib. IV, c. 3; s. Augustin., *De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 2, et s. Thom., 2^a 2^{ae}, q. CLXXXVI, a. 2 ad 1.

[2]) *De republ.*, lib. II, p. 375, ed. H. S. Cf Wyttembach *ad Phaedon.*, p. 217. — [3]) Apud Plat., *Sympos.*, p. 203, ed. H. S.

[4]) Cf Van Heusde, *Op. cit.*, Prooem. p. 29.

[5]) *De Trinit.*, lib. XIV, c. 1, n. 2.

[6]) *De Offic.*, lib. II, c. 2. Haec definitio, ut inferius dicemus, ad verbum legitur apud Clement. Alex., *Strom.*, lib. I, c. 5, p. 333, et Origenem, *Cont. Celsum*, lib. III, c. 72, p. 494, ed. cit.

omnem φιλόσοφον, philosophum esse σοφόν contenderent, tamen definitionem philosophiae a Pythagora, et Socrate traditam retinuerunt. Nisi quod ab eis illa verba *causarumque, quibus eae res continentur*, sive, ut Graeci aiebant, καὶ τῶν τούτων αἰτίων, omissa fuere, idque fortasse ob hanc causam, quod, quum scientia sit cognitio rerum per causas, illa verba voce *scientiae* continentur. Re vera ipsi, teste Plutarcho, decernebant philosophiam esse θείων καὶ ἀνθρωπίνων ἐπιστήμην, nempe scientiam rerum divinarum, et humanarum [1]. Ex quo intelligitur veteres *sophiae*, vel *philosophiae* ambitu coegisse, quidquid ab homine sciri potest, ideoque unica illa voce omnes speciales scientias designasse, quae a recentibus maximo studio enumerantur, et discernuntur. Audiamus Senecam, cuius sententia, sapientia « totius naturae notitiam « ac suae, tradit. Quid sint Dei, qualesque, declarat : « quid inferi, quid lares et genii ; quid in secundam « numinum formam animae perpetitae (*perpetuatae*) ; « ubi consistant, quid agant, quid possint, quid velint. « Haec eius initiamenta sunt, per quae non municipale « sacrum, sed ingens Deorum omnium templum, mun« dus ipse, reseratur . . . Ad initia deinde rerum redit, « aeternamque rationem toti inditam, et vim omnium se« minum singula proprie figurantem. Tum de animo coe« pit inquirere, unde esset, ubi, quamdiu, in quot mem« bra divisus. Deinde a corporibus se ad incorporalia « transtulit, veritatemque, et argumenta eius excussit ; « post haec, quemadmodum discernerentur vitae, et vocis

---

[1]) *De placitis philosophorum*, lib. I, Prooem., t. IV, part. II, p. 517, Oxonii 1793. Falsus est Seneca, cum ait: « Quidam ita: Sa« pientia est nosse divina et humana, et horum causas. Super« vacanea mihi videtur haec adiectio, quia *causae* divinorum, hu« manorumque partes sunt » (Epist. LXXXIX, *Opp.*, ex recens. Ruhkopf, t. IV, p. 7, Aug. Taurin. 1829). Et sane, cognitio causarum, prout hae sunt quaedam res, ut suo loco dicemus, scientiam non constituit. Definitio, quam Seneca suggillat, est Ciceronis *De Offic.*, et *Tuscul. dispp.*, II. citt.

« ambigua: in utraque enim falsa veris immixta sunt [1] ».

Postquam notionem philosophiae, a graecis, latinisque traditam [2], novimus, licet nobis gravissimam controversiam de origine graecae philosophiae aggredi, quae in primis Christianae Ecclesiae temporibus exorta, et excussa rursus in hac aetate inter Philosophos, et Religionis Catholicae Apologetas exarsit.

Atque, ut ab incunabulis Ecclesiae ordiamur, Iudaei, antesignano Aristobulo [3], Graecos, in primisque Pytha-

---

[1]) *Epist.* XC, *Opp.* vol. cit., p. 31, et 32.

[2]) Non paucae aliae definitiones philosophiae apud veteres inveniuntur, quas s. Ioan. Damascenus (*Dialect.*, c. III, ed. Lequien, Parisiis 1712), Psellus (*Epitome logicae*, August. Vindel. 1597, et *Compend. in quinque voces*, Parisiis 1541), et Pachymeres (*Paraphr. in Arist.*, Oxonii 1666) enumerarunt; sed nos illas omisimus, quia aliae illarum philosophiam ab aliqua eius proprietate, vel a fine eius spectant, aliae naturam eius non adamussim significant. Certe, Pythagoras, et Plato notionem philosophiae tradere haud voluere, cum illam μελέτην θανάτου, *meditationem mortis*, vel τὴν ὁμοίωσιν τῷ θεῷ, *assimilationem Deo*, vocarunt (vid. s. Hier., *Advers. Ruffinum*, *Opp.*, t. II, ed. Vallarsius, Veronae 1766); sed primis verbis, quomodo ipsa animum comparet, et posterioribus, ad quid assequendum eum ducat, significarunt. Manca autem est definitio, quam ex mente eorundem Philosophorum sanctus Damascenus, Psellus, et Pachymeres referunt, scilicet, γνῶσις τῶν ὄντων, ἢ ὄντα ἐστίν, vel, ut apud Clement. Alex. legitur (*Strom.*, lib. I, c. 28), δύναμις θεία τῶν ὄντων ὡς ὄντων γνωστική; si quidem ipsa, uti ex dicendis patebit, non significat universam philosophiam, sed illam, quam Aristotelici philosophiam primam, seu *metaphysicam*, et recentes *ontologiam* appellarunt. Falsa vero est alia definitio, quae ab eisdem Psello, et Pachymere recensetur, γνῶσις καθολικὴ, καὶ μετὰ αἰτίας, *cognitio universalis, et per causam*; haec enim verba non obiectum philosophiae, sed notionem cognitionis scientificae, seu scientiae exhibent. Has, aliasque philosophiae definitiones nulli examini subiectas videre licet apud Theoph. Galeum, *Op. cit.*, *Phil. gener.* part. 1, lib. I, p. 1-6, ed. cit.; Ioan. Gherard. Vossium, *De artium, et scientiarum natura, et constitutione*, lib. V, seu *De Philosophia*, c. 2, § 5, *Opp.* t. III, p. 230, Amstelodami 1696, et Lud. Thomassinum, *La mèthode d'ètudier* etc., lib. I, c. 1, p. 3-15, ed. cit.

[3]) Vid. fragmentum Aristobuli apud Clementem Alex., *Strom.*, lib. I, c. 22, et Eusebium, *Praep. Evang.*, lib. VIII, c. 6, et lib.

goram, et Platonem universam suam philosophiam e Sacris Scripturis surripuisse asserebant. Numenius eo usque progressus est, ut aperte hoc scriberet: « Qui enim « est Plato, nisi Moses attice loquens ? [1] » Contra ea, Graeci, uti ex iis, quae Clemens Alex., aliique veteres Apologetae adversus illos disputarunt, colligitur, mordicus contendebant nec Pythagoram, nec Platonem, nec ullum alium suae gentis philosophum quidquam a Iudaeis, ceterisque Barbaris didicisse, ita ut philosophia graeca αὐτόχθονος, nempe cum ipsa terra, σὺν αὐτῇ τῇ χονί, Graeciae nata, habenda esset [2]. At veteres Apologetae religionis christianae, et cum eis s. Augustinus, aliique posterioris aetatis Scriptores mediam viam ingressi pro re certa, exploratoque habuere, Philosophos graecos doctrinas cum Hebraeorum, tum Gentilium, quos Barbaros vocabant, novisse, sed non negarunt illos, antequam doctrinas Barbarorum vel traditas, vel libris consignatas explorarent, non paucas veritates ex naturali lumine rationis perspexisse, ipsasque doctrinas, quas a Barbaris exceperant, ad examen revocasse, ut quae sibi retinendae, quaeve reiiciendae essent, decernerent. Plerisque eorum vero Pythagoram, Platonem, et fortasse alios Graecos Philosophos libros Mosis, et

---

XIII, c. 12. Legendus est Lud. Gasp. Valkenaer, Diatribe *De Aristobulo iudaeo, philosopho peripatetico*, Lugduni Batav. 1806.

[1]) Τί γαρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων, apud Clement. Alex., *Op.* cit. ibid. Cf Suidas, *Lexic.* voc. Νουμήνιος.

[2]) Satis est audire Tatianum, et Clementem Alex. Tatianus Graecos sic alloquitur: « Ne infensum omnino in barbaros animum, « o Graeci, gerite, nec eorum invidete placitis. Quod enim apud « vos institutum non a barbaris originem accepit ? . . . Quapro- « pter desinite inventa dicere, quae imitatione expressa sunt... « Deponite igitur hunc fastum, nec verborum elegantiam osten- « tate; qui, dum vosmetipsos laudatis, domesticos adhibetis pa- « tronos » (*Advers. Graec.*, c. 1). Hic autem illos reprehendit, qui dicebant « per hominum intelligentiam fuisse inventam a Grae- « cis philosophiam »; *Strom.*, lib. VI, c. 8.

reliquorum divinorum Scriptorum legisse [1], vel saltem doctrinam ipsis contentam a Sapientibus Hebraeorum didicisse [2] persuasum fuit. Doctores mediae aetatis huic ss. Patrum opinioni adhaesisse quisquis ex se facile coniicere potest; si quidem illos, cum maxima parte Scriptorum veterum profanorum carerent, in iis, quae ad eruditionem pertinent, fere solos Patres duces secutos fuisse inter omnes constat. Instar omnium s. Thomas esse potest, qui Platonem multos Philosophos in suis peregrinationibus adiisse [3], et libros V. T., in primisque Genesim [4] legisse scripsit [5].

In recenti autem aetate, si paucos Progressistas atheos, vel theistas exceperis, qui genus humanum e vita sylvestri lento, sed continenti nisu egrediens in Graecia tandem ad statum civilem, excultumque pervenisse autumarunt, Graecos prima, licet rudia, philosophiae elementa a Barbaris excepisse inter omnes eruditos convenit. Illud dumtaxat ab his acerrime disputatum fuit, num Pythagoras, et Plato, an saltem solus Plato, divinas Hebraeorum doctrinas noverint, ab eisque non pauca in suam philosophiam transtulerint. Asseruerunt Paganinus Gau-

---

[1]) S. Iust., *Cohort. ad Gent.*, c. 15; Tatian., *Adv. Graecos*, passim; Orig., *Cont. Celsum*, lib. I, c. 15; Clem. Alex. ll. cit., et in aliis multis; Tertull., *Apolog.* c. 47, et *De Anim.*, c. 2, ed. Rigaltius, Venetiis 1744; Euseb. *Praep. evang.*, lib. X, c. 4, et alibi; s. Cyrillum, *Cont. Iul.*, lib. I, ed. Spanheim, Lipsiae 1696; Theod. *De Graecor. affectionibus*, *Serm.* I, et II, *Epist.* lib. I, epist. XX, et *in Psal. CVIII.*

[2]) S. Augustinus retractans id, quod ante scripserat (*Conf.*, lib. VII, c. 20), eorum opinionem reiecit, qui Platonem in sua ad Aegyptios peregrinatione Scripturas propheticas legisse asserebant; sed subdit: « nisi forte, quia fuit acerrimi studii, sicut Aegyptias, « ita et istas per interpretem didicit, non ut scribendo, transferret « (ut Ptolomaeus per LXX), sed ut colloquendo quid continerent, « quantum capere posset, addisceret »; *De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 11.

[3]) *In lib. I Met.*, lect. X.

[4]) *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. I, a. 4 ad 1.

[5]) *Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. IV, a. 2 ad 2.

dentius [1], Huetius [2], Dacierius [3], Thomassinius [4], Massuetus [5], Galeus [6], Baltus [7], Lamius [8], et alii, maxime inter catholicos; negarunt vero Clericus [9], Menagius [10], Buddeus [11], Lenfantius [12], et plurimi e numero Protestantium, quibus Bruckerus utrumque, ut aiunt, pollicem pressit [13]. Verum, controversia eodem modo, ac in primis Christianae Ecclesiae saeculis, licet ob diversum finem, hac nostra aetate inter Rationalistas, et Traditionalistas exsuscitata est, et etiamnum ventilatur; namque illi philosophiam graecam esse prorsus *autochtonam*, sive indigenam, hi vero totam, quanta est, ex revelatione tum primitiva, cuius reliquiae apud ethnicos populos numquam defuere, tum mosaica derivatam contendunt. Re vera, Rationalistae, cum, reiecta omni revelatione supernaturali, et exteriori, rationem humanam ipsam sibi ad cunctarum veritatum cognitionem sufficere autument, in eo toti sunt, ut Graecos ve-

---

[1]) *De veterum Ecclesiae Patrum philosophicis pronuntiatis*, c. 4-6, p. 145 sqq, Pisis 1644.

[2]) *Demonstr. evang.*, Prop. IV, c. 2, § 13, p. 46, Parisiis 1679.

[3]) *Vie de Platon, Oeuvr. de Plat.*, t. I, p. 68, Paris 1699.

[4]) *Op. cit.*, lib. I, c. 15, § 13, p. 173, ed. cit.

[5]) *Dissert. I in Irenaeum*, vol. I, Parisiis 1710.

[6]) *Op. cit.*, lib. II, c. 3, § 1, p. 169 sqq, et lib. III, § 1-4, p. 191 sqq, ed. cit.

[7]) *Defense des ss. Pères accusés de platonisme*, lib. IV, c. 22, p. 607 sqq, Paris 1711.

[8]) *De recta Christianorum in eo quod mysterium Trinitatis attinet sententia*, Florentiae 1733.

[9]) *Epist. crit.*, Epist. VII, *Ars crit.* vol. III, p. 177 sqq, Amstelodami 1730.

[10]) *Ad Laert. lib. III*, segm. 6, p. 140, Amstelodami 1692.

[11]) *Compend. hist. phil.*, c. III, § 36, p. 92, et 93; c. IV, § 16, p. 143, et 144, necnon *Hist. eccl. Vet. Test.*, period. II, sect. 6, § 13, p. 1066, ed. cit.

[12]) *Dissert. de quaest. an Pythagoras, atque Plato notitiam librorum Mosis et prophetarum habuerint?* Extat in *Biblioth. germ.*, t. II, art. V, p. 124 sqq.

[13]) *Op. cit.* Period. I, part. 17, lib. II, c. 6, § 6, p. 635 sqq, et c. 10, § 6, p. 1003.

tustas traditiones neglexisse, et ex unis ingenii sui viribus philosophatos fuisse evincant. Hinc ea, quae de peregrinationibus Pythagorae, Platonis, aliorumque Philosophorum Graecorum apud Orientales populos, et praesertim apud Hebraeos feruntur, fabulosa et commentitia ostendere conantur [1]. E contrario, Traditionalistae, cum persuasum habeant rationem humanam non posse ex vi sua ullas veritates detegere, quae ad religionem, et mores, puta ad Deum, eiusque attributa, creationem, aliaque id genus pertinent, demonstrare studuerunt Philosophos Graecos, quidquid boni rectique de religione, et moribus docuerunt, id totum ex traditionibus penes Orientales populos religiose servatis, vel ex Libris mosaicis habuisse, eaque de causa in praecipuis philosophiae graecae dogmatibus cum his comparandis plurimum laboris, diligentiaeque impenderunt [2]. Missis pronuntiatis de vi, et usu rationis, quae loco suo excutienda nobis erunt, illud hic adnotandum est de origine graecae philosophiae Rationalistas opinionem Philo-

---

[1]) Videsis, ut de paucis dicamus, Hegel (*Lectiones histor. philos.* (germ.), *Opp.* t. XIII, p. 40 sqq; *Lectiones philosophiae historiae* (germ.), vol. IX, p. 11-13; *Principia phil. iuris* (germ.), vol. VIII, p. 342 etc., Berol. 1832-1845); Cousin (*Fragmens phil.*, t. I, p. 36, 37 et passim, Paris 1838, et, omissis aliis locis, *Prèf.* au *Manuel de l'histoire de la phil. de Tennemann*, Paris 1839); Franck (*Diction. des scienc. phil.*, art. *Phil. des Grecs*, t. II, p. 589-593, Paris 1845). Inter scriptores historiae philosophicae Ritter id data opera propugnavit (*Op. cit.*, lib. II, c. 3, t. II, p. 120 sqq), nec aliter sensisse videntur Christoph. Meiners, *Histoire de l'origine, des progrès, et de la décadence des sciences dans la Grèce*, trad. par Laveaux, lib. I, t. I, p. 3 sqq. Paris an. VII; Degerando, *Hist. comp. des systémes de phil.* part. I, c. 3, vol. I, p. 198 sqq, ed. 2, Paris 1822, et Buhle, *Hist. de la philos. modern.*, trad. par Jourdan, *Introd.*, sect. I, vol. I, p. 5 sqq, Paris 1816.

[2]) Vid. Lamennaisium, *Essai sur l'indifference en matière de religion*, Paris 1822; p. Ioach. Venturam, *De methodo philosophandi*, Romae 1828; Bonnettyum, in Ephem. *Annales de phil. chrèt.*, quas multis abhinc annis vulgare coepit, passim, aliosque, contra quos in hoc opere, data occasione, disseremus.

sophorum paganorum christianam religionem oppugnantium, Traditionalistas autem opinionem Iudaeorum, et nonnullorum Christianorum, qui adversus Philosophos paganos bellarunt, instaurasse. Sed fere omnes Theologi, et Philosophi catholici, duabus hisce extremis opinionibus reiectis, mediam inter illas tuentur.

Iamvero, media haec sententia, quam fere omnium Patrum communem esse Franc. Baltus e S. I. solide ostendit [1], sola, ni fallimur, cum monumentis historiae concordat. Quam ut luculenter tractemus, ad quaedam capita revocabimus. Et primo, quin Philosophi graeci multa a Barbaris, quicumque tandem hi fuerint, didicissent, nequaquam dubitandum est. Huius rei vades dare possumus ipsos graecorum Philosophorum principes Platonem, et Aristotelem. Plato enim, praeterquam quod mentionem *cuiusdam divini sermonis*, λόγου θείου τινος [2], qui ab eo modo λόγος παλαιὸς, *sermo antiquus*, modo ἐπίκτητος δόξα, *superaddita opinio*, nuncupatur [3], saepe fecit, Graecos a Barbaris voces, et litteras accepisse [4], multaque ab his, quippe qui ipsis *meliores*, κρείττονες, et *Deo propinquiores*, ἐγγυτέρω θεῶν, erant [5] didicisse diserte asseruit [6]. Praeterea, in *Phaedone* [7] Socratem introduxit, qui Cebeti sciscitanti: « Vndenam medi-
« cum eiusmodi nanciscemur, o Socrates, quoniam
« tu nos deseris? », respondet: « Ampla est, o Cebes,
« Graecia, in qua sunt alicubi viri boni: quamplurimae sunt etiam Barbarorum nationes: per hos omnes
« eiusmodi medicum debetis perquirere, neque pecuniis

---

[1]) *Defense des ss. Pères* etc., ed. cit., et *Jugement des ss. Pères sur la morale de la philosophie païenne*, Strasbourg 1719.

[2]) *In Phaed.* p. 85, ed. H. S.

[3]) *De leg.*, lib. III, ed. cit.

[4]) Παρὰ βαρβαρων τινῶν αὐτά παρειλήφαμεν' εἰσὶ καὶ ἡμῶν ἀρχαιότεροι βάρβαροι; *Cratyl.*, p. 425, ed H. S.

[5]) *Phileb.* p. 17, ed. H. S.

[6]) E. g. in loc. cit. *Phileb.* traditionem, παρὲδοσαν, de *Vnius* et de *multis* ab antiquis ad Graecos transmissam fuisse dixit.

[7]) P. 59, ed. H. S. Cf Clem. Alex., *Strom.* lib. I, c. 15.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« parcentes, neque laboribus ». Atque in *Timaeo* scripsit quemdam Sacerdotem Aegyptium Solonem allocutum esse his verbis : « O Solon , Solon , Graeci pueri « semper estis, nec quisquam e Graecia senex. Cur istud « diceret, percontante Solone , respondisse Sacerdotem : « Quia iuvenis semper vobis est animus , in quo nulla « est ex vetustatis commemoratione prisca opinio , nul« la cana scientia [1] ». Aristotelem , secus ac Platonem, traditiones veterum neglexisse vulgata opinio est : sed hoc , quam falsum sit , praeclarus locus Metaphysicae testatur, in quo ait : « Tradita autem sunt quaedam a « maioribus nostris, et admodum antiquis , ac in fabu« lae figura posterioribus relicta. . . Cetera vera fabu« losa iam ad multitudinis persuasionem , et ad legum, « ac eius, quod conferat, opportunitatem illata sunt »; et , paucis interiectis : « et (ut verisimile est) saepius « quaque arte et philosophia , quod possibile fuit , in« venta , corruptaque rursus , has illorum opiniones , « quasi quasdam reliquias, nunc usque salvatas esse [2] ». Hanc opinionem Platoni , et Aristoteli cum aliis antiquis communem fuisse a Laërtio accepimus, quippe qui opus suum *De vitiis Philosophorum* his verbis exorsus est : « Philosophiam, quod ad rem attinet, a Barbaris ini« tia sumpsisse quidam autumant », et inter illos , qui hac in opinione versati sunt , Aristotelem nominavit [3]. Sed , etiamsi gravissimus hisce testibus careremus , rem non aliter se habuisse pro certo habendum nobis foret. Etenim veterum tam profanorum , quam Ecclesiasticorum testimoniis constat , et recentium eruditissimis disquisitionibus comprobatum est Graecos e vita sylvestri , in quam rursus inciderant [4], ad civilem

---

[1]) P. 22 ed. cit. Cf Clem. Alex., lib. cit., c. cit., et c. 29; s. Iustin., *Cohort. ad Graec.*, c. 3; s. Cyrill., *Cont. Iulian.*, lib. I; Euseb., *Praep. evang.*, lib. X, c. 4; Theodoret., *Therap.*, Serm. I.

[2]) Lib. XI, c. 8, § 13, *Opp.* t. II, p. 608, ed. Didot.

[3]) Lib. I, Prooem., segm.1, et Menagium in h.l. p.3 sqq, ed.cit.

[4]) *Rursus*, inquimus, quia Graecia bis e statu civili in barba-

vivendi statum evectos fuisse opera quorumdam Sapientum Barbarorum, inter quos Cecrops, et Danaus AEgyptii, Cadmus Phoenix, et Pelops Phrygius praecipua commemoratione digni sunt. Hi enim cum coloniis Graeciam appulerunt, illasque civitates condiderunt, quae, tractu temporis, opibus, armis, omnique scientiarum et artium genere floruere [1]. Iam, nedum credibile, exploratum esse debet a Barbaris istis civitatum graecarum conditoribus doctrinas quae in regionibus, unde profecti erant, tradebantur, ad Graecos transmissas fuisse, earumque potiorem partem, saltem apud Antistites sacrorum, fuisse servatam usque ad ea tempora, in quibus Graeci philosophari coeperunt. Audiamus Bruckerum : « Confluebat enim Graecorum natio antiquissimis istis temporibus ex variis coloniis AEgypti, Phoeniciae, Thraciae, aliarumque gentium, quibus viri prudentes praerant, qui non solum agrestem hominum vitam politicis institutis emolliebant, sed et religionis ac cultus Deorum vinculo quasi cicurabant, et quae in patria de rebus divinis, et humanis audiverant, ita novis populis tradebant, ut sacrarum potissimum doctrinarum fraeno in ordinem redigerentur. . . Et hanc quoque causam fuisse probabile est, cur viri ingenii altioris, et excitatioris, ad capessenda sapientiae praecepta, ad Barbaros, praecipue ad AEgyptios excur-

---

riem ruit. (Vid., ne multos alios nominemus, Heeren, *Idèes sur la politique, le commerce,et le trafic des peuples de l'antiquitè*, trad. de l' allem. t. III, Paris 1842.) Inter cordatiores eruditos non solum orthodoxos, sed etiam heterodoxos, et rationalistas de duobus, quae ad hanc rem spectant, convenit, scilicet 1° quod status sylvester quorumdam populorum tempore posterior est statu civili; 2° quod nullus populus e statu sylvestri ad civilem sine ope alius populi iam exculti progressus est.

[1]) Nos non latet hanc coloniarum ex Aegypto, Phoenicia, et Asia Minori in Graeciam migrationem a multis nuperis negatam esse; sed quam falso, videre licet, multis aliis praetermissis, apud Raoul-Rochette, *Histoire critique de l' établissement des colonies grecques*, t. I, Paris 1815.

« rerint, quoniam hos fontes in Graecorum arva deri-
« vatos, et mythologico sensu obscuratos consulendos
« esse iudicabant [1] ». Id confessi quoque sunt nonnulli eorum, qui philosophiam graecam *autochtonam* esse voluerunt. Ita, e. g., Cousinius in suis notis ad *Phaedrum* agnovit Platonem sapientiam ab antiquissimis exceptam ad sinceram notitiam veri valde utilem putavisse [2], et vetustas traditiones *pannum* philosophiae graecae vocavit [3].

Quod ad divinas Hebraeorum doctrinas attinet, Pythagoram aut Platonem, aut ullum alium antiquum philosophum graecum libros legisse, quibus illae continentur, s. Augustinum [4] secuti haud probabile existimamus. Etenim, missis aliis multis argumentis, quae apud recentes rerum biblicarum tractatores videri queunt [5], nihil certi, exploratique, ut s. Augustinus ad hanc rem advertit [6], nobis suppetit, ex quo versionem graecam librorum V. T. LXX virali anteriorem extitisse confici potest. Iam, quoniam nec Pythagoram, nec ullum Philosophum graecum linguam, in qua Libri divinitus inspirati Hebraeorum exarati erant, calluisse in-

---

[1]) *Op. cit.*, Per. I, part. II, lib. I, c. I, § 1, vol. I, p. 364, et 365, ed. cit.

[2]) *Oeuvr. de Platon*, trad. par Cousin, vol. VI, p. 453 sqq, Paris 1831.

[3]) *Op. cit.*, p. 465. — [4]) Vid. p. 29, not. 2.

[5]) Breviter, sed dilucide de hac controversia egit I. B. Glaire, *Introd. stor. e crit. a' Libri dell' A. e N. T.*, part. I, sez. II, q. 5, 1ª vers. ital. t. I, p. 184-186, Napoli 1843.

[6]) « Quapropter, ipse concludit, in illa peregrinatione sua Plato
« nec Hieremiam videre potuit tanto ante defunctum, nec easdem
« Scripturas legere, quae nondum fuerant in Graecam linguam
« translatae, qua ille pollebat » (*De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 11). Sanctus Doctor id, quod de s. Ambrosio scripserat in lib. II *De Doctr. Christ.* (c. 28, n. 43), ingenue retractavit. « Et in eo quod dixi
« *De temporum historia sanctum Ambrosium solvisse quaestionem*,
« tamquam coaetanei fuerint Plato, et Hieremias, me fefellit me-
« moria. Nam quid ille de hac re episcopus dixerit, in libro eius
« legitur, quem de sacramentis, sive de philosophia scripsit »; *Retract.* lib. II, c. 4.

ter omnes convenit, profecto nemo eorum ex Sacrorum Librorum lectione quidquam haurire potuit. At vero, cum id Rationalistis concedimus, Graecos multa ab Hebraeis, ut idem s. Augustinus ait, *colloquendo* [1] edoctos fuisse, iisque hortos suos irrigasse mordicos tuemur. Id enim, praeter eorum ad regiones, in quibus non pauci Hebraei commorabantur, peregrinationes, et ipsorum hebraeorum in cunctas regiones Asiae, et Graeciae migrationes, mirabilis illa concordia multorum philosophiae graecae dogmatum cum doctrinis hebraeorum adeo patefacit, ut nullum dubitationi locum relinquat. Quam concordiam apud illos veteres, recentesque Scriptores, quos huic opinioni favere diximus, quilibet harum controversiarum studiosus videre potest.

Illud quoque certum est, quod s. Augustinus post primos religionis christianae Apologetas saepe inculcavit [2], Graecos Philosophos ex nativis humanae mentis viribus plurima vera invenisse, atque in eo adlaborasse, ut cum inventis suis dogmata, quae ab Hebraeis, vel ab aliis Orientis populis exceperant, amice componerent. Certe, Graecos integra philosophiae suae systemata ab Oriente in Graeciam importasse omnino incredibile est. Quis enim sibi persuadere posset Pythagoram ab Orientis sapientibus omnia didicisse, quae de numeris, et de constructione rerum per ipsos effecta excogitavit? aut Platonem cuncta ea praeclara, et egregia, quae de vero, bono et pulcro peracute perspexit, eleganterque disputavit? aut Aristotelem, ut multa alia praetereamus, suas categorias, illasque subtilissimas, firmissimasque leges, quas mens humana in inveniendo, perficiendo, tradendoque vero servare debet? Accedit his 1° quod, ut apposite recens Scriptor advertit, Pythagoras, Plato aliique, nisi quasdam de Deo, de mundo, et de homine notiones iam praeformatas habuissent, certe peregrinationes ad bar-

---

[1]) Vid. locum, quem excripsimus p. 29, not. 2.
[2]) Cf *De Civit. Dei*, lib. XVIII, c. 41, n. 3.

baras gentes non suscepissent, ut quid de hisce omnibus illarum Sapientes docerent, expiscarentur [1]. 2° Quod ipsi, uti ex eorum libris patet, traditiones, sive, ut loqui solent, μυθους Gentium orientalium, non coeco auctoritatis obsequio amplexati sunt, sed ex ingenii sui viribus explicare studuerunt. Ex quo effectum est, ut puras, sincerasque doctrinas ab Hebraeorum fonte manantes, ob superbiae suae vitium, non raro corrumperent. Operae pretium est rursus audire s. Augustinum. « Qui « (*philosophi graeci*), inquit, utcumque conati sunt in- « geniis acutissimis praedicati ratiocinando vestigare, quid « in rerum natura latitaret, quid in moribus appe- « tendum esset, atque fugiendum, quid in ipsis ratio- « cinandi regulis certa connexione traheretur, aut quid « non esset consequens, vel etiam repugnaret. Et qui- « dam eorum quaedam magna, quantum divinitus ad- « iuti sunt, invenerunt; quantum autem humanitus im- « pediti sunt, erraverunt: maxime cum eorum super- « biae iuste Providentia divina resisteret, ut viam pie- « tatis ab humilitate in superna surgentem, etiam isto- « rum comparatione monstraret; unde postea nobis erit « in Dei veri Domini voluntate disquirendi, ac disse- « rendi locus [2] ».

Sanctus Doctor hac etiam in re s. Iustinum, Clementem Alex., Origenem, aliosque antiquos Apologetas secutus est. Horum enim non solum ii, qui graecae philosophiae merita agnoverunt, puta s. Iustinus, Clemens Alex., Origines, sed ii quoque, qui fortasse plus, quam aequum erat, ei infensos se praebuere, e. g. Tertullianus, et Lactantius, Philosophos Graecos non pauca, eaque praeclara, propter cognoscendi vires, quibus Deus animam humanam exornavit, excogitasse, et expolivisse senserunt. Pla- « ne non negabimus, Tertullianus subdit, aliquando phi-

---

[1]) Chastel, *De la valeur de la raison humaine* etc., Part. 2, c. 3, p. 374, et 375, Paris 1854.

[2]) *De Civit. Dei*, lib. II, c. 7.

« losophos iuxta nostra sensisse; testimonium est veritatis « etiam inventus ipsius. Nonnunquam et in procella, con- « fusis vestigiis coeli, et freti, aliqui portus offenditur « prospero errore : nonnunquam et in tenebris aditus « quidam, et exitus deprehenduntur coeca felicitate ». Huius autem rei hanc causam assignavit, quod « et na- « tura pleraque suggeruntur, quasi de publico sensu, « quo animam Deus dotare dignatus est [1] ». Lactantius quidem Philosophos reprehendit, quod nemo illorum integram veritatum complexionem, sive, ut ait, *summam* efficere potuit, sed fassus est omnes veritates, alias in una, alias in alia secta inveniri, adeo ut, si quis veritates, quae divisae in diversis Graecorum sectis inveniuntur, colligeret, illasque inter se connecteret, *summam*, hoc est integrum systema veritatum, quas ratio humana assequi potest, conficeret [2].

Ex his omnibus concludere nobis licet Graecos, omnium primos extitisse, qui philosophiam proprie sumtam excolerent, sed non idcirco eorum philosophiam, αυτοχτονον, *authoctonam*, dicendam esse, quippe quod ipsi praecipua dogmata, ex quibus varia eorum systemata conflantur, a sapientibus populorum Orientalium, et maxime ab Hebraeis exceperunt, ob idque a veritate rei aberrare cum Rationalistas, qui philosophiam graecam omnino *authoctonam*, tum Traditionalistas, qui omnino ab Oriente in Graeciam importatam volunt.

Perspecta origine graecae philosophiae, inquiramus ne-

---

[1]) *De Anim.*, c. 2.

[2]) « Quam summam quia Philosophi non comprehenderunt; nec « veritatem comprehendere potuerunt, quamvis ea fere, quibus « summa ipsa constat, et viderint, et explicaverint. Sed diversi, « ac diverse illa omnia protulerunt, non annectentes nec causas « rerum, nec consequentias, nec rationes; ut summam illam, quae « continet universa, et compingerent, et implerent. Facile est « autem docere pene universam veritatem per philosophorum « sectas esse divisam. Quod si extitisset aliquis, qui veritatem « sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in u- « num, ac redigeret in corpus; is profecto non dissentiret a no- « bis »; *Div. Inst.*, lib. VII, c. 7, ed. cit.

cesse est, quid de eius meritis ss. Patres, ceterique Scriptores Ecclesiae senserint, et qua ratione sibi ipsa utendam esse iudicaverint. Qua quidem inquisitione id quoque efficiemus, ut quam methodum philosophandi ss. Patres in Religionis Christianae veritate, et praestantia adversus Graecos tuendis, eiusque dogmatis, quoad imbecillitas mentis humanae sinit, declarandis sectati sunt, probe cognoscamus. Iam, principio advertendum est Patres primi saeculi Ecclesiae exemplum secutos Iesu Christi, et Apostolorum, quos Ipse ad praedicandum Evangelium in universo mundo miserat, nullam controversiam cum Philosophis Graecis suscepisse, sed omnem operam suam in eo collocasse, ut hebraeos, et gentiles intra Religionis Christianae pomeria cogerent, et iam coactos in eius dogmatis, praeceptisque erudirent. Nuper id Haureavius sine ulla haesitatione negavit, et non modo Patres primorum seculorum, sed etiam I. Christum, et Apostolos commercium cum Philosophis habuisse, philosophatosque esse contendit [1]. Ipse, fortasse inscius, hac in re Clericum secutus est, qui non solum ss. Patres, et Apostolos, sed etiam Scriptores V. T. aliquid e Platonis libris hausisse blateravit [2]. At vetus haec est Christianae Religionis osorum calumnia, quam Origenes ad-

---

[1]) *De la philos. scolast.*, c. 1, p. 2, Paris 1850. Ipse Baltum reprehendit asserentem Patres primorum saeculorum non esse philosophatos, eique Iustinum, Athenagoram, Clementem Alex., aliosque, quorum opera vastam, penitamque philosophiae cognitionem exhibent, obiecit. Quonam in loco operis, quod citavit (*Défense* etc.), id Baltus asseruerit, minime innuit. Nos Haureavio reponimus cl. Iesuitam, ut ex laudati operis lectione patet, philosophiam Patrum non negasse, sed dumtaxat calumniam Clerici retudisse, qui Scriptores V. et N. Testamenti e Platonis fonte arva sua irrigasse obganniit. Certe, si Haureavius saltem a limine opus Balti salutasset, vidisset innumera loca s. Iustini, Athenagorae, Clementis Alexandr., Origenis, et Scriptorum secundi, et posteriorum saeculorum ab illo afferri, quae ad philosophiam spectant.

[2]) Vid. *Bibliothèque universelle*, p. 401-404, et *Epist. crit.*, Epist. VII, *Ars crit.*, t. III, p. 177 sqq, Amstelodami 1730.

versus Celsum, et s. Augustinus ex s. Ambrosio refutarunt. « Ceterum, Origenes ait, apud Moysen, et prophetas, non « Platone solum, et Homero, sed etiam Graecarum litterarum « inventione antiquiores, multa reperire est et digna « Dei, qua inspirabantur, gratia, et cognitionum elatione admiranda. Nec ea dicendum est ab illis accepta fuisse ex Platone malo intellecto, ut putat Celsus, qui enim audire potuissent nondum natum? Vt « autem ad Iesu Apostolos, Platone recentiores, referat quis Celsi verba, vide an non improbabile sit « Paulum tabernaculorum artificem, Petrum piscatorem, et Ioannem, qui patris reliquit retia, e Platonis « epistolis male intellectis, talia de Deo ad posteros « transmisisse [1] ». S. Augustinus vero commemorans quaestionem ab Ambrosio institutam adversus Platonis dilectores, « qui dicere ausi sunt omnes Domini nostri « Iesu Christi sententias, quas mirari, et praedicare co« guntur, de Platonis libris eum didicisse ». Scripturas Mosis, et Prophetarum Platonis aetati praecessisse cum eodem sancto Doctore observavit, indeque conclusit hoc modo: « Ita, consideratis temporibus, fit multo cre« dibilius istos potius de Litteris nostris habuisse quae« cumque bona et vera dixerunt, quam de Platonis Do« minum Iesum Christum, quod dementissimum est « credere [2] ». Ipse quoque advertit nullam gentem gloriari potuisse, quod Patriarchae, et Prophetae quidquam ab ea didicerint, quia illorum sapientia sapientiae omnium gentium longe excellit. « Nulla, scribit, igitur gens de « antiquitate sapientiae suae super Patriarchas, et Prophe« tas nostros, quibus inerat Divina Sapientia, ulla se « vanitate iactaverit [3] ». Idem de Paulo cum Stoicis contendente scripsit: « Paulus ideo conferre cum Stoicis « non timebat, quia non solum acute disputabat, sicut

---

[1]) *Cont. Celsum*, lib. VI, c. 7.

[2]) *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 28, n. 43; Cf *Enarrat. in Ps. CLX*, n. 19.

[3]) *De Civit. Dei*, lib. XVIII, c. 39.

« et illi, sed etiam veraciter, quod non illi[1] ». Vnde de Scriptoribus cum Vet. tum Nov. Testamenti inquit: « Nos quidem Platonem . . . nec veridico prophetae, « nec apostolo alicui . . . nec cuiquam christiano homini « comparamus[2] ». Patres vero primi saeculi nec ullam cum Graecis Philosophis controversiam suscepisse, nec ullum e philosophia adiumentum ad propagandam christianam religionem, moresque Gentilium emendandos aucupatos esse locupletissime testantur eorum Epistolae, quas simul editas primum a Cotelerio[3], deinde post alios ab Hefele[4], et a Iacobsono[5] legere cuique licet. Origenes id a Iesu Christo sapientissimo consilio provisum fuisse scripsit, ne divina religio, quam hominibus ad salutem aeternam assequendam tradidit, sophisticis humanae sapientiae argumentis innixa videretur. « Equi- « dem crediderim talibus suae doctrinae magistris Iesum « hac mente uti voluisse, tum ut suspicandi locus non « esset, eam niti argumentis ad veri speciem compo- « sitis; tum ut intelligentioribus evidens fieret sinceri- « tatem illam scriptorum iunctam cum multa, ut ita « loquar, simplicitate, donatam fuisse divina potestate, « quae multo plura perficeret, quam perficere posse vi- « dentur verborum ambitus, dictionum compositio, et « totus ille graecanicus divisionum, dicendique orna- « mentorum apparatus[6] ».

Verum, postquam saec. secundo Philosophi ex mirabili Religionis Christianae propagatione deterriti acerrimum bellum contra ipsam, armis e philosophia graeca petitis, susceperunt, opus fuit huius, et sequentium saeculorum Patribus

---

[1]) *Contra Crescentium Donatistam*, lib. I, c. 14, n. 17.

[2]) *De Civit. Dei*, lib. II, c. 14, n. 2.

[3]) *Patrum, quibus temporibus apostolicis floruerunt, Barnabae, Clementis, Hermae, Ignatii, Polycarpi, Opera vera et supposita*, curant. Clerico, Amstelodami 1724.

[4]) *Patrum Apostolicorum Opera*, ed. 3, Tubingae 1847.

[5]) *Patrum Apostolicorum Opera*, Oxonii 1840.

[6]) *Cont. Celsum*, lib. III, c. 39.

originem graecae philosophiae inquirere, dogmatum eius veritatem ad examen revocare, praeceptorumque vim discutere, ut quantum in his omnibus Religio Christiana et diversis Philosophorum sectis, et cunctis ethnicis superstitionibus antecelleret, evincerent. Huius controversiae primum specimen, exeunte saeculo primo, in *Epistola ad Diognetum* invenitur, in qua Anonymus, Apostolorum discipulus, Diogneto respondet percontanti, « quis sit divinus cultus Christianorum . . . in quo Deo « fiduciam collocantes, et quam religionem colentes, et « mundum ipsum aspernentur omnes, et mortem con- « temnant: ac neque eos, qui a Graecis Dii existiman- « tur, pro diis habeant, neque Iudaeorum superstitio- « nem observent [1] ». Sed secundo, et sequentibus saeculis quam plurimi, iique eruditissimi adversus Graecos in arenam descenderunt. Iam, omnes in primis, ut vidimus, non sunt inficiati haud pauca dogmata, aut praecepta morum a diversis sectis Graecorum tradita fuisse; quin immo ipsorum Graecorum sententiis ad veritates Religionis Christianae, quae vires mentis humanae non exsuperant, saepe usi sunt. Huius rei, quae ex dictis quodammodo patet, satis est testem afferre s. Hieronymum. Hic enim, postquam utilitatem philosophiae exemplo Origenis, Methodii, Apollinaris, et Quadrati ostendit, luculenter asseruit hos omnes, nec non Clementem Alex., Hippolytum, Dionysium Alex., aliosque « in tantum phi- « losophorum doctrinis suos infarcire libros, ut nescias, « quid in illis primum admirari debeas, eruditionem « saeculi, an scientiam Scripturarum [2] ». Id, cum et ex

[1]) C. I., inter *Opp.* s. Iustini, p. 233, ed. Maur., Parisiis 1742, et in Gallandi *Bibliot. Vett. Patrum*, vol. I, p. 320, Venetiis 1765. Cf Otto, *De Epistola ad Diognetum s. Iustini Philosophi et Martyris nomen prae se ferente Comment.*, Ienae 1845. Legi de hac re merentur Moehler, *Patrologie*, trad. par Cohen, vol. I, p. 47, Louvain 1844, et Cognat, *Clement d'Alexandrie, sa doctrine, et sa polemique*, lib. I, c. 1, p. 21 sqq, Paris 1859.

[2]) *Epist.* LXXXIV *ad Magn.* Hieronymo socium dare lubet s. Augustinum: « Nam et ipsi gentiles, si quid divinum, et rectum in doctri-

dictis quodammodo perspiciatur, et certum apud omnes sit, hoc in loco probare opus nobis non est. Illud solum adnotabimus exinde factum esse, ut non modo studium graecae philosophiae valde commendarent, sed etiam ipsam tradendam discipulis susciperent. Puta, in Schola Alexandriae catechetica Clemens Alex. Origenem, et Pantaenum, Origenes duos Gregorios, atque hi alios discipulos in philosophia erudiverunt [1]. Certe, Gregorius Neocaesariensis de Origene hoc scripsit: « Philo« sophari ergo nos ita iubebat, ut omnia, quotquot « extant, veterum tum Philosophorum, tum Poetarum « scripta colligentes, nihil reiceremus, nihilque repu« diaremus (necdum enim vim habere iudicandi po« teramus) praeter ea, quae Atheorum essent, qui a « communi hominum sensu discedentes, Deum, aut « Providentiam esse negant [2] ».

At, si omnes ss. Patres graecae philosophiae merita plus, minusve agnoverunt, nemo unus extitit, qui multos, turpesque errores, quibus corrumpebatur, late, diserteque non adverteret. Clemens Alex. [3], Origenes [4] atque, aliis antiquis missis, s. Augustinus [5] id non raptim, et data occasione, sed omnes Philosophorum sectas recensendo praestiterunt. Cum haud possibile sit horum omnium disputationes exscribere, satis esse arbitramur Degerandum, certe non suspectae fidei auctorem, audire: « Quoad lon« ge abierit indulgentia, qua nonnulli Patres Philoso-

---

« nis suis habere potuerunt, non improbaverunt sancti nostri... « Nam et Paulus Apostolus, cum de Deo quaedam diceret, per« hibuit testimonium, quod quidam eorum tale aliquid dixerint... « Et sanctus Cyprianus talibus adversus eosdem ethnicos utitur « testibus »; *De Baptism. contr. Donatistas*, lib. VI, c. 43, n. 87.

[1]) Cf opus Guerike, *De Schola, quae Alexandriae floruit, catechetica*, Halis Saxonum 1824.

[2]) *Orat. panegyr. in Origenem* § 13, *Opp. ad Orig. spectantia*, p. 72, ad calc. *Opp. Orig.* t. IV, ed. cit.

[3]) *Strom.* lib. VI, c. 5, et passim.

[4]) *Cont. Celsum*, lib. VI, passim.

[5]) *De Civ. Dei*, lib. XVIII, c. 41, n. 2.

« phiam Graecorum prosecuti fuerint, certe nemo eo-
« rum illam omni ex parte approbavit. Nam, cum Scri-
« ptores Ecclesiae in illa doctrinas metaphysicas de na-
« tura animae, de origine mundi, de theologia natura-
« li, et de moribus maxime spectarent, innumeros er-
« rores inveniebant, et, quamvis illam, veluti quamdam
« ad Evangelium praeparationem, agnoscerent, tamen
« toti in eo erant, ut Evangelium omni prophanae scien-
« tiae longissime excellere demonstrarent [1] ». Praeterea, communis quoque Patrum opinio fuit, quam Lactantius, uti vidimus [2], diserte exposuit, scilicet, quamvis fere cunctae veritates penes diversas sectas Philosophorum invenirentur, nullam tamen sectam illud consecutum fuisse, ut integrum, et ab omni errore immune systema veritatum concinnaret. Ex quo Philosophos, nisi ad religionis christianae portum confugissent, integram, puramque veritatem neutiquam assequi potuisse conficiebant [3]. Nihilominus ipsi existimarunt philosophiam Graecis veluti rem magni pretii a Deo datam esse, ut ad Dei cognitionem, et amicitiam pervenirent [4], eisque, non secus ac *Legem* Iudaeis, *paedagogum* fuisse, qui illos ad Christum duceret [5], quippe quod illa, ob multas, quas in diversis sectis sparsas complectebatur, veritates, Graecorum animos ad veritatem, et divinitatem Religionis Christianae agnoscendam praeparabat, sive, ut Clemens Alex. inquit, aures ad praedicationem assuefaciebat [6]. Quamobrem Clemens saepe inculcavit *Philosophiam* Graecorum, perinde ac *Legem*, ad Dei provideu-

---

[1]) *Hist. compar. de la phil.* c. 22, t. IV, p. 16, ed. cit.

[2]) P. 38.—[3]) Cf s. August., *Epist.* CXVIII *ad Dioscor.*, n. 21.

[4]) Ἔστι γὰρ τῷ ὄντι φιλοσοφία μεγιστον κτῆμα, καὶ τιμιώτον Θεῷ, ὥστε προσάγει, καὶ συνίστησιν ἡμᾶς μόνη; *Dial. cum Triph.*, c. 2.

[5]) Ἐπαιδαγώγει γὰρ καὶ αὐτὴ τὸ Ἑλληνικὸν, ὡς ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους, εἰς Χριστὸν προπαρασκευάζει νυν ἡ φιλοσοφία, προσδοποιοῦσα τὸν ὑπὸ Χριστοῦ τελειούμενον; *Strom.*, lib. I, c. 5. Cf lib. VI, c. 5.

[6]) Φιλοσοφία δέ Ελλησι, τὰς ἀκοὰς ἐθίζουσα πρὸς τὸ κήρυγμα; *Op. cit.*, lib. VI, c. 6. Cf s. August., *De baptismo contra Donatistas*, lib. VI, c. 43, n. 87.

tiam referendam esse, quia Deus cum Veteris, et Novi Testamenti, tum Philosophiae auctor fuit, illorum quidem *principaliter* κατὰ προηγούμενον, huius vero per consequentiam, κατ' ἐπακολούθημα [1].

Postquam iudicium novimus, quod veteres Scriptores Ecclesiastici de philosophiae graecae meritis, et noxis tulerunt, quamnam methodum philosophandi ipsi sectati sint, exponamus oportet. Recentes historiae philosophicae Scriptores, et maxime Protestantes, plerosque, et nobiliores Ecclesiae Patres, scilicet ex Graecis Iustinum, Athenagoram, Theophilum Antioch., Tatianum, Irenaeum, Clementem Alex., Origenem, et Eusebium, ex latinis vero Minucium Felicem, Arnobium, Lactantium, Tertullianum, et Augustinum, philosophia Platonis in suis theologicis disquisitionibus usos fuisse, eaque de causa doctrinam a Iesu Christo per Apostolos traditam corrupisse pertenderunt. Horum magnus est numerus; sed inter eos, qui ceteris praecesserunt, celebrioresque sunt, Souverainius [2], Ioan. Clericus [3], Imm. Ern. Hahnius [4], Ioan. Laur. Moshemius [5], Iac. Bruckerus [6], aliique recensentur. Nisi quod Moshemius, omnium fere primus, ss. Patres potius recentioribus Platonicis, sive Eclecticis, quam Platoni, adhaesisse putavit, eique Buddeus [7], ipse Bruckerus [8], Cramerus [9], atque ex parte etiam Oelrischius [10]

---

[1]) *Op. cit.*, lib. I, c. 5.—[2]) *Le platonisme devoilè*, Cologne 1700.

[3]) *Bibliothéque univers.*, t. X, p. 181, *Biblioth. choisie*, t. XII, p. 213, *Art. crit.* Part. II, § 2, c. 11, t. II, p. 379, ed. cit.

[4]) *Dissert. de platonismo Theologiae veterum ecclesiae doctorum, nominatim Iustini Martyr., et Clementis Alex. corruptore*, Viterb. 1733.

[5]) *De turbata per recentiores Platonicos Ecclesia, Dissertat. ad hist. eccles. pertinentes*, t. I, p. 85-216, Altonoviae 1733.

[6]) *Op. cit.*, t. III, p. 337 sqq, et t. VI, p. 534 sqq.

[7]) « Hinc, ait, non errant, qui Patres eclecticos potius, quam « platonicos, aut certae cuidam sectae addictos, statuunt »; *Isagoge* etc. lib. post., c. 3, § 5, t. I, p. 499, ed. cit.—[8]) *Op. cit.*

[9]) *Continuation de l'hist. de Bossuet*, t. II, p. 268 sqq, Lipsiae 1752.

[10]) *De doctrina Platonis de Deo a Christianis, et recentioribus Platonicis varie explicata, et corrupta*, Marburgi 1788.

adstipulati sunt. E nuperis Degerandus [1], Ritterius [2], aliique, quibus inter catholicos Guentherus [3], eiusque discipuli imprudenter adhaeserunt, eumdem Bruckerum secuti, ss. Patres modo platonismi, modo neoplatonismi insimularunt. Dahene, et multi Germaniae Rationalistae, necnon in Gallia Vacherotus [4], aliique multi, de quibus alias dicemus, notam mysticismi neoplatonici plerisque Patribus constanter inusserunt. Non desunt, qui ss. Patres, quemadmodum dogma a Platone, ita doctrinam morum e Stoicorum libris mutuatos esse contendunt. Hanc opinionem, quam vix perpauci Protestantes, et Sociniani innuerunt, nuperrime Leroux [5], et Laurient [6] pro virili parte defenderunt.

Quandoquidem de inusta Patribus neoplatonicae, et mysticae doctrinae nota ex industria agendum nobis erit, et in alia nostra opera, quantum doctrina ss. Patrum de moribus a Stoicorum placitis abhorruerit, iam ostensum est [7], hoc in loco ss. Patres ab accusatione platonismi, quae et antiquior est, et maiorem, quam ceterae, speciem veritatis prae se ferre videtur, dumtaxat vindicabimus, et quae fuerit vera illorum philosophandi ratio, simul aperiemus. Quo quidem in opere multum laborandum nobis non est. Nam, omissis permultis, qui hanc controversiam ex ea parte, quatenus ad theologiam pertinet, tractarunt, Auctor anonymus [8], Franc. Bal-

---

[1]) *Op. cit.*, c. 22, passim, t. IV, ed. cit.

[2]) *Histoire de la phil. chrètien.*, trad. par Trullard, passim, Paris 1843 et 1844.

[3]) *Lydia* (germ.) p. 72, Vindob. 1849. Huius Theologi Vindobonensis, eiusque discipulorum placita in hoc opere passim expendemus.

[4]) *Histoire critique de l'ècole d'Alexandrie*, Introd., lib. II, vol. I, p. 247-302, Paris 1846, atque *ibid.*, part. III, lib. I, c. 1, vol. III, p. 1-84 etc., Paris 1859.

[5]) *De l' humanitè, de son principe, et de son avenir*, Introd., t. I, p. 63 et 64, Paris 1840.

[6]) *Etudes sur l' histoire de l' humanitè*, p. 47, 371, et passim, Gand 1854.

[7]) *I principali sistemi della Filos.* cit., c. 2, § 7, p. 234 sqq.

[8]) *Histoire critique de l' ècletisme*, Paris 1766.

tus [1], et hac nostra aetate Christ. Frid. Roeslerus [2], et Theoph. Keilius [3] ita hac in re versati sunt, ut fere nihil nobis addendum reliquerint.

Et primo, inter omnes constat antiquos Apologetas, uti s. Iustinum, Tatianum, Athenagoram, Theophilum Antioch., Hermiam, ad Religionem Christianam conversos esse, eo quod in ea veritatem, quam apud singulas sectas Philosophorum, non excepta platonica, frustra quaesiverant, invenisse sibi visi sunt. Ne plura huius rei testimonia congeramus, lectores ad *Praefationem*, quam operibus s. Iustini, aliorumque laudatorum Scriptorum doctissimus Maran adlevit [4], amandamus. Nec illos, postquam ad Religionem Christianam conversi sunt, animum a platonica philosophia alienum mutasse dici potest; si quidem multa in eorum libris extant loca, quibus ipsi errores Platonis, perinde ac Aristotelis, Epicuri, Zenonis, aliorumque redarguunt, et platonicam philosophiam dogmatis Christianae Religionis valde dissimilem esse demonstrant [5]. Nec aliter de Platone senserunt Clemens Alex., Origenes, Eusebius, Theodoretus [6],

---

[1]) *Defense des ss. Pères accusès de platonisme*, Paris 1711.

[2]) *Dissert. De originibus philosophiae ecclesiasticae*, p. 17 sqq, Tubingae 1781.

[3]) *De Doctoribus veteris ecclesiae culpa corruptae per platonicas sententias theologiae liberandis Commentt. XXII*, Prooem. et Comment. I. Extant inter eius *Opusc. academica*, quae Goldhor collegit, Sect. post., p. 439 sqq, Lipsiae 1821.

[4]) Part. III, p. LXIII sqq, Parisiis 1742. Cf Keil, *Dissert. cit.* p. 450 et 451.

[5]) Vid. s. Iustinum, *Cohort. ad Gentes*, c. 6, et 7, et *Apolog.* II, c. 13; Tatianum, *Orat. contra Graecos*, c. 2; Athenag., *Legat. pro Christ.*, c. 23; Theoph. Antioch. *ad Autolycum*, lib. III, c. 6, 7, 16, et passim; Herm., *Irrisio Gent. Phil.*, c. 5.

[6]) Clem. Alex., *Strom.*, passim; Origen., *Contra Celsum*, passim; Euseb., *Praep. Evang.*, lib. XI-XIV, passim; Theodoret., *Sermones ad Graecos*, Serm. II, V, et IX, et *Haeret. Fabul.*, lib. V, c. 9 et 20. Cf Livium Galantem, *Christianae Theol. cum Platonica comparatio*, lib. I, p. 20 sqq, Bononiae 1627, et Franc. Baltum, *Op. cit.* lib. II et III, passim, necnon ipsum Bruckerum, *Op. cit.*, Period. II, part. II, lib. I, c. 2, § 19, t. III, p. 329 sqq.

et, ne de cunctis dicamus, s. Augustinus, quem ceteris apertius, et vehementius Platoni adhaesisse vulgo existimatur. Omissis aliis, nos certe haud inficiamur s. Augustinum aliquando philosophiam platonicam impense laudasse, eamque fere similem illi, quam Christiani profitebantur, duxisse [1]; verum, quomodo laudem Platoni tributam intellexerit, non semel explicuit. « Isti, inquit, philosophos caeteros nobilitate, atque auctoritate « vicerunt, non ob aliud, nisi quia longo quidem intervallo, verumtamen reliquis propinquiores sunt veritati [2] »; atque alibi: « Ideo istos philosophos dixi aliis « fuisse meliores in comparatione peiorum; quia fuerunt philosophi qui dicerent homini, cum mortuus « fuerit, nullam vitam postea remanere. Talibus illi utique praeponendi sunt. Et in quo erant illi meliores, quamvis in multis a veritate deviantes, tamen « in quo erant isti superiores, veritati fuerant propinquantes [3] ». Sed postea huius laudis eum quoque poenituit: si quidem in primo suarum *Retractationum* libro inquit: « Laus quoque ipsa, qua Platonem, « vel Platonicos, seu Academicos philosophos tantum « extuli, quantum impios homines non oportuit, non « immerito mihi displicuit: praesertim quorum contra « errores magnos defendenda est Christiana doctrina [4] ».

Nec quidquam negotii nobis facessere illud, quod Bruckerus adversus Baltum usque ad nauseam inculcavit, scilicet ss. Patres magnis laudibus philosophiam Platonis prosecutos fuisse, et non pauca ex illa sibi vindicasse [5]. Nos id certe non negamus [6]; at Bruckerus

---

[1]) Cf *De Vera Relig.*, cap.II, n.3; *Contr.Acad.*, lib. III,c. XVII, n. 37; *Serm.* CCXLI, c.7, n. 7, et c.8,n.8; *De Civit.Dei* lib.VIII, c. 12.—[2]) *De Civit. Dei*, lib. XI, c. 5.

[3]) *Serm.* CCXL, *De resurrectione corporum contra Gentiles*,c.IV, n. 4.—[4]) C. 1, n. 4.

[5]) *Op. cit.* ibid., t. III, p. 331, 334, 397 et alibi.

[6]) Vid. loca PP., in quibus Platonem laudant, apud Galantem, *Op. cit.* lib. I, p. 16-20.

negare non potest, et re ipsa multis in locis fatetur Patres, nedum exitiales errores Platoni obiecisse, in ea sententia versatos esse, quod pleraeque haereses, quae in primis saeculis Ecclesiae percrebuere, ex platonica philosophia extitissent. Bruckerum profecto non latuit Platonem a Tertulliano *haereticorum condimentarium* [1] nuncupatum fuisse, eiusque sententiam doctissimum s. Hieronymum calculo suo comprobasse [2]. Nec solus Tertullianus, sed s. Irenaeus [3], Origenes [4], Gregorius Nazianzenus [5], aliique, quos apud Baltum videre licet [6], idem crimen in philosophiam platonicam intulerunt [7].

Sec haec omnia ex iis, quae de methodo philosophandi ss. Patribus probata dicturi sumus, luculentiora fient. Vt quaenam ea fuerit, et quidnam Patres ad illam amplectendam impulerit, probe cognoscatur, mente reputandum est veteres Ecclesiae Scriptores studio philosophiae vacasse, et diligentissime illam excoluisse, non eo consilio ut aliquam novam sectam conderent, aut aliquam Philosophorum graecorum sectam eligerent, sed ut divinitatem, et necessitatem Religionis christianae Philosophis ethnicis persuaderent, et dogmata, quae rationi contradicere illi contendebant, cum rationis pronuntiatis optime componi posse demonstrarent. Quocirca nullam sectam aliis praeferendam censuerunt, sed quidquid in unaquaque secta Christianae Religionis dogmatis, et prae-

---

[1]) *De Anim.*, c. 23. Ipse Philosophos omnino *haereticorum patriarchas* vocavit; *Adv. Hermog.*, c. 8.

[2]) *Epist.* XLIII *ad Ctesiphontem.*—[3]) *Adv. haeres.*, lib. II, c. 14.

[4]) *Hom.* VII *in Iosue*; *Opp.* ed. cit., p. 414.

[5]) *Orat.* XXXII (alias XXVI), *Opp.* t. I, p. 579, Parisiis 1842.

[6]) Id non solum de Platone, sed in universum de graecis philosophis Baltus demonstravit. *Op. cit.*, lib. II, c. 19, et 20, p. 223 sqq. Cf ea, quae diximus p. 43, et 44.

[7]) E re est legere Ern. Salam. Cypriani *Diatriben qua expenditur illud Tertulliani: haereticorum patriarchae philosophi*, Helmstadii 1699, necnon Rechenbergium, *Dissert. An haereticorum patriarchae philosophi? ex illo Tertulliani adv. Herm. c. VIII ad illustr. S. Pauli Coloss. II, 8, monitum*, Lipsiae 1705.

ceptis consentaneum inveniebant, sibi vindicabant, et quidquid illis adversum esse sentiebant, amoliebantur. Et sane. « Quid autem, Iustinus ait, sit philosophia, et « quam ob causam ad homines demissa, plerosque la- « tet. Nam nec Platonici essent: nec Stoici, nec Peripate- « tici, nec Theoretici, nec Pythagorici; cum una sit « haec scientia [1] ». Luculentius, quam Iustinus, Clemens Alex. scribit: « Philosophiam autem non dico Stoicam, nec « Platonicam, aut Epicuraeam, et Aristotelicam, sed quae- « cumque ab his sectis recte dicta sunt, quae docent « iustitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico « Philosophiam [2] »; atque alio in loco: « Philosophiae « autem nomine dicuntur, quae in unaquaque haeresi « (de iis loquor, quae sunt in philosophia) reprehendi « non possunt decreta, cum vita congruente in unam « coacta electionem [3] ». Nec aliter Origenes sensit; hic enim, teste Gregorio Thaumaturgo [4], totus in eo fuit, ut ab unius quidem philosophi placitis probandis alumnos disciplinae suae studiose abstraheret, et per omnes scholas illos ducens, quae apud singulas bona et vera deprehendisset, illis apponeret, falsa autem diligenter inde secerneret. Id quoque Lactantius professus est:

---

[1]) *Dial. cum Tryph.*, c. 2. Philosophos, quos *theoreticos* s. Iustinus hic vocat, non esse Scepticos, uti nonnulli voluere, sed illos, qui in contemplandis rebus versantur, nec ad actionem transeunt, Maran (in h. l. not. a) existimavit. Opinionem Marani Laur. Moshemius reiecit, atque a s. Iustino Eclecticos designatos fuisse coniecit. Vid. eius *Commentt., De Christianorum rebus ante Constantinum M.*, c. 1, § 30 (**), p. 26, ed. cit.

[2]) *Strom.* lib. I, c. 7. Clemens hic adhibet vocem ἐκλεκτικὸν, *selectum*, qua ἐκλεκτικὴν, *electivam*, philosophandi rationem se probare significat. De hac secta, quam alibi exponemus, Laertius hoc scriptum reliquit: « Quanquam haud ita pridem Eclectica, « seu, ut ita dicam, Electiva quaedam secta a Potamone Alexan- « drino introducta est, qui de singulis sectis, quae sibi placuere, « selegit »; Prooem., segm. 21. Cons. Potterum in l. cit. Clementis Alex.—[3]) *Ibid.* lib. VI, c. 7; cf lib. I, c. 13.

[4]) Vid. *Orat. panegyr.*, quam ante laudavimus, nec non *Epistolam* Origenis ad eumdem, *Opp.* vol. I, p. 30-32. Praestat legere libellum

si quidem ipse, uti ante dictum est, cum persuasum haberet fere nullam esse veritatem, quae in aliqua secta non inveniatur, putavit integrum veritatum systema ab eo confici posse, qui veritates a singulis sectis traditas in unum cogeret, et digereret [1]. Idem denique, ne alios recitemus, diserte s. Augustinus ita docuit: « Quicumque igitur philosophi de Deo summo et vero ista « senserunt, quod et rerum creatarum sit effector, et lumen cognoscendarum, et bonum agendarum; quod ab « illo nobis sit et principium naturae, et veritas doctrinae, et felicitas vitae; sive Platonici accommodatius « nuncupentur, sive quodlibet aliud sectae suae nomen « imponant; sive tantummodo Ionici generis, qui in eis « praecipui fuerunt, ista senserint, sicut idem Plato, et « qui eum bene intellexerunt: sive etiam Italici, propter Pythagoram, et Pythagoraeos, et si qui forte alii eiusdem sententiae identidem fuerunt; sive aliarum quoque gentium, qui sapientes, vel philosophi « habiti sunt, Atlantici Lybici, Aegyptii, Indi, Persae, « Chaldaei, Scythae, Galli, Hispani, aliique reperiuntur, qui hoc viderint ac docuerint, eos omnes ceteris anteponimus, eosque nobis propinquiores fatemur [2] ».

Quae cum ita se habeant, liquet rationem philosophandi a ss. Patribus usurpatam illam esse, quae a Potamone [3], vel potius ab Ammonio Sacca [4] profecta, et a Cousinio [5], eiusque discipulis alia ratione nuper de-

---

Ioach. Sam. Weickmanni, in quo *Scholam Origenianam sacram ex Gregorio Thaumaturgo informatam excutit*, Wirtemb. 1744.

[1]) Vid. l. c. p. 38.

[2]) *De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 9.

[3]) Legesis Glockner, *Dissert. de Potamonis Alex. philosophia eclectica, recentiorum Platonicorum disciplinae admodum dissimili*, Lipsiae 1745.

[4]) Cons. Roesler, *Dissert. de commentitiis philosophiae Ammonianae fraudibus et noxis*, Tubingae 1786.

[5]) *Fragmens de phil., Oeuvr. phil.*, ser. 3, t. IV, p. 41 sqq, Paris 1846.

fensa, *eclectica*, sive *electiva* vocatur. Verum, Lactantius Philosophis Eclecticis iure, meritoque obiecit sese, non vero illos methodo electiva posse uti, quia sibi norma eligendi in Revelatione suppetebat, illi autem omni norma carebant. « Quod si, ipse in loco ante laudato ait, ex- « titisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, « per sectasque diffusam colligeret in unum, ac redige- « ret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis. Sed « hoc nemo facere, nisi veri peritus, ac sciens potest. « Verum autem scire, non nisi eius est, qui sit doctus « a Deo. Neque enim potest aliter repudiare quae fal- « sa sunt, eligere ac probare quae vera ». Ex quo intelligitur Revelationem Christianam, seu Fidem fuisse principium, ex quo philosophia Patrum proficiscebatur, fundamentum, super quo extollebatur, et normam, secundum quam disquisitiones suas moderabantur. Hanc autem, non secus ac Graeci factitaverant, ut apud Clementem Alex., et Origenem videre in promptu est, definivere *scientiam rerum divinarum, et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur* [1]; at, quandoquidem perviderunt omnem cognitionem esse vanam, et inutilem, nisi ad pietatem erga Deum ducat, ideo saepe adiecerunt illam scientiam tum vere dici posse philosophiam, cum ad *pietatem*, θεοσέβειαν, ducat, vel si cum *vita congruente*, μετὰ τοῦ ὁμολογουμένου βίου, coniungatur [2]. Hinc s. Augustinus sanxit verum philosophum esse amatorem Dei, huiusque rei hanc reddidit rationem : « Porro si sapientia Deus est, per quem facta sunt o- « mnia, sicut divina auctoritas, veritasque monstravit, « verus philosophus est amator Dei [3] ». Illud vero notatu dignum est ss. Patres nomine philosophiae Revelationem, seu Religionem Christianam haud raro designas-

---

[1]) Clem. Alex., *Strom.* lib. I, c. 5, et Orig., *Cont. Celsum*, lib. III, c. 72. Clem. Alex. interdum, quemadmodum Stoici factitaverant (cf p. 25, et 26), omisit illa verba καὶ τῶν τούτων αἰτίων.

[2]) Clem. *Op. cit.*, lib. VI, c. 7, et Orig., *Op. cit.*, ibid.

[3]) *De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 1; cf *Enarr. in Ps. CXXXV*, n. 8.

se, quia sola Revelatio Christiana veram, integram, et ad aeternam beatitudinem ducentem scientiam rerum divinarum, et humanarum complectitur [1]. Quocirca, si quando ipsi aliud esse philosophiam, aliud religionem negant [2], non id sibi volunt religionem omnino eamdem esse cum philosophia stricte accepta, uti Rationalistae obganniunt [3], sed religionem esse veram, germanamque sapientiam, quae homines ad aeternam salutem ducit.

Restat, ut quae munera obeunda philosophiae esse ss. Patres existimaverint, exponamus. Haec discere nobis licet ab uno Clemente Alex., si quidem disputatis ab eo posteriores Patres nihil, quantum scimus, adiecerunt. Iam, Clemens, quem iisdem fere verbis Origenes excripsit, in primis inculcavit philosophiam, veluti *προπαιδίαν*, quae latine *anteinstitutio* reddi potest, ad Fidem se habere, quippe quod ipsa nobis omnia suppeditat, quae ad veritatem Revelationis divinae demonstrandam, et a cunctis superstitionibus discernendam expostulantur [4]. Ipse etiam, quemadmodum artes liberales ad philosophiam, ita philosophiam ad sapientiam, sive, ut hoc in loco sapientiam accipit, scientiam Fidei multum conferre scripsit. « Sed, quemadmodum, subdit, liberales, quas vocant « ἐγκυκλίους, hoc est, *circulares*, disciplinae conferunt ad « Philosophiam, quae est ipsarum domina: ita etiam ipsa « Philosophia ad parandam conducit Sapientiam . . . Est « enim Sapientia domina philosophiae, sicut illa illius,

---

[1]) Id Petavius monuit (*Dogm. theol.*, Proleg., c. 4). Loca PP. ad hanc rem collegit Dietelmair, *De Religione Christiana philosophiae nomine a veteribus compellata*, Altonae 1740.

[2]) Ita s. Augustinus ait: « Sic enim creditur, et docetur quod « est humanae salutis caput, non aliam esse philosophiam, id est « sapientiae studium, et aliam religionem »; *De vera relig.*, c. V, n. 8.

[3]) E. g., Tailliandier in Ephem., *Revue des deux Mondes*, Août 1853.

[4]) . . . *προπαιδεία τις οὖσα τοῖς τὴν πίστιν, δι' ἀποδείξεως καρπουμένοις*; *Strom.* lib. I, c. 5.

« quae praecedit, disciplinae [1] ». Quin immo, Clementis iudicio, philosophia Christianae Fidei, sive, ut scribit, τῇ βασιλικωτάτῃ διδασκαλίᾳ, *maximè regali doctrinae*, viam sternit, non solum quod intellectum erudit, sed etiam quod voluntatem perficit. « Quod si non comprehendit quidem Graeca philosophia veritatis magnitudinem, et est « adhuc imbecilla ad mandata Domini exequenda, et maxime regali quidem doctrinae viam praeparat, utcumque castigans, et mores prius formans, et ad susciendam veritatem confirmans eum, qui opinatur esse « Providentiam [2] ».

Illud quoque Clemens frequenter advertit e graecae philosophiae promptuario multa arma nobis suppetere, quae et ad Fidem adversus Sophistarum cavillationes tegendam, et ad osoribus eius nocendum multum momenti habent. « Est autem, inquit, per se perfecta, et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit *Dei virtus*, « *et sapientia*; accedens autem Graeca philosophia, veritatem non facit potentiorem; sed cum debiles efficiat Sophistarum adversus eam argumentationes, et « propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est

---

[1]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 5. Hanc locum fere exscripsit Origenes in *Epistola ad Gregorium Thaumaturgum*: « At ego te omnibus « bonae tuae indolis viribus incumbere velim in christianam doctrinam ut finem, ad hunc vero assequendum a te optarim quasi « auxilium e Graecorum philosophia adhiberi ea quae ceu circulares disciplinae, et ceu praeludia ad christianismum esse « possunt; nec non e geometria et astronomia quaecumque ad sacras interpretandas litteras conferent, ut quod de geometria, « musica, grammatica, rethorica, et astronomia philosophi praedicant, tanquam philosophiae adiutricibus, id nos de philoso« phia respectu christianismi dicamus » (*Opp.* ed. cit., vol. I, p. 30). Hae disciplinae, quas Origenes hoc in loco enumeravit, et quarum mentionem in *Strom.* Clemens saepe fecit, *circulares* a Philone (*De Cong. erud. quaer. gratia*, p. 435, Genev. 1613), aliisque antiquis appellatae fuerant, quia ἐγκύκλιον παιδείαν *encyclopediam*, sive *orbem disciplinarum* (Clem. Alex., *Strom.* lib. I, c. 20) constituunt, quas studio philosophiae praemittendas esse censebant.

[2]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 16.

« *vineae* apta *sepes*, et vallus [1] ». Atque alio in loco ostendere volens, quosnam fructus e disciplinis encyclicis Gnosticus, hoc est, qui scientificam cognitionem fidei callet, capere debeat, scribit: « Praecipua enim est « ei omnium rerum cognitio. Per consequentiam ergo « iis quoque attendit quae exercent ad cognitionem, su« mens ex unaquaque disciplina id quod confert ad ve« ritatem »; et, postquam per singulas disciplinas discurrit, conclusit hunc in modum: « Non erit igitur eo« rum ignarus, quae ad Encyclicas disciplinas, et Grae« cam philosophiam percipiendas conducunt; sed haec « non addiscet primario, ac sui gratia, sed secundaria « quadam ratione, necessitate ac circumstantiis id exi« gentibus. Quibus enim improbe et malitiose utuntur « haeresium patroni, iis recte utetur Gnosticus [2] ». « Quem« admodum autem, alibi subdit, in agricultura, ita etiam « in medicina, ille utiliter didicit, quin varias attigit di« sciplinas, ut possit melius colere, et curare: ita hic « etiam eum bene et utiliter eruditum existimo, qui « omnia refert ad veritatem, adeo ut ex Geometria, et « Musica, et ex Grammatica, et ipsa Philosophia colli« gens quod utile est, tutam ab insidiis servet fi« dem [3] ».

Denique philosophia, eodem Clemente Alex. aiente, quoque illud efficit, ut fides formam scientiae induat, ob idque simplex fidelis a Theolo godistinguatur. Nam philosophia ad nexum, quo dogmata Fidei continentur, cognoscendum nos adiuvat, idoneosque nos reddit, ut dogmata eius, quae vires humanae mentis non excedunt, momentis rationis obfirmemus, et quae humanae menti sunt impervia, argumentis *analogicis*, quoad fieri potest, declaremus. Ex quibus fit, ut fides in *firmam quamdam*, *et stabilem*, τινα βεβαιαν, καὶ

---

[1]) *Op. cit.*, c. 20. Cf *Ibid.*, lib. I, c. 5.
[2]) *Op. cit.*, lib. VI, c. 10.
[3]) *Op. cit.*, lib. I, c. 9.

ἀμετάπτωτον, cognitionem convertatur [1], et per hanc *verae perceptionis persuasio*, πεῖσμα τῆς ἀληθοῦς καταλήψεως, in animo gignatur [2].

Hic pronum nobis foret infinita Patrum loca adducere, quae haec decreta Clementis de usu philosophiae in rebus Fidei comprobant, et declarant : sed cum id natura *Introductionis* minime patiatur, dumtaxat cum s. Augustino adnotabimus hoc certe in causa fuisse, cur quique sanctissimi Ecclesiastici Scriptores, tanquam Hebraei spoliis Aegypti, graecae philosophiae suppellectilem sane divitem adeo vehementi animi studio conquirerent. « Nam quid aliud, ait, fecerunt multi boni fideles nostri ? Nonne aspicimus quanto auro et argento, et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus doctor suavissimus, et martyr beatissimus ? quanto Lactantius ? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam ? quanto innumerabiles Graeci ? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum (*Act.* VII, 22) [3] ».

Ast Ecclesiae Patres, ut ante vidimus, quamvis emolumenta graecae philosophiae diserte recensuissent, eiusque studium valde commendarent ; tamen vitia singularum sectarum detegere, et confutare haud destiterunt. Ex quo factum fuit, ut sectae Philosophorum vel omnino silerent, vel christianum nomen ementirentur. Id certe de sua aetate s. Augustinus scriptum reliquit. « Quos (*errores gentium*), inquit, iam certe nostra aetate sic obmutuisse conspicimus, ut vix iam in scholis rethorum commemoretur tantum quae fuerint illorum sententiae; certamina tamen etiam de loquacissimis Graecorum gymnasiis eradicata, atque compressa sunt, ita ut si

---

[1]) *Op. cit.*, lib. VI, c. 7. Cf s. Aug., *Ep.* CXX *ad Consentium*, c. I, n. 3, et 4.

[2]) *Op. cit.*, lib. I, c. 2. Legere iuvat totum caput.

[3]) *De Doctr. christ.*, lib. II, c. 40, n. 61. E re est legere eiusdem capitis n. 60.

« qua nunc erroris secta contra veritatem, hoc est, con-
« tra Ecclesiam Christi emerserit, nisi nomine cooper-
« ta christiano, ad pugnandum prosilire non audeat [1] ».

Sed Philosophia graeca pene interiit, cum ob edictum, quod Iustinianus ineunte sexto saeculo evulgavit, Scholae Athenis clausae sunt, et Diogenes, Hermogenes, Simplicius, aliique, qui illis praeerant, exularunt. Christiana autem, ob barbarorum incursiones, leves, et fere nullos progressus a sexto saeculo usque ad nonum, in quo Scholastica philosophia efflorescere coepit, assecuta est, eiusque historia non aliud nobis exhibet, nisi lenta quaedam conamina, per quae philosophia Patrum novam formam in Scholis mediae aetatis accepit. Quandoquidem philosophia scholastica, Platone, perinde ac reliquis Philosophis, parum adhibito, fere uni Aristoteli adhaesit, necesse est, ut fata philosophiae platonicae, et aristotelicae iam ab interitu Platonis, et Aristotelis repetita breviter enarremus.

Neminem profecto fugit successores Platonis in Academia ad scepticismum, hoc est, ad illam philosophandi institutionem, quae nihil certi de naturis rerum cognosci posse profitetur, delapsos fuisse, idque ex eo enatum esse, quod scepticismus, ut suo loco ostendemus, ex pronuntiatis Platonis sponte sua fluit. Namque, ut nihil de Speusippo, primae academiae auctore [2], dicamus, Arcesilas, et Carneades secundae, et tertiae academiae conditores, ut alias dicemus, scepticismum promoverunt, ut ne illud ipsum quidem, *nihil sciri potest*, quod unum scire Socrates professus fuerat, sciri posse autumarent [3]. Hanc effraenam dubitandi rationem emolliverunt, sed non

---

[1]) *Epist.* CXVIII *ad Dioscorum*, n. 21.

[2]) De hoc, aliisque, qui ad primam academiam pertinent, videsis Laertium, lib. IV, segm. 1 sqq, et Numenium, *De Academicorum a Platone divortio* apud Eusebium, lib. XIV, c. 5.

[3]) Vid. Cic., *Acad. Quaest.*, lib. II, c. 5, ed. Ernesti, et *De Orat.*, lib. III, c. 18; Laert., lib. IV, segm. 28; Numenium apud Eusebium, *ibid.* c. 7.

omnino deseruerunt Philo, et Antiochus, quorum illum quartae, hunc quintae academiae institutorem fuisse nonnulli veteres perhibent[1]. Post Antiochum, cum philosophia Platonis, quae iamdiu ab instituto exciderat, ipsa Academia, Seneca teste[2], pene evanuit, nec rursus in scenam ante prodiit, quam Plotinus, saeculo tertio, scholam recentium platonicorum, sive, ut aiunt, neoplatonicorum condidit. At Scholae Neoplatonicorum, quae usque ad edictum Iustiniani perdurarunt, puram Platonis doctrinam non tradidere, sed Platonem cum Aristotele conciliare studuerunt. Enimvero, e recentibus platonicis, ut suo loco ostendemus, alii, uti Porphyrius, commentarios in libros Aristotelis elucubrarunt; aliis, ut Proclus, eiusque successores Platonis, et Aristotelis pronuntiata secum componere conati sunt; alii, ut Ammonius, Aristotelem Platoni praetulerunt. Res eo adducta est, ut per Ioan. Philoponum, Simplicium, et alios Plato in Scholis neoplatonicis locum Aristoteli cederet[3].

Aristoteles, si Dicaearchum[4], Aristoxenum[5], Stratonem Lampsacenum[6] materialismi fautores, exceperis, multos habuit discipulos, in primis Theophrastum, et Eudemum, eorumque usque ad Critolaum in schola peripatetica[7] successores, qui puram Aristotelis doctri-

---

[1]) Cf Sext. Emp., *Pyrrh. Hypoth.*, lib. 1, c. 33 sqq, et Numenium apud Euseb., *ibid.*, c. 4.

[2]) « Itaque tot familiae Philosophorum sine successore defi« ciunt. Academici et veteres et minores nullum antistitem reli« querunt »; *Nat. Quaest.*, lib. VII, c. 32, ed. cit.

[3]) Opera neoplatonicorum, quos hic nominavimus, veterumque de illis testimonia passim in hoc opere dabimus. Interea confer, si lubet, Ravaisson, *Met. d' Arist.*, part. IV, lib. I, c. 3, voll. II, p. 538 sqq, Paris 1846.

[4]) Cons. Dodwell, *De Dicaearcho, eiusque fragmentis*, apud Hudson, *Geographiae vet. scriptores graeci minores*, Oxonii 1698-1712.

[5]) Vid. Mahne, *Diatr. de Aristoxeno phil. peripatetico*, Amstelod. 1793.

[6]) Vid. Schlosser, *De Stratone Lampsaceno, et atheismo vulgo ei tributo*, Wittemb. 1728.

[7]) Vnde nomen *peripateticae* in scholam Aristotelis derivatum

nam tradiderunt [1]. Commemoratione maxime digni sunt innumeri Interpretes operum eius. Horum cohors a Theophrasto, Aristotelis discipulo, usque ad Simplicium, qui Athenis in Schola neoplatonica, sub initium saeculi sexti docebat, ab eaque ob edictum Iustiniani exulavit deducenda est [2].

SS. Patres, et reliqui Scriptores Ecclesiae, qui primis hisce saeculis floruerunt, etsi nulli sectae, uti ostendimus, sese addixissent, tamen saepius Platonem, quam Aristotelem, ceterosque Philosophos secuti sunt. Nam, cum ipsi, quemadmodum diximus, non quidem integrum philosophiae systema tradere sibi proponerent, sed pronuntiata philosophica, quae ad doctrinam a Deo revelatam quodammodo referuntur, in Graecorum philosophorum libris exquirerent, ea apud Platonem maxime inveniebant, quia decreta platonica de Deo, eiusque Providentia, de animorum immortalitate, de finibus bonorum, et malorum, et de alterius vitae praemio, vel poena minus corrupta, quam aristotelica, aut stoica, sunt. Hoc vero Platonem, ut vidimus, ex eo consecutum esse arbitrati sunt, quod ipse in suis peregrinationibus e doctrinarum divinarum populi iudaici fonte bibisset [3]. Nihilominus, cum ad impetus hostium Christianae Fidei propulsandos armis opus eis erat, illa e logices aristotelicae penu sumebant [4], et quoties Mysteria ss. Trinitatis, et Incarnationis, quantum imbecillitas mentis humanae patitur, declarare, et ab

---

sit, discito a s. Augustino: « Aristoteles sectam Peripateticam « condidit, quod deambulans disputare consueverat »; *De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 12.

[1]) Cons. Brucherum, *Op. cit.*, Period. I, part. II, lib. II, sect. 2, t. I, p. 840 sqq.

[2]) Cons. Saint-Hilaire, *La logique d'Aristot.*, part. III, sect. III, c. 6, t. II, p. 139-158. Paris 1838. — [3]) Vid. p. 28, 29.

[4]) Non defuit inter illos, qui praecipua capita logicae aristotelicae traderet, et explicaret. Huius rei exemplum, ut in *Logica* videbimus, est Fragmentum libri octavi *Stromatum* Clementis Alexandrini.

haereticorum cavillationibus vindicare cogebantur, ad doctrinas Aristotelis de facultatibus animae, de diversis modis, quibus haec verum assequuntur, et de coniunctione animae, et corporis, aliisque ad naturam hominis spectantibus confugiebant. Haec, quae in nostro hoc, qualecumque futurum erit, opere passim patefaciemus, ss. Patres, si Platonis sententias saepe laudarunt, philosophiae Aristotelis quoque operam navasse, eamque ad commodum doctrinae Christianae adhibuisse luculenter ostendunt.

Verum, quum Scriptores Ecclesiastici dogmata Christianae religionis, ope philosophiae, ad iustam scientiae formam revocare voluerunt, atque hunc ob finem vel universae philosophiae compendium, vel aliquam partem eius tractarunt, Platone, ceterisque Philosophis parum, aut nihil consultis, Aristotelem ducem secuti sunt. Etenim in Platonis operibus multa huc illuc praeclare disputata, sed non corpus logicae, neque idcirco, ut recens Rationalista fassus est [1], ullum integrum systema philosophiae inveniebant. Contra ea, solus Aristoteles non modo logicam omnibus numeris absolutam, sed etiam alios libros, in quibus, aiente Rogerio Bacone [2], omnes philosophiae partes fuse, et subtiliter tractavit, illis suppeditabat. Quapropter quisquis e scriptoribus ecclesiasticis vel doctrinas a Deo revelatas ad scientiae formam redigere, vel aliquam partem philosophiae ad usum scientiae rerum a Deo revalatarum tradere sibi proposuit, ad libros Aristotelis confugere coactus est. Accedit his quod, ut mox videbimus, systematum philosophicorum discrimen ex iis quae de cognitionis humanae origine, et de vi rationis ad verum cognoscendum tradunt, repeten-

---

[1]) *Hist. de l' école d' Alexandrie*, Concl., t. II, p. 626, et 627, Paris 1845.

[2]) « Nam de famosis philosophus solus Aristoteles cum sua fa« milia vocatus est iudicio omnium sapientum, quoniam ipse « omnes partes philosophiae digessit secundum possibilitatem « sui temporis »; *Opus maius*, pars I, c. 3, p. 7, ed. Iebb, Londini 1733.

dum est. Iamvero, theoria platonica cognitionis humanae pronuntiatis de praeexistentia animarum, de reminiscentia, aliisque nititur, quae, cum Revelationi Divinae adversentur, a ss. Patribus solide refutata sunt, et veluti teterrimarum haeresum seminarium spectata. Ergo fieri non poterat, ut ullus Scriptor Christianus pronuntiatis philosophiae platonicae ad scientiam Fidei, sive *theologiam* construendam uteretur.

Quamvis hoc propositum constituendi philosophiam, dogmatis Revelationis Christianae non modo non adversam, sed etiam declarandis, et inter se connectendis accommodatam, saeculo octavo ab Alcuino, eiusque Schola, Carolo M. favente, coeptum sit; tamen a sexto saeculo exeunte usque ad octavum quaedam haud spernenda tentamina illi operi viam stravere, quae ss. Patrum, et maxime s. Augustini nullo tempore intermissae lectioni debentur [1].

Re vera, Claudianus Mamertus, Presbyter Viennensis, saeculo quinto tres libros *De Anima* elucubravit [2]. Marcianus Capella eodem saeculo in suo *Satyrico* [3] septem disciplinas, quae, ut inferius dicemus, sub *trivii*, et *quadrivii* nominibus in media aetate excultae sunt, tradidit. Sub finem quinti, et initium sexti saeculi Severinus Boëtius, praeter nonnulla opuscula philosophica, quosdam libros logicos Aristotelis e graeca in latinam linguam vertit, quosdam vero commentariis illustravit [4]. Cassiodorus, Boëtio aequalis, librum *De septem disciplinis*, sive artibus liberalibus, quas diximus, scripsit [5]. Isidorus Hispalensis,

---

[1]) Nemo certe nescit, praeter opera genuina s. Augustini, in quibus de omni philosophiae controversia, data occasione, disputatur, eius nomine divulgata fuisse *Principia dialecticae*, et *Categoriae decem*, quae genuinus foetus eius non sunt. Extant ad calcem vol. I *Opp.* sancti Doctoris, ed. Maur. Parisiis 1689.

[2]) *De statu animae cum nott. Barthii*, Cygneae 1655.

[3]) *Satyricon, sive de Nuptiis inter Philologiam et Mercurium, et de septem artibus liberalibus*, studio Frid. Kopp., Francofurt. 1836.

[4]) *Opp.*, ex Offic. Henricpetrina, Basileae 1570.

[5]) *Opera*, ed. Garetius, t. II, Rothomagi 1679.

labente sexto saeculo, et ineunte septimo, viginti libros *Originum*, sive *Ethymologiarum* exaravit, in quibus non solas ethymologias sectatur, sed omne fere eruditionis genus persequens multa ad philosophiam, et mathematicas disciplinas spectantia breviter exposuit [1]. Saeculo octavo praecipua commemoratione digni sunt vener. Beda ex Anglia, et s. Ioannes e Damasco. Ille enim, cuius immensa eruditio ab omnibus celebrata fuit, *Commentarium in Boëtii consolationem de philosophia*, *Libros quatuor de philosophia*, *Sententias ex operibus Aristotelis, et Ciceronis*, *Axiomata Aristotelis*, aliaque philosophica scripsit [2]. Hic vero, praeterquam quod, si non primus, certe inter primos extitit, qui philosophiam aristotelicam ad scientiam Fidei, seu theologiam construendam data opera adhibuit, *Capita philosophica*, quae dialecticam ex Aristotelis *Organo* haustam exhibent, et dissertationes *De animae partibus tribus*, *virtutibus quatuor*, et *de facultatibus* evulgavit [3].

Verum, saec. octavo Alcuinus, sive Albinus, quem Carolus M. e Britanniae finibus in Galliam arcessivit, in instaurandis, promovendisque scientiarum, et artium studiis vehementer adlaboravit, et Scholam Palatii instituit, quae ad Regis, aliorumque ex eius domo instructionem destinabatur [4]. Inter eius opera [5] extant non pauca philosophica *De dialectica*, *De natura*, *et immortalitate animae*, *De septem artibus*, *De ratione animae*, et huius generis alia.

Ob conatus Caroli M., necnon Ludovici Pii, et Caroli Calvi multae his temporibus surrexerunt Scholae, puta Lugdunensis, Fuldensis, Corbiensis, Rhemensis,

---

[1]) *Ethymologiarum libri XX*, *Opp.*, ed. Arevalus, t. I et II, Romae 1797-1803.—[2]) *Opp.* t. I, et II, Coloniae 1688.

[3]) *Opp. omnia*, ed. Lequien, Parisiis 1712.

[4]) De Alcuino, praeter Mabillonium, *Acta Sanctorum Ord. s. Benedict.* t. V, Parisiis 1668-1701, et *Histoire litt. de France*, t. IV, legesis Fr. Lorenz, *Historia polit., ecclesiast, et literar. aetatis caroloving.* (germ.), Halis 1829.

[5]) Ed. Frobenius, Ratisbonae 1777.

aliaeque [1]. In huiusmodi Scholis, et praesertim in Schola Palatii, philosophiam traditam fuisse testantur et elogia Scriptorum coaevorum, et opera, quae extant, illustrium Virorum, qui illis praefuere [2]. Inter hos extiterunt Magistri, quantum illius aetatis conditio ferebat, in primis eruditi Rabanus Maurus [3], Alcuini discipulus, Henricus Antissidiorensis [4], Scotus Erigena [5], Gerbertus, qui Pontifex fuit nomine Sylvester II [6], aliique non pauci usque ad undecimum saeculum [7]. Illud, antequam ad aliam aetatem progrediamur, notandum est septem fuisse disciplinas, quae in hac prima aetate tradebantur, easque in *trivium*, et *quadrivium* esse divisas. Trivium inferiores artes liberales comprehendebat, nempe *grammaticam*, *rethoricam* et *dialecti-*

---

[1]) Videsis Ioan. Launoium, *De scholis celebribus a Carolo M., et post Carolum M. in Occidente instauratis*, Hamburgi 1717.

[2]) Quandoquidem philosophia, quae in tota media aetate viguit, ab his Scholis initium sumpsit, ideo *scholastica* nuncupata fuit. Vox vero, *Scholasticus*, quae, vigente adhuc sermonis puritate, modo *discipulum*, modo *praeceptorem* significavit, in aetate, de qua agimus, ad doctorem praecepta artium, et philosophiae in scholis publicis Ecclesiarum cathedralium, et monasteriorum tradentem designandum adhibita fuit. Cons., ne multos nominemus, Brukerum, *Op. cit.*, Period. II, part. II, lib. II, c. 3, sect. 2, t. III, p. 709-711.

[3]) Cf *Fragmenta super Porphyrium*, quae Cousinius ex cod. mss. sangermanensi 1810, Bibl. Reg. Paris. evulgavit in suo opere *Fragm. de phil. scol.*; *Oeuvr. Phil.*, 3e ser. t. II, p. 84-88, et *Appendice*, n. 1, p. 245-252, Parisiis 1846.

[4]) Legenda sunt *Fragmenta*, quae Cousinius ex eius Glossis *super Isagogen* (*Op. cit.*, p. 89-96), et Haureavius ex Glossis *super Decem Categorias* (*Histoire de la Scolastique*, c. 6, t. I, p. 140, Parisiis 1850) evulgarunt.

[5]) *De divisione naturae*, ed. Schltuerus, Monasterii Guestphalorum 1838.

[6]) Vid. eius tractatum, *De rationali et ratione uti*, quod edidit Bernardus Petzius, *Thesaurus anecdotorum novissimus*, t. I, Aug. Vindel. et Graecii 1721. Consulere iuvabit Hock, *Histoire du Pape Sylvestre II, et de son siècle*, trad. de l'allem., et annot. par I. M. Axinger, Paris 1820.

[7]) De hisce Philosophis consuli potest Cousinius, *Ouevr. inédit. d'Abèlard*, Introd., Paris 1836.

cam; quadrivium vero superiores, scilicet *musicam*, *arithmeticam*, *geometriam* et *astronomiam* [1]. Origo trivii, et quadrivii a Marciano Capella repetenda esse videtur; hic enim, ut diximus, in suo *Satyrico* de septem artibus liberalibus egit, atque hae illae ipsae sunt, quas trivio, ac quadrivio Scholastici comprehenderunt. Quocirca trivium, et quadrivium a Marciano Capella per Cassiodorum, et Isidorum Hispal. ad Scholasticos promanasse probabile est [2]. Hae septem artes liberales, ut patet, fere eaedem sunt, ac illae, quas Patres post Philonem, aliosque antiquos *encyclicas* vocarunt, sed illud magni momenti discrimen inter Patres, et Scholasticos intercedit, quod artes liberales, quas Patres, secundum Pythagoram [3], et Philonem [4], tanquam προπαιδεύματα, *rudimenta*, seu apparatum ad philosophiam habebant, Scholastici ad theologiam transtulerunt [5].

Saeculo undecimo, celeberrima controversia, quae de natura universalium inter Scholasticos exarsit, in causa fuit, cur philosophia angustos limites, intra quos detinebatur, egrederetur, laetioraque fata haberet. Ne cunctos saeculorum undecimi, et duodecimi summos viros enumeremus, satis erit nominasse Willelmum Campellensem [6], Roscellinum [7], Abaelardum [8], s. Anselmum [9],

---

[1]) Cf Ioan. Sarisberey, *Metalogicus*, lib. I, c. 12, p. 758, Lugd. Batav. 1630, et Dantem Aligh., *Convito*, trat. II, c. 14, *Opp.* vol. I, p. 213 sqq, Napoli 1839.

[2]) Vid. Hauréau, *Op. cit.*, c. 1, t. I, p. 18 sqq.

[3]) Cf Stob., *Sermones*, Serm. XLI, Aureliae Allobrog. 1609.

[4]) Vid. p. 54, not. 1.

[5]) Cons. Bruckerum, *Hist. crit.*, Period. II, part. 2, lib. II, c. 2, § 26, vol. III, p. 594 sqq.

[6]) Fontes, ex quibus Guilielmi doctrina hauriri potest, videre licet apud Patru, *Willelmi Campellensis de natura, et origine rerum placita*, Parisiis 1847.

[7]) De Roscellino cf Ioannem Sarisber., *Metalog.*, lib. II, c. 17, p. 814-837, ed. cit., et *Policraticus*, lib. VII, c. 12, p. 447, Lugd. Batav. 1639; Othonem Frising., *De gestis Friderici I*, lib. I, c. 46 sqq, Basileae 1569, et s. Anselmum, *De Fide Trinit. contra blasphemias Roscellini*; *Opp.*, p. 41 sqq, ed. Gerberon, Parisiis 1721.

[8]) *Opera*, ed. Cousin, Parisiis 1849. — [9]) *Opera*, ed. cit.

qui in controversia universalium magnum nomen sibi compararunt. Hugo autem, et Richardus a s. Victore, nec non idem s. Anselmus, aliique inferioris subsellii multas quaestiones ad Deum, ad homines, et ad relationes, quas homines cum Deo habent, pertinentes egregie tractarunt [1].

Sed saeculo decimotertio, cum cuncta opera Aristotelis in varias Europae regiones importata fuissent, philosophia scholastica celeres, incredibilesque progressus assecuta est [2]. Constat enim ante saeculum decimumtertium non alios antiquae philosophiae fontes Scholasticis patuisse, quam *Thimaeum* cum commentariis Chalcidii [3], et fortasse *Phaedonem* Platonis, *Categorias*, et *De interpretatione* Aristotelis, et *Isagogen* Porphyrii ad Categorias, et cum his s. Augustini, Marciani Capellae, Cassiodori, et maxime Boëtii [4] opera, quae recensui-

---

[1]) De Scholasticis huius aetatis legendi sunt idem Cousinius, in sua *Introd. aux Oeuvr. inèdit. d'Abélard*, ed. cit.; Patru, *De la philosophie du moyen âge depuis l' VIII siècle jusqu' à l' apparition en Occident de la physique, et de la métaphysique d' Aristote*, Paris 1848; Hauréau, *Op. cit.*, c. 8-12, t. I, p. 171 sqq.

[2]) Vtrum opera Aristotelis ab Oriente per Graecos, qui a philosophia excolenda numquam destiterunt, in Occidens importata sint, an per Arabes ab Hispania in reliquas Europae regiones propagata, diu inter eruditos disputatum est. At Car. Jourdain causam Arabum adeo egit, ut nullum dubitationi locum reliquisse videatur. Vid. huius opus, *Rècherches critiques sur l' âge et l' origine des traductions latines d' Aristote et sur les commentaires grecs ou arabes employès par les Scolastiques*, ed. 2, Paris 1843.

[3]) Ed. Meursius, Lugduni Batav. 1617, et Fabricius ad calc. *Opp.* s. Hyppoliti, Hamburgi 1718. De Calcidio, quam Archidiaconum Osii Episc. Cordubensis fuisse ferunt, legi possunt Bruckerus, *Opp.* cit., Period. II, part. II, lib. 1, c. 3, § 23; Cousin, *Fragm. de phil. Scolast.*, ed. cit., et Martin, *Études sur le Timée de Platon, Notice bibliogr.*, part. 1, seç. 5, § 2, n. 6, t. II, p. 398, et 399, Paris 1841.

[4]) Huius autem tantum *Isagogen*, et *Hermeneiam* cum commentariis innotuisse Scholasticis certum videtur. Nam Abaelardus aperte scripsit: « Aristotelis enim duos tantum, praedicamento-

mus [1]. At sacculo decimotertio Opera Aristotelis, et Glossae Theophrasti, Alexandri Aphrod., Simplicii, et Philoponi una cum Arabum Philosophorum commentariis [2] latine reddita [3], in promptu Scholasticis fuere, illisque addendus est *Liber de Causis*, qui per eosdem Arabes Scholasticis innotuit [4]. Inde extitit celebratissima illa philosophiae scholasticae aetas, in qua Alexander Halensis,

---

rum scilicet, « et periermeñias libros, usus adhuc Latinorum « agnovit »; *Dialect.* p. 228, *Opp.*, ed. Amboesius, Parisiis 1616.

[1]) Legere e re est de hac controversia Jourdain, *Op. cit.*, et Cousin, *Oeuvres inèd. d' Abèlard*, Introd., ed. cit.

[2]) D' Herbelot (*Bibliot. Orient.*, voc. *Roschd.* Maestricht 1776), post Augustinum Niphum (*In lib. de subst. Orbis*, fol. 2, Venetiis 1508), Patritium (*Discuss. peripat.*, lib. XII, p. 106, Venetiis 1571), Sigonium (*Opp.* t. II, p. 706, Mediolani 1732), ceterosque saec. XVI, et XVII scriptores Averroem, primum omnium, libros Aristotelis e graeco in arabicum transtulisse scripsit. Eum secuti sunt, praeter alios, Buhle (*Opp.* Arist., Prolegom. t. I, p. 323, et 346, Biponti 1791), Harles (apud Fabric., *Bibl. graec.*, t. III, p. 306), Tennemannus (*Encycl.* Ersch, et Gruber, art. *Averroë*), et Middeldorps (*De institutis litt. in Hisp., quae Arabes auctores habuerunt*, p. 67, et 68, Gottingae 1810). At exploratum est 1° libros Aristotelis tribus ante Averroem saeculis arabice redditos fuisse; quocirca falsus quoque est Degerandus, qui Averroem ex syriaco in arabicum Aristotelem vertisse scripsit; 2° libros Aristotelis non ex graeco, sed ex syriaco idiomate in arabicum versos fuisse; 3° nec Averroem, nec ullum alium Arabem hispanum graecam linguam calluisse (Cons. Ernest. Renan, *Averroès, et Averroisme*, c. 1, § 6, p. 36 sqq, Paris 1852). Renan Degerandum iniuria accusavit, quod Averroem e graeco Aristotelem vertisse asseruit; nam Degerandus (*Hist. compar.*, c. 24, t. IV, p. 245, Paris 1822) aperte scripsit Averroem e syriaco idiomate Aristotelem vertisse, quia textum graecum legere neutiquam potuit. De traductoribus arabicis Aristotelis legere iuvabit Fluegel, *Dissert. De Arabicis scriptorum graecorum interpretibus* 1841, et S. Munk in litteris arabicis eruditissimus, *Mèlanges de philosophie juive, et arabe*, 2e livr., n. III, Introd. p. 313 sqq, Paris 1859.

[3]) Versionum arabicarum Aristotelis in latinam linguam praecipui auctores fuere Michaël Scotus, et Hermannus Alemannus. Vid. de his eumdem Renan, *Op. cit.*, c. 2, § 2 et 3, p. 162 sqq.

[4]) De hoc libro legesis Ravaisson, *Metaphys.*, part. IV, c. 3, p. 555 sqq, vol. II, et Haureau, *Op. cit.*, c. 3, t. I, p. 384 sqq.

B. Albertus M., s. Thomas, s. Bonaventura, Henricus Gandavensis, et Scotus floruerunt. Arabes Commentatores, qui nomen sibi compararunt, quique a Scholasticis passim citantur, sunt Avicenna, Avicebron, Avempace, et Averroe, iisque addi possunt Alfarabi, et Algazel, quorum mentio apud eos quoque occurrit [1]. Illud notandum est Avicebronum auctorem libri, qui *Fons vitae* inscribitur [2], non fuisse philosophum arabem, uti omnibus eruditis usque ad hanc aetatem persuasum fuit, sed iudaeum; hoc enim doctissimus Munk luculenter demonstravit [3]. Arabum *Commentarii*, necnon libri *Fons vitae*, et *De Causis*, quamvis non paucos errores scaterent, tamen haud parvo adiumento Scholasticis fuere, ut philosophiam Aristotelis probe intelligerent. Ipsi vero Patrum doctrinis adiuti errores, quos cum in libris Aristotelis, tum in commentariis Arabum inveniebant, emendarunt, lacunas philosophiae aristotelicae expleverunt, atque hoc pacto amplum, absolutumque systema philosophiae christianae sibi compararunt, quod scientiae Revelationis Divinae, nempe *Theologiae* inservire posset. Cum haec fuerit aetas, in qua philosophia scholastica omni ex parte absoluta est, et ad culmen suum usque excrevit, ex huius aetatis Scriptoribus germana eius natura dignoscenda est [4].

---

[1]) De his erudite egit idem Munk, *Op. cit.*, § 1-7, p. 339-458, et in *Lex philos.*, quod Ad. Franck nuper edidit Parisiis 1844-1852. Al-farabii duo opera arabice, et latine recens evulgavit Schmölders, *Documenta phil. Arab.*, Bonnae 1836.

[2]) Huius libri, cuius nullum exemplar mss. adhuc inveniri potuit, Munk latinam versionem invenit in Cod. mss. Reg. Bibl. Paris., eiusque analysim exhibuit, *Mèlanges* etc., 1e livrais., n. 11, c. 2, p. 173-232, Paris 1857.

[3]) Vid. *ibid.*, c. 1, p. 151-173. Cf eiusdem articulum in *Ephem. Litterat. Orient.* (germ.), an. 1846, n. 46. Ritterus, qui in sua *Historia phil.* (germ., vol. VIII, p. 94, Hamburgi 1829-1853), Avicebronum inter Arabes numeraverat, argumentis Munkii permotus in *Ephem. litter. Gottingae* (17 april. 1847), et in sua nova *Historia phil. christ.* (t. I, Gotting. 1858) opinionem suam retractavit.

[4]) Historia phil. arabicae inter *desiderata* Eruditorum adhuc

Principio advertendum est Scholasticos scientiam rerum, quae ratione, a scientia rerum, quae Fide cognoscuntur, attente discrevisse, atque illam *philosophiae*, hanc *theologiae* nomine designasse. Philosophia, ut ab eis fuse explicatum est, omnes veritates complectitur, quas homines, duce ratione, de rerum natura, et de Deo rerum auctore cognoscere possunt, theologia autem illas veritates, quas singulari beneficio Deus de se ipso, et de rebus creatis ad se relatis, praeter naturae ordinem, hominibus patefecit, eiusque credendas proposuit. Scholastici hocce discrimen, quod a ss. Patribus [1] didicerant, saepe, et luculenter inculcarunt, ita ut Bruckerum [2], aliosque multos e Protestantium numero confusionem philosophiae cum theologia illis obiecisse incredibile videatur. Omissis Hugonis [3], et Richardi a s.-Victore [4], Al-

---

est. Nam Bruckerus, qui primus hanc spartam exornandam suscepit (*Op. cit.*, Period. 2, part. I, lib. III), et Ritterus, qui post Bruckerum, eamdem operam iterum aggressus est (*Op. cit.*, t. VII, et VIII), diligentissime quidem hac in re versati sunt; sed ob ignorationem linguae fontes philosophiae arabicae consulere non potuerunt. Neque hanc lacunam Schmölders explevit in suo opere *De Scholis arabum philosophorum*, quod ante laudavimus; in hoc enim potius Scholas religiosas, quam philosophicas persecutus est, et ne principum quidem Philosophorum arabum libros legit. Quaedam tentamina philosophiae arabicae e primitivis fontibus hausta Munk nobis praebuit, cum in *Op. cit.*, tum in suis *Adnott.* ad opus Maimonidis, *La Guide des ègarès, Traitè de Thèol., et de Phil.*, par Moïse Ben Maïmoun, publiè pour la première fois dans l' original arabe, et accompagnè d' une traduction française, et des notes etc., Paris 1856.

[1]) Praeter Apologetas antiquos, quos laudavimus, legi possunt Lactantius, *Op. cit.*, lib. III, c. 11, et s. August., *De vera relig.*, c. 5, n. 8.

[2]) *Hist. crit.*, Period. II, part. 2, lib. II, c. 3, sect. 3, § 5, p. 874.

[3]) *De Sacramentis*, Prolog. c. 2, *Opp.* t. III, ed. Canonic. Regul. s. Victoris, Rothomagi 1648.

[4]) *De Trinit.*, lib. I, c. 1, ed. Can. Regul. s. Victoris, Rothomagi 1560. Ex quo loco exscribere lubet haec pauca: « Rerum « itaque notitiam, nisi fallor, modo triplici apprehendimus. Nam « alia experiendo probamus, alia ratiocinando colligimus, alio- « rum certitudinem credendo tenemus ».

berti M. [1], s. Thomae [2], s. Bonaventurae [3], aliorumque sententiis, e re esse putamus praeclarum locum Durandi a sancto-Portiano exscribere; si quidem in ipso non modo cognitionem, quam homo hac in vita per lumen *rationis*, et per lumen *fidei* assequi potest, sed etiam cognitionem, ad quam in altera vita per lumen *gloriae* assequendam destinatur, complexus est his verbis: « . . . Deus, cuius perfecta sunt opera, qui « homini inseruit naturale sciendi desiderium, non re- « liquit ipsum, quantum in se ipso est, imperfectum, « quia potius animam rationalem, quam creavit ad ima- « ginem, et similitudinem suam, et ob hoc sui ca- « pacem, deducit de imperfecto ad perfectum, per mo- « dum congruentissimum revelando alia, et seipsum . . . « Est siquidem triplex modus, quo Deus revelat se i- « psum, et alia, secundum quod sapientia sua scripta est « in triplici libro, scilicet creaturae, scripturae, et vi- « tae. . . . Primus, et infimus modus est, quo Deus « nobis revelat seipsum in libro creaturae, in quantum « naturali lumine intellectus ab inferioribus, et simili- « bus potest homo, licet debiliter, ad aliquam divino- « rum notitiam pervenire. . . . Supremus vero, et per- « fectissimus modus est, quo Deus revelat nobis seip- « sum in libro vitae, id est, in seipso per manifestam « visionem. . . . Sed cum hanc visionem non patitur « status mortalitatis praesentis . . . ideo ex primo mo- « do infimo, et imperfectissimo non deducimur ad su- « premum, et perfectissimum, nisi per medium modum, « quo Deus nobis revelat se ipsum in libro Sacrae Scri- « pturae, in quo revelavit nobis quaedam de seipso, « quae naturalem cognitionem excedunt, in quo praee- « minet primo modo, sed quia non manifeste viden-

---

[1]) *Summa theol.*, Prolog., *Opp.* t. XVI. ed. Jammy, Lugd. 1651.
[2]) *Cont. Gent.*, lib. I, c. 3; et I, q. I, a. 1 ad 2.
[3]) *Breviloq.*, *Prol.*, *Luminaria Ecclesiae*, *Serm.* I; et *De septem donis Sp. S.*, *De dono sapientiae.*

« tur, sed quasi audita creduntur, deficit a supremo, ut « rationabiliter sit inter utrumque quasi medius [1] ».

Ex his nullo negotio coniicere licet, quomodo philosophia a Scholasticis definita sit. Patres, ut diximus, quandoquidem nomine *sapientiae*, cuius studium *philosophiam* vocabant, tum cognitionem humano ingenio partam, tum cognitionem divinitus acceptam plerumque designabant, philosophiam scientiam rerum divinarum, et humanarum in universum definivere. At Scholasticis, qui cognitiones humanas, et divinas ad scientiarum normas revocare studebant, opus fuit philosophiam, nempe scientiam rerum humano ingenio partam ita definire, ut ipsam a Theologia, nempe a scientia rerum divinitus cognitarum luculenter distinguerent. Quocirca, cum definitionem philosophiae a Graecis, et a Patribus traditam amplecterentur, illam ita cogebant, ut de cognitione rerum humanarum, et divinarum, quam ratio humana assequi potest, intelligerent. Id non obscure Hugo a s. Victore innuit, ubi ait: « Iam non so- « lum ea studia, in quibus vel de rerum natura, vel « disciplina agitur morum, verum etiam omnium hu- « manorum actuum seu studiorum rationes non incon- « grue ad philosophiam pertinere dicemus. Secundum « quam acceptionem sic philosophiam definire possu- « mus : philosophia est disciplina omnium rerum hu- « manarum, atque divinarum rationes plene investi- « gans [2] ». Luculentius, et disertius s. Bonaventura secundum triplicem cognitionem, quam cum Durando innuimus, eamdem rem inculcavit. « Cum res, in- « quit, habeant esse in materia, habeant etiam esse in « anima per notitiam acquisitam, habeant etiam esse in « ea per gratiam, et habeant etiam esse in ea per glo- « riam, et habeant etiam esse in arte aeterna, philoso-

---

[1]) *In Sententias theol. Petr. Lombardi commentt. lib. quatuor*, Praef., Venetiis 1586.

[2]) *De erud. didasc.* lib. I, c. 1, *Opp.* t. III, ed. cit.

« phia quidem agit de rebus ut sunt in natura, seu in « anima, secundum notitiam naturaliter insitam, vel « etiam acquisitam, sed theologia tanquam scientia su- « per fidem fundata, et per Spiritum Sanctum revelata « agit et de eis, quae spectant ad gratiam, et gloriam, « et etiam ad sapientiam aeternam [1] ».

Quandoquidem Scholastici philosophiam a Theologia accurate, et constanter discriminasse novimus, veram, germanamque Scholasticae philosophiae indolem exponamus, atque ab eius detractorum calumniis vindicemus necesse est. Sub recentis aetatis initium ii, qui acerrimum, foedissimumque bellum philosophiae scholasticae indixerunt, Scholasticos, neglectis reliquis Philosophis, uni Aristoteli, et, quod turpius est, perperam intellecto, veluti scopulo, fortiter adhaesisse praefracte asseruerunt, et inculcarunt. Horum agmen duxere celeberrimi quatuorviri Erasmus Roterodamus [2], Ludovicus Vives [3], Iacobus Faber [4], et Marius Nizolius [5], quos hanc ob causam de philosophantium coetu, atque universo orbe erudito immortaliter meritos fuisse Bruckerus, infensissimus hostis philosophiae Scholasticae, scripsit [6]. Ne cuncta ipsorum scommata, conviciaque exscribamus, satis erit pauca ex Vivesio afferre. « Primum, inquit, graves omnes au- « ctores, et qui parum essent altercationes adiuturi e Scho- « la eiecerunt, tanquam senes et imbellem multitudi- « nem e castris aut urbe obsessa; Platonem dico, Cice- « ronem, Senecam, Plinium, Hieronymum, Ambro- « sium: retenti sunt modo, qui tela conflictatiunculis

---

[1]) *Breviloq.*, Prolog.

[2]) *Elogium moriae*, cum commentt. Listerii etc., ed. Beckerus, Basileae 1780.

[3]) *De causis corruptarum artium*, Neapoli 1764.

[4]) *Opera*, passim, Friburgi 1540, et 1541.

[5]) *Antibarbarus, seu de veris principiis, et vera ratione philosophandi*, ed. Leibnitius, Franc. 1674.

[6]) *Hist. crit.*, Period. III, part. 1, lib. II, c. 1, § 3, t. IV, p. 85.

« illis possent suggerere, Aristoteles, Augustinus, et si-
« miles : ex quibus ea tantum decerpserunt, et quidem
« prave intellecta ac detorta, quae in aciem venirent,
« non eruditam illam, et dignam inquisitione magno-
« rum ingeniorum, sed circulatoriam, et divinatricem,
« quam quivis facile obeat sine libris, sine cognitione
« rerum [1] ».

At in Germania Martinus Lutherus signum belli adversus Scholasticos extulit, et pene infinitam Protestantium copiam ad se revocavit. Quorum plerique, etsi Aristotelem ducem, ut mox dicemus, sectarentur, tamen Scholasticos veluti genuinae philosophiae aristotelicae corruptores despiciebant, cachinnisque lectorum obiiciebant. Hoc iniquum Protestantium iudicium, cui magna cohors recentium philosophorum, praesertim deistarum, et atheorum, plausit, fere usque ad exitum proxime elapsi saeculi perduravit. Non desunt inter nuperos, qui philosophiam scholasticam vel platonismo, vel neoplatonismo cognatam esse autumant. Nonnulli enim, iique praesertim, qui Ontologi dicuntur, cum persuasum eis sit naturam cuiuslibet systematis philosophici ex modo, quo problema de origine idearum solvit, dimentiendam esse, Scholasticos platonicos fuisse contendunt, quippe quod hi παραδείγματα, sive *ideas typicas* rerum in Deo esse, mentemque humanam in illarum intuitione cognitionem rerum assequi secundum Platonem docebant. Nisi quod observatum a Rosminio [2], aliisque est non omnes Scholasticos idealogiae platonicas constanter adhaesisse, quemadmodum s. Anselmum, et s. Bonaventuram prae caeteris praestitisse ipse putavit, sed non paucos, duce s. Thoma, admissa illa idealogia platonica, in reliquis philosophiam Asistotelis secutos esse, nec tamen in illa cum huius pronuntiatis componenda vel

---

[1]) *Op. cit.*, lib. I, p. 41, et 45, ed. cit.; cf *ibid.*, lib. V, p. 159.
[2]) *Aristotele esposto, ed esaminato* Pref. n. 35, p. 49, et 50, not. 1, Milano 1855.

minimum adlaborasse. Alii vero, uti Guentherus [1], eiusque sectatores [2], neoplatonismum in scholastica philosophia latere obganniunt, quia Scholastici gradatam omnium mundanarum rerum emanationem a Deo, more Neoplatonicorum, tradunt, et, cum creationem rerum e nihilo profiteantur, nihilum veluti *suppositum* reale spectant.

Iamvero, diversa haec iudicia, quibus recentes Philosophi tot doctissimis sanctissimisque Viris, ut Leibnitii verbis utamur, insultant [3], prorsus falsa, et iniqua sunt. Et sane, natura cuiusque systematis philosophici, uti Staudenmaierus [4], et Reinkensius [5] scite observarunt, a problemate de origine idearum, sive ab idealogia pendet, quippe quod philosophia ad cognitionem rerum assequendam spectat, et vis cognitionis humanae, uti alias videbimus, oritur a natura instrumentorum, ex quibus ipsa in mente gignitur. Iam, si res ita se habet, nemini dubium esse potest, quin philosophia scholastica aristotelica dicenda sit. Etenim Scholastici, uti toto in hoc opere copiose ostendemus, tum in cognitionis instrumentis enumerandis, tum in viis, per quas ratio humana, illorum ope, verum assequitur, indicandis non aliud praestiterunt, quam ut Aristotelis doctrinam exponerent, tuerentur, amplificarent. Nec aliam philosophiam, nisi aristotelicam, sese sectari ipsimet Scholastici professi sunt: si quidem Aristotelem *Philosophi* nomine sine ulla additione significare solent. At, si hoc certum est, illud est quoque certum, exploratumque Scholasticos non ita Aristo-

---

[1]) Vid. Guenther, *Propedeutica ad theol. specul. christianismi positivi* (germ.), Pars I, quae doctrinam creationis complectitur, p. 68 sqq, et p. 356 sqq, Vindobonae 1828, nec non *Lydia* (germ.), p. 108, Vindob. 1852.

[2]) Vid. Baltzer, *Novae theol.*, ser. 2, epist. IV, Vratislaviae 1853.

[3]) *Systema theologicum*, p. 234, ed. et vert. Emery, Paris 1819.

[4]) *Doctrina ideae cum historia evolutionis idealogiae*, et *doctrinae Logi divini*, p. IX, et X, Giessae 1840.

[5]) *De Clemente presbytero alex. homine, scriptore, philosopho, theologo liber*, c. 4, § 1, p. 275 sqq, Vratislaviae 1845.

teli adhaesisse, ut non in quibusdam, iisque gravissimis philosophiae pronunciatis illum desererent, vehementerque impugnarent. Re vera, in primis ipsi in controversiis dirimendis rationis, non vero auctoritatis momenta quaeri oportere aperte professi sunt. Vt pauca exempla, quae memoria in praesentia nobis suggerit, adducamus, Albertus M. initio librorum *De interpretatione* inquit: « Quod autem de auctore qui« dam quaerunt, supervacuum est, et nunquam ab « aliquo Philosopho quaesitum est, nisi in scholis « Pythagorae: quia in illis scholis nihil recipieba« tur, nisi quod fecit Pythagoras. Ab aliis autem « hoc quaesitum non est: a quocumque enim dicta e« rant, recipiebantur, dummodo probatae veritatis ha« berent rationem. Causa enim efficiens extra rem « est, et ab ea res non habet firmitatem, vel infirmita« tem, sed potius a ratione dictorum [1] ». S. Thomas eius discipulus idem inculcavit: « Quamvis universaliter « ratione pertinente ad omnes homines, veritas sit prae« ferenda amicis, specialiter tamen hoc oportet facere « Philosophos, qui sunt professores sapientiae, quae est « cognitio veritatis. . . . Iuxta hoc etiam est sententia « Platonis, qui reprobans opinionem Socratis magistri « sui dicit: *Amicus quidem Socrates, sed magis a« mica veritas* [2] ». Vnde statuit in disciplinis philosophicis rationem esse adhibendam [3], eaque dumtaxat esse vera existimanda, quae rationi consentanea sunt [4]. Duobus hisce Doctoribus tertium addimus Rogerium Ba-

---

[1]) *Periherm.*, lib. I, tract. I, c. 1.

[2]) *In lib. I Ethic.*, lect. VI.

[3]) « Quae (*phil. discipl.*) per rationem investigantur »; I, q. 1, a. 1 c.

[4]) « Doctrina ostenditur esse vera ex hoc quod consonat ratio« ni »; 1ª 2ae, q. XCVIII, a. 1 c. Hinc parvi faciendum esse docuit argumentum, quod ab auctoritate humana sumitur: « Lo« cus ab auctoritate, quae fundatur super ratione humana, est « infirmissimus »; I, q. I, a. 8 ad 2.

conem, cuius peritiam in rebus physicis praeter alios multos cl. Alexander ab Humboldt saepe, et valde laudavit [1]. Hic ait : « Quoniam igitur haec ita se habent, non « oportet nos adhaerere omnibus, quae audimus, et le- « gimus, sed examinare debemus districtissime senten- « tias maiorum, ut addamus quae eis defuerunt, et cor- « rigamus quae errata sunt, cum omni tamen modestia, « et excusatione [2] ».

Quod autem Scholastici veluti normam philosophandi statuerunt, exemplo suo comprobarunt. Etenim, ut iam ab Emo Pallavicino observatum fuit [3], ea, quae Aristoteles de aeternitate mundi, de necessitate divinarum actionum, de Providentia Dei, aliisque philosophiae gravissimis capitibus prave disseruit, vehementer impugnarunt. Omissis s. Thoma [4], aliisque, lubet hoc comprobare ex s. Bonaventura, et Rogerio Bacone. Ille enim in Serm. VI *Hexaëm.* observavit Aristotelem, quoniam exemplaria rerum in mente divina denegavit, inde ad-

---

[1]) *Critica disquis. progressuum historicorum geographiae Novi Mundi* (germ.), vol. I, p. 69, Berolini 1852. De Rog. Bacone legere e re est Delècluze, *Revue française*, an. 1839, et praesertim Daunou, et Le Clerc, *Histoire littèr. de la France*, t. XX.

[2]) *Opus maius*, part. I, c. 7, p. 10, et 11, ed. Iebb, Londini 1733.

[3]) *Storia del Concilio di Trento*, part. I, lib. VII, c. 14, § 3, t. I, p. 748, Milano 1745.

[4]) Cf *Qq. dispp.*, *De Pot. Dei*, q. III, a. 17 c.; *Cont. Gent.*, lib. III, c. 48, et 76; I, q. XXV, a. 3 ad 2. Audiatur Campanella: « Et primo, nulla opinio Aristotelica contraria fidei est, quae « ab eo (s. Thoma) non oppugnata sit, ut patet in 8 Phys. et « Metaph. Secundo omnis expositio trahens ad sensum contra- « rium fidei a s. Thoma est expugnata, ut patet in omnibus « commentis contra Averroem, ac Simplicium, et Alexandrum, « et Themistium, et Avicennam et alios. Praecipua dogmata « Aristotelis, et maxime propria eius sunt a s. Thoma dereli- « cta, vel oppugnata, ergo etc. Haec, et alia multa sunt, quae ma- « nifestant D. Thomam non Aristotelis, sed sapientiae christia- « nae discipulum, et confundunt sciolos aliter docentes, qui eius « honori detrahunt, ut ipsemet dicit de Doctoribus Ecclesiae, « quando facimus eos Platonicos, et Peripateticos in Epist. 9 »; *Prodromus philosophiae instaurandae*, Francofurti 1617.

ductum fuisse, ut Providentiam divinam tolleret, praemiorum, et poenarum distributionem non admitteret, aeternitatemque mundi, et qui ab ipsa oritur, fatalismum traderet [1]. Hic vero non solum quosdam errores Aristotelis reprehendit [2], sed etiam asseruit philosophos, qui ei successerunt, aliqua in eius libris emendasse, eiusque inventis multa adiecisse. « Hic (*Aristoteles*) enim praecedentium Philosophorum errores evacuavit, et augmentavit philosophiam, aspirans ad eius complementum. . . quamvis non potuerit singula perficere. Nam posteriores ipsum in aliquibus correxerunt, et multa ad eius opera addiderunt, et adhuc addentur usque ad finem mundi [3] ». Accedit his, quod Scholastici, si Aristotelem excusatum viderent ab erroribus, in quos eum re ipsa incidisse putabant, excusationem aperte reiicerent. Exemplum a s. Thoma petamus, qui de perpetuitate motus disserens in haec verba erupit: « Quidam frustra conantes ostendere Aristotelem non contra Fidem loquutum esse, dixerunt, quod Aristoteles non intendit hoc probare, quod motus sit perpetuus, sed inducere rationem ad utramque partem, quod ex ipso modo procedendi frivolum apparet [4] ».

Praeterea, omnes Scholarum Doctores in aristotelicae philosophiae explanatione illam regulam procul dubio servare debuerunt, quam ut suo loco dicemus, cuique philosopho in opinionibus praecessorum suorum excutiendis servandam esse ex eodem Aristotele praeceperunt,

---

[1]) Longum locum videre licet in eius *Opp.* t. I, p. 30, et 31, Romae 1588. Cons. Du Margerie, *Essai sur la philosophie de saint Bonaventure*, c. 2, p. 40-49, Paris 1855.

[2]) E. g., opinionem Aristotelis de Iride redarguens ait: « Philosophus Aristoteles suis observationibus nos conturbat, ut nec aliquid, quod dignum sit, valeamus per eum intelligere »; *Op. cit.*, pars II, c. 8, p. 29, ed. cit. — [3]) *Ibid.* p. 36.

[4]) *In lib. VIII Physic.* lect. II; cf *Qq. dispp., De Pot.*, loc. cit. Consulere de hac re iuvat Hier. Vielmium, *De Thomae Aquin. doctrina, et scriptis*, lib. I, Brixiae 1748.

scilicet ut quae vera deprehenderent, amplecterentur, quae vero falsa, caverent. Omnium instar sit s. Thomas, qui « Necesse est, ait, accipere opiniones antiquo- « rum quicumque sint. . . Et hoc quidem ad duo erit « utile. Primo, quia illud, quod bene dictum est ab eis, « accipiemus in adiutorium nostrum. Secundo, quia illud, « quod male enunciatum est, cavebimus [1] ». Ad quam rem scire iuvat Albertum M., et s. Thomam in Aristotelis libris exponendis, illustrandisque non aliud sibi proposuisse, quam ut Aristotelis libros, quales hac aetate cum Arabum commentariis ad Scholas pervenerant, examini subiicerent, et ab erroribus fidem impugnantibus, quos Arabes ei tribuerant, purgarent. Nam, cum Arabes vel absurdas Aristotelis sententias urgendo, vel sanas prave interpretando, in causa fuissent, cur non pauci ex Aristotelis libris arma ad Catholicae Religionis dogmata impugnanda, vel corrumpenda capesserent [2], valde e re erat, confutatis quibusdam Stagiritae erroribus, reliquas eius doctrinas ad rectam interpretationem revocare, atque ostendere, quomodo ipsae non solum arma hostibus Catholicae Fidei non subministrarent, sed etiam ad eorum argutias patefaciendas plurimum adiumenti afferrent [3]. Iam, « Aptissimi erant, Ioann. Alb. « de Rubeis inquit, Albertus Magnus, et Thomas Aqui- « nas, qui ad hanc capessendam provinciam deligeren- « tur. Plurimum emolumenti sperandum erat : scilicet « quod, Philosophi auctoritate vanis et petulantibus « Academicis erepta, tot errorum ansa, qui sub eo vul- « gabantur obtentu, praecideretur omnis [4] ». Hanc re ipsa fuisse Alberti M., et s. Thomae mentem Th. Campanella testatus est. Qui in opere, quod ante laudavi-

---

[1]) *In lib. I de Anim.*, lect. II.

[2]) Cons. Renan, *Averroès et l' averroisme*, Part. 2, ch. 2, § 11-15, p. 206 sqq, ed. cit.

[3]) Cf eumdem Renan, Part. cit., c. cit. § 5-10, p. 179 sqq.

[4]) *Admon. praev.* ad vol. XVI *Operum* s. Thomae, Pars altera, Venetiis 1753.

mus [1], quaestionem instituens, « cur a D. Thoma Aristoteles exponitur, et laudatur » praeter alia haec scripsit: « Sciendum est, quod temporibus s. Thomae, et « Alberti adeo invaluerat, sub rudi saeculo doctrina A- « ristotelis, et Averrois, ut stultus putaretur, qui illis « contradiceret . . . . Albertus ergo, et Thomas non « confidentes zizania evellere Averroistica Graecorum, « et Arabum superseminata agris Evangelii absque tri- « tici damno, statuerunt Aristotelem exponere, dantes « illi interpretationem utilem, in quibus textus erat qua- « si anceps iuxta Bedae placitum, dubia in meliorem « partem interpretando ». Hinc merito Ioan. Baptista Generus, Card. Pallavicinum [2] fere exscribens, in haec verba erupit: « Ergo quasi coelitus factum est, ut Thomas, « summus aetate sua supra quosvis Latinos et Graecos « Peripateticus, ita eam Philosophiam, expurgatis Ari- « stotelis erroribus, cum sacra Theologia connecteret, « ut illa huic quasi suapte natura ancillaretur; adeo ut « ex iisdem Aristotelis principiis, olim per Arabum ca- « villos et technas cum catholica religione quoad spe- « ciem pugnantibus, ipsius religionis dogmata perstabi- « liantur, momentaque adversus eadem contorta fundi- « tus enerventur [3] ».

Neque illud omittendum est Scholasticos in ea sententia versatos fuisse, quod ad quemlibet philosophum pertinet non solum emendare errores suorum praecessorum, sed etiam aliquid eorum inventis addere. « Si e- « nim aliquis, s. Thomas scribit, tempore praecedente dat « operam investigandae veritati, iuvatur ex tempore ad « veritatem inveniendam, et quantum ad unum, et eum- « dem hominem, qui postea videbit, quod prius non « viderat, et etiam, quantum ad diversos, utpote cum « aliquis intuetur ea, quae sunt a praecessoribus inven-

---

[1]) Pag. 75, not. 4. — [2]) *Op. cit.* ibid., § 5, et 6, p. 746.
[3]) *Theolog. dogmatico-schol.*, Prodr. I, *Dissert. historico-cronologico-critico-apologetica pro theologia scholastica*, c. 1, § 42, p. 15, et 16, Romae 1767.

« ta, et aliquid superaddit. Et per hunc modum facta « sunt additamenta in artibus, quarum a principio ali- « quid modicum fuit, et postmodum per diversos pau- « latim profecit in magna quantitate, quia ad quemlibet « pertinet superaddere id, quod deficit in consideratione « praedecessorum [1] ». Idem vehementius, quam s. Thomas, Rog. Baco inculcavit. « Praeterea, inquit, semper crescere « potest in hac vita studium sapientiae, quia nihil est « perfectum in humanis inventionibus. Quapropter an- « tiquorum defectus deberemus nos posteriores supplere, « quia introivimus in labores eorum, per quos, nisi si- « mus asini, possumus ad meliora excitari, quia miser- « rimum est semper uti inventis et numquam inveniendis [2] ».

Ex quibus omnibus luce meridiana clarius efficitur principes Scholarum nec Aristoteli, nec ulli operum eius Commentatori sese mancipasse, sed ita eis adhaesisse, ut eorum placita, quae a vero aberrare deprehendebant, pro viribus confutarent. Iam arma ad Aristotelem, vel pravos eius Commentatores impugnandos illis e platonica, vel potius neoplatonica philosophia, prout a ss. Patribus emendata, et perfecta fuerat, suppetebant; haec enim, uti ante innuimus, in quibusdam theologiae naturalis capitibus ad veritatem propius, quam aristotelica, accedit. Huius generis est doctrina παραδειγματῶν, nempe *divinorum exemplarium*, quam a s. Augustino [3], aliisque Patribus emendatam, absolutamque Scholastici amplexati sunt. Nonnulli nuperi, ut diximus, idcirco Scholasticos non aristotelicos, sed platonicos dicendos esse putarunt; sed perperam. Illa enim platonica doctrina, prout a Patribus explicata, et a Scholasticis repetita fuit, ad humanam, non ad divinam, si ita loqui fas est, idealogiam spectat. Nam Patres, et Scholastici, cum animo reputassent Deum non potuisse res e nihilo efficere, ni-

---

[1]) *In lib. I Ethic.*, lect. II. — [2]) *Op. cit.*, part. II, c. 8, p. 37 ed. cit.
[3]) Cf *Lib. de divers. Quaestionibus Octogintatribus*, q. 46, n. 2.

si illarum ideae iam ab aeternitate in Eius intellectu extitissent, Deum et omnium rerum ideas in se habere, et in hisce ideis res, quotquot extra Ipsum sunt, cognoscere inde collegerunt. Ast, haec idealogia divina, secundum Scholasticos, tanto intervallo ab humana distat, quanto Intellectus divinus distat ab humano, quantoque modus, quo Deus res cognoscit, a modo, quo ipsas cognoscit homo, seiungitur. Enimvero, Scholastici docebant intellectum humanum ratione prorsus contraria, ac Intellectum divinum, res cognoscere; nam, cum ipse non sit causa rerum, sicut Intellectus divinus, res cognoscere non potest ex eo, quod illarum ideas in se habet, sed cognitionem rerum ab ipsis rebus accipere debet. Mentem humanam vero Deum, vel ideas divinas naturaliter intueri, atque in ideis divinis res extra Deum positas cognoscere, nemo Doctorum Scholasticorum, ut suo loco ostendemus, non exceptis s. Anselmo [1], a quo initium theologiae scholasticae in Occidente multi repetunt, et s. Bonaventura, unquam tradidit. Quocirca, si Scholastici, admissa doctrina platonico-augustiniana divinorum exemplarium, sententiam Aristotelis in explicanda origine cognitionis humanae probarunt, non duo secum pugnantia philosophiae capita propugnasse, sed lacunam philosophiae aristotelicae explevisse dicendi sunt. Hoc modo intelligendus est Albertus M., cum inquit: « Scias quod « non perficitur homo in philosophia, nisi ex scientia « duarum philosophiarum Aristotelis, et Platonis [2] ».

Hac in re consentientes habemus primores hodiernos historicos scholasticae philosophiae, qui quidem nimii erga ipsam studii accusari non possunt. Haureavius, qui historiam huius philosophiae nuper evulgavit, scripsit Scholasticos Aristotelem ita esse interpretatos, ut eius philosophiam magnis, gravissimisque augmentis dita-

[1]) Cons. eruditam dissert. Iosephi Prisco, *S. Anselmo, e l'Ontologismo*, in nostris *Ephem.* citt., *La Scienza e La Fede*, vol. XXXIII, et XXXIV, Napoli 1857.

[2]) *Metaphys.*, lib. I, tract. V, c. 15, *Opp.* t. III, p. 67, ed. cit

rent, erroresque in ea latentes detegerent, et refellerent [1]. Cuius iudicii fautores non parvae auctoritatis habet. Nam Iordanus Brunus, infensissimus ille Scholasticorum osor, « plus Aristotelem Vniversitati, quam Vniversitatem Aristoteli debere », asseruerat [2], et inter nuperos Staudenmaierus advertit eum procul dubio operam suam abusum iri, qui locupletissimam cognitionum, et considerationum copiam apud Scholasticos occurrentem ex Aristotelis fontem repetendam susciperet [3]. Rousselotus vero sensit Aristotelem, et Platonem esse duos fontes, ex quibus Philosophia scholastica hortos suos irrigavit; namque ipsa, quamvis formam aristotelicam philosophandi nunquam deseruisset, tamen plura doctrinae suae capita a Platone mutuata est [4]. Nec mittendus est Ernestus Renan; hic enim observavit Scholasticos, dum Aristotelem, aetate sua, Arabum opera dominantem sequi profiterentur, philosophiam sibi comparasse, quae peregrinis elementis hinc inde collectis redundabat [5]. Nec rem aliter se habere potuisse Ritterus observavit. « Nam nunquam, ipse « scribit, Scholastici obliti sunt Aristotelem non fuisse « Christianum, unde, etsi illum summis laudibus prose- « querentur, tamen non aliud in eo, nisi quasi apicem « humanae intelligentiae luce superiori destitutae, vene- « rabantur [6] ». At, cum haec indubia sint, sententia Haureavii parum sibi constantis explodenda est, qui asseruit Scholasticos, Platonem, et Aristotelem verbo, non re discrepare arbitrantes, in eo constanter adlaborasse, ut utriusque doctrinas secum componerent [7]. Enimvero, Scholastici, si in quibusdam philoso-

---

[1]) *Op. cit.* c. 1, vol. I, p. 6.
[2]) Apud Car. Bartholmèss, *Jordano Bruno*, t. I, p. 90, Paris 1846.
[3]) *Ioan. Scotus Erigena* (germ.), p. 445, Francofurt. ad Moen. 1834.
[4]) *Études sur la phil. dans le moyen âge*, c. XXIV, Concl., t. III, p. 359 sqq, Paris 1842.
[5]) *Op. cit.*, part. 2, c. 2, p. 67.
[6]) *De historia phil. scholast.*, in *Lexic. hist.* etc., p. 306, an. 1856.
[7]) *Op. cit.*, c. 17, vol. II, p. 10.

phiae capitibus, relicto Aristotele, ad Platonem confugerunt, quam saepissime tamen Aristotelem a Platone dissentire demonstrarunt, et Platonem nomine Aristotelis, et armis ab eo sumtis oppugnarunt.

Quae cum ita se habeant, nemo non videt Scholasticos 1°, si Aristoteli plerumque adhaeserunt, Platonem omnino non deseruisse; 2° Platonis placita non aliter, quam prout a ss. Patribus, et praesertim a s. Augustino emendata fuerant, et doctrinas Aristotelis nonnisi multis modis, et proprio marte elaboratas probasse, et tradidisse. Quare concludendum est veros auctores, quibus Scholastici usi sunt, fuisse ss. Patres, et maxime s. Augustinum: id, quod s. Bonaventura aperte asseruit his verbis: « Vt breviter dicam, pauca, aut nulla ponunt magistri « in libris suis, quin illa reperias in libris Augustini [1] ». « Re vera s. Augustinus, ut Iac. Clemens subdit, una ex « parte, si ad eos respicis, qui ipsum antecesserunt, « quasi Oceanus est, in quem omnia sapientiae christia- « nae flumina ac rivuli confluxerunt, altera ex parte, « si posteros spectas, quasi Atlas, qui omnem ipsorum « scientiam humeris suis sustinet [2] ». Quamobrem philosophia scholastica *continuatio philosophiae Patrum*, vel etiam *philosophia Patrum ad formam scientiae revocata* a nonnullis nuperis non modo catholicis [3], sed etiam protestantibus [4] scite definita fuit.

Quandoquidem fontes, et naturam philosophiae scholasticae perspeximus, illius erga Fidem Catholicam officia exponamus oportet, quia hoc praecipuum caput est, per quod ipsa a philosophia recenti discriminatur. Primi Protestantes Scholasticis acriter obiecerunt eos pronunciatis philosophiae aristotelicae perperam intellectis puritatem Christianae doctrinae foede corrupisse [5], quemadmo-

---

[1]) *Epist. ad magistrum innominatum.* — [2]) *Dissert.* cit., p. 75.

[3]) Puta Matth. Liberatore e S. I., *Della conoscenza intellettuale*, Part. II, c. 4, art. 2, § 140, et art. 4, § 151, Napoli 1858, necnon Clemens, *Dissert.* cit., p. 75, 76.—[4]) Nempe Ritter, *loc. cit.*, p. 235.

[5]) His omnibus palmam praeripuit Adamus Tribbechovius, qui

dum Patres primorum saeculorum, ob nimium platonicae philosophiae amorem, corruperant [1]. Iniquum hocce iudicium, quod a Luthero profectum est, ex lutherana de peccato originali doctrina sponte sua manabat. Nam Lutherus, cum blaterasset ex peccato originali non modo liberum arbitrium periisse, sed etiam intellectum adeo obscuratum esse, ut nihil veri sine Fidei lumine assequi posset, profecto sibi constitit, quod omnem philosophiae usum in dogmatum Christianorum expositione, et declaratione proscripsit, et damnavit [2]. Cum autem philosophia aristotelica in Scholis illa aetate dominaretur, ideo Lutherus, eiusque gregales adversus Aristotelem, et Scholasticos aristotelicae doctrinae a se emendatae sectatores, quo maiori poterant impetu, debacchati sunt [3]. Ast horum odium contra omnem philosophiam, et praesertim Scholasticam statim cessavit. Namque, cum Lutherus, Melanchtoni monitis edoctus, se, suique satellites in suis adversus Catholicos controversiis usu philosophiae carere non posse intellexisset, aliter de philosophia sentire coepit, eamque valde commendavit [4]. Quamvis vero aristotelicam philosophiam, ut

---

primus omnium historiam philosophiae Scholasticae ex instituto aggressus est in suo opere, *De Doctoribus Scholasticis ac corrupta per eos divinarum, humanarumque rerum scientia*, cum Praef. C. A. Heumanni, Giessae 1665. Multos alios praeterimus, cum cuncta haec Protestantium iudicia apud Bruckerum legi possint, qui nullam occasionem Scholasticos conviciis, maledictisque lacessere praetermisit in sua *Hist. crit.* etc., Period. II, part. II, c. 3, sect. 2, et 3, t. III, p. 709 sqq ed. cit.

[1]) Cf Moshemium, *De rebus Christ. ante Const.*, saec. II, § 25, p. 272, saec. III, § 27, p. 604, et 605, et passim, ed. cit., nec non *De turbata per recentiores Platonicos Ecclesia*, ed. cit.; Clericum, *Epist. crit.*, Epist. cit., et, reliquis omissis, Bruckerum, *Op. cit.*. Period. II, part. II, lib. I, c. 2, passim.

[2]) Cons. Perrone, *Praelectiones theol.*, t. II, part. 2, p. 329 sqq, Neapoli 1842.

[3]) Cf Buddeum, *Isagoge historico-theologica ad theologiam*, lib.I, c. 4, § 23, p. 311, Lipsiae 1730.

[4]) Consulendi de hac re sunt Ioan. Hermannus ab Elswich,

inferius dicemus, sectarentur; nihilominus in Scholasticos invehi non destiterunt. Scholasticis enim obiiciebant eos, cum philosophiam theologiae ancillam, immo mancipium facerent, utrique immane quantum damni inferre; si quidem hoc pacto investigationes rationis catenis Fidei constringebant, et theologiam placitis philosophiae aristotelicae perperam intellectis corrumpebant [1]. Res eo devenit, ut Christianus Thomasius ipsam notionem *philosophiae christianae* absurdam esse autumaret [2]. Buddeus, Thomasii opinionem, quam et ipse amplexatus est, brevissime exposuit his verbis : « Non procul ab his, qui philoso-« phiam omnem reiiciunt, absunt, qui *philosophiam* « quamdam *christianam* introducere voluerunt. Aut « enim utrumque lumen, rationis, et revelationis, tur-« piter confundunt, aut dum omnia ex revelatione de-« rivare volunt, quae ad forum rationis spectant, re-« vera omnem philosophiae usum tollunt [3] ». Postquam in recenti aetate philosophia e salutari theologiae iugo erepta est, nihil frequentius apud Philosophos legitur, quam Scholasticos philosophiam mancipasse theologiae, ob idque in causa fuisse, quamobrem cunctarum scientiarum progressus retardarentur. In hac nostra aetate, dum historia philosophiae scholasticae sine partium studio excolitur, non desunt Rationalistae, uti Rousselotus [4], Remusatius [5], aliique, qui praecipuam notam

---

Schediasma de varia Aristotelis in scholis Protestantium fortuna, quod praemisit dissertationi Launoj a se rursus editae *De varia Aristotelis fortuna in Acad. Paris.*, Vitembergae 1720, et Walchius, *Historia log.*, lib. III, c. 2, § 6, in eius *Parerg. Acad.*, p. 846, Lipsiae 1721.

[1]) Satis est vel unum Bruckerum lectitare, *Op. cit.*, Period. II, part. II, c. 3, sect. 2, et 3, vol. III, p. 709 sqq. Heumannum (*Praef.* cit.) non puduit asserere Scholasticam esse « philoso-« phiam in servitutem theologiae papeae redactam ».

[2]) *Introd. ad phil. aulicam*, c. 2, § 33-64, Halae Magdeb. 1702.

[3]) *Isagoge historico-theol.*, loc. cit.

[4]) *Op. cit.*, Conclus., t. III, p. 377, ed. cit.

[5]) *Abèlard*, Introd., p. 26, et 27, Paris 1845.

philosophiae scholasticae in eo positam fuisse contendunt, quod theologiae serviret. Cousinius philosophiam scholasticam, tanquam meram scientiam formarum, sive, ut aiunt, merum *formalismum*, consideravit; si quidem ipsam definivit « usum philosophiae, veluti simplicis formae, ad famulatum theologiae, et sub custodia « auctoritatis religiosae [1] ». Dolendum est, cunctis hisce Scholasticorum obtrectatoribus Guentherum [2], aliosque hodiernos Germanos theologiae, quam *speculativam* vocant, sectatores sese socios adiunxisse, cum ipsi philosophiam *sororem*, non vero *ancillam* theologiae esse pertendant, et Scholasticos aliter sentientes redarguant.

Contra ea, in Germania opinio, quae cum modo enarrata e regione opponitur, Georgio Heghelio auctore, nuper invaluit, scilicet Scholasticos non subiecisse philosophiam theologiae, sed theologiam philosophiae, adeo ut ipsi hodiernorum Rationalistarum parentes dicendi sint. Vt quid huic opinioni obtentum praebuerit, perspiciatur, sciendum est Scholasticos, ut mox videbimus, vestigiis Patrum insistentes duo potissima officia rationi erga Fidem assignasse, quorum unum Fidei receptioni praecedit, alterum Fidem iam receptam subsequitur. Etenim ratio illi, qui nondum Fidem recepit, *motiva credibilitatis*, hoc est, argumenta, quae eum ad Fidem amplectendam ducunt, praebet, atque illi, qui iam Fidem recepit, opem fert, qua mysteria ab Ea proposita, quantum infirmitas humanae mentis patitur, *intelligere* valeat. Hinc ipsi frequenter usurpant illud Isaiae, a s. Augustino [3],

---

[1]) *Cours d' hist. de la phil.*, leç. IX, ed. cit. At cl. Auctor sibi contradixit. Nam, postquam philosophiam scholasticam hoc, quem diximus, modo definivit, tres eius aetates recensuit: scilicet unam, in qua philosophia theologiae omnino subiecta fuit, alteram, in qua foedus cum theologia sancivit, tertiam vero, in qua se a theologia paulatim seiunxit; *Ibid.*

[2]) *Thomas a Scrupulis*, p. 209, Vindob. 1835.

[3]) « Nisi aliud esset credere, et aliud intelligere, et primo « credendum esset, quod magnum, et divinum intelligere cu« peremus, frustra Propheta dixisset: *Nisi crediderıtis, non in-*

et s. Anselmo [1] post antiquo [2] inculcatum: *Nisi credideritis, non intelligetis*; quo quidem insinuatur neminem posse *intelligentiam*, sive scientiam Fidei assequi, nisi omnibus, quae Fides credenda proponit, firmissimum assensum antea praebuerit. Hanc doctrinam, quam Scholasticos re vera tenuisse ex dicendis patescet, lubet in praesentia exponere hoc uno loco Aquinatis: « Attamen « ratio manuducta per fidem excrescit in hoc, ut ipsa « credibilia plenius comprehendat, et tunc ipsa quodam- « modo intelligit, unde dicitur Isaiae 7, *Nisi credide-* « *ritis, non intelligetis* [3] ».

Iamvero, Heghelius contendit istam *intelligentiam Fidei*, a Patribus, et Scholasticis tantopere inculcatam, esse merum illum *rationalismum theologicum* quem in Germania propagare tantopere studuit. Ipse placita sua [4] Patribus, et Scholasticis attribuens, asseruit horum

---

« *telligetis* » (*De lib. arbitr.*, lib. II, c. 2, n. 6). Rursus: « Et ideo « rationabiliter dictum est per Prophetam: Nisi credideritis, « non intelligetis. Vbi procul dubio discrevit duo, deditque « consilium, quo prius credamus, ut id, quod credimus, intel- « ligere valeamus »; *Epist.* CXX, c. 1, n. 3. Cf *ibid.* c. 2, n. 8; *Cont. Acad.*, lib. III, c. 20, n. 43; *De Trinit.*, lib. IX, c. 1, n. 1; *De lib. arb.*, lib. I, c. 3, n. 6, et c. 11, n. 23; *Enar. in Psalm. CXVIII*, n. 3; *De agone christiano*, c. 13, n. 14.

[1]) « Neque enim quaero intelligere ut credam, sed credo « ut intelligam. Nam et hoc credo, quia, nisi credidero, non « intelligam »; *Proslog.*, c. 1, ed. Vbaghs, Lovanii 1854.

[2]) Praeter Clem. Alex. (*Strom.* lib. V, c. 1, lib. VII, c. 10, et passim), et Origenem (*De principiis*, Praef. n. 9), legi meretur s. Irenaeus *Adv. haereses*, lib. I, c. 10, n. 3. De tota hac re videsis Laforet, *Coup d' oeil sur l' histoire de la thèologie dogmatique*, in Ephem. *Revue cathol. de Louvain*, ser. 3, vol. I, et II, an. 1849-1851, et eruditam Commentationem P. M. Iosephi Provitera, *Dell' uso della ragione nella Teologia secondo le dottrine de' Padri e degli Scolastici* in Ephem. *La Scienza e La Fede*, t. XXXIII, p. 424-443, et 501-533, Napoli 1857.

[3]) *In lib. I Sent.*, Prolog., a. 3, *sol.* 3.

[4]) Cf *Encyclopaed.* (germ.), Praef. p. XVIII sqq, et § 573, Heidelbergae 1827. Sententiam Heghelii, cuius mentio saepe facienda nobis erit, iuvat hic breviter exponere verbis doctissimi scriptoris germani: « . . . id inter doctrinam sacram, quatenus fide te-

philosophiam in eo proprie positam fuisse, quod dogmata Religionis Christianae ad examen rationis vocaret, et quae sub illis, veluti totidem symbolis, laterent pronuntiata rationis, in medium proferret [1]. Inter ipsos autem Scholasticos illud discrimen agnovit, quod alii, uti s. Anselmus, et Abaelardus, veritatem, et vim dogmatum christianorum argumentis metaphysicis demonstrare conati sunt, alii vero, uti Petrus Lombardus, s. Thomas et Duns Scotus dogmata christiana subsidio philosophiae ad systema revocare studuerunt [2]. Ex quo intelligitur 1° causam, ob quam hodierni Protestantes, qui Rationalistae dicuntur, ad philosophiam christianam studia sua converterunt, uti a Rittero [3], et Staudenmaiero [4] observatum est, in eo quaerendam esse, quod Patres, et Scholasticos rationalismi sui antesignanos fuisse existimarunt; 2° hodiernos Rationalistas omnino diversum, ac Protestantes eorum antesignanos, iudicium de philosophia Patrum, et Scholasticorum tulisse; si quidem hi Patres, et Scholasticos philosophia, qua in Fide exponenda, vindicandaque usi sunt, puritatem dogmatum obscurasse autumabant, Rationalistae autem pertendunt ipsos veram, germanamque dogmatum explicandorum rationem aggressos fuisse, quae tandem ab Heghelio ad unguem perducta est. In Gallia, quamvis maxima pars historicorum Scholasticam non esse

---

« netur, et philosophiam statuunt discrimen, ut illa sit modus ve-
« ritatem cognoscendi inferior, communis omnibus hominibus,
« sensuum perceptionibus, et animi affectionibus accommodatus,
« symbolis et imaginibus ornatus, et refertus, erroribus omnis
« generis obnoxius, hic vero supremus cognoscendi modus, pau-
« cis conveniens, rationi soli innitens, veritatem ipsam sine sen-
« suum, aut imaginum ope contuens, ab omni errore immunis »;
Iacob. Clemens, *Dissert.* cit., p. 33.

[1]) *Philosophia religionis* (germ.), part. I, t. I, p. 21-23, Berolini 1840.

[2]) *Lectiones hist. phil.*; *Oeuvr.* t. XV, p. 100 sqq, ed. cit. Cf Willm, *Hist. de la phil. allem. Phil. d' Hegel*, c. VII, t. IV, p. 63 sqq, Paris 1847. — [3]) *Hist. phil. christ.* (germ.), p. 122, Hamburgi 1850.

[4]) *Philosophia Christianismi*, Proleg., p. VII sqq, Giessae 1840.

aliud, quam philosophiam in servitutem redactam asseret ; tamen nonnulli Heghelii, eiusque sectatorum iudicio ex parte subscribentes, observarunt in diversis Scholasticae aetatibus aliquos viros praestantes extitisse, qui iura Rationis contra Fidem, sive philosophiae contra theologiam vindicarunt. Ex horum numero, illis aientibus, fuere saec. IX Scotus Erigena, ac saec. XI s. Anselmus, et Abaelardus, aliique pauci, qui eorum vestigiis institerunt, eo usque dum saec. XIV Guiliel. Okamus signum pro libertate philosophandi extulit, et recenti philosophiae, quae omne auctoritatis iugum excussit, viam stravit. Inde potes intelligere, cur Rationalistae in Gallia post Germanos de Scoto Erigena [1], Abaelardo [2], et s. Anselmo [3] singulares libros elucubrarent.

Haec iudicia de nexu philosophiae scholasticae cum theologia, adversis frontibus secum pugnantia, ad examen revocaturi, principio nec Patres platonica, nec Scholasticos aristotelica philosophia puritatem, et simplicitatem dogmatum Christianae Religionis corrupisse adversus Lutherum, eiusque gregales contendimus, Singula dogmata, quae ab illis, ob platonicae, vel aristoteli-

---

[1]) Tailliandier, *Scot-Erigena, et la philosophie au moyen âge*, Strasbourg, 1843. De scriptoribus, qui eius historiam, hodie in Germania valde vexatam, tractarunt, legesis Schlueterum in *Praef.* ad librum *De divis. nat.*, quem ante citavimus.

[2]) Vid. Rèmusat, *Abèlard.* etc., ed. cit. Cousinius scripsit (*Introd.* aux *Oeuvr. inèdit.* d' Abèlard, § IV, ed. cit.) Abaelardum *rationem theologiae* reddere sibi volentem *rationem* in *auctoritatem* invexisse, eumque germanum parentem nuperi rationalismi salutavit, Rousselotus vero (*Op. cit.*, part. II, c. II, p. 18 et 87) contendit s. Bernardum, dum Abaelardum impugnabat, *ipsam rationem* impugnasse, atque Abaelardum *apostolum rationis simul, et fidei* nuncupavit.

[3]) Cf eumdem Rèmusat, *Saint' Anselme de Cantorbery*, Paris 1853. Ceteros sane multos recentes, qui de s. Anselmi philosophia vel ex instituto, vel raptim tractarunt, passim laudavit Ioseph Prisco in laudata sua Dissert. *Sant' Anselmo e l' Ontologismo*, in Ephem. *La Scienza e La Fede*, voll. XXXIII et XXXIV, Napoli 1857.

cae philosophiae usum, corrupta dicuntur, expendere, praeterquam quod angustiae huius Introductionis non sinunt, non ad philosophum, sed ad theologum spectat: quocirca de hoc accusationis capite nonnisi quidquam in universum observare nostrum est. Et primo, Patres, et Scholastici dogmata Fidei Christianae non aliter corrumpere poterant, quam ea absurdis philosophiae, quaecumque haec fuerit, pronuntiatis dimetiendo, et amplificando. At res secus se habuit. Nam Patres, et Scholastici, uti ante ostensum est, non alia philosophiae pronuntiata probarunt, quam quae dogmatis a Deo revelatis vel consentanea, vel saltem non contradicentia esse comperiebant, eaque in theologiae usum adhibuerunt, non eo consilio, ut dogmata Fidei modulo humanae rationis metirentur, sed ut ea, quoad fieri poterat, similitudinibus e natura, et nexu rerum sumptis declararent, et ab obiectis, technisque incredulorum, et haereticorum defenderent. Praeterea neminem certe fugit, quoties in diversis Ecclesiae aetatibus haeretici a pravis philosophiae placitis profecti aliquod dogma labefactare conati sunt, Patres, vel Scholasticos nihil curae, studiique praetermisisse, ut puritatem Fidei adversus nefarios eorum conatus sartam tectamque servarent. Huius rei testes esse queunt s. Irenaeus [1] et Tertullianus [2] contra Gnosticos, qui per doctrinas orientales pantheismum redolentes non modo Deum, et mundi creationem, sed universam quoque oeconomiam Fidei explicare audebant; Titus Bostrensis [3], Alexander Lycopolitanus [4], et praesertim s. Augustinus [5] contra Manichaeos, qui duo rerum prin-

---

[1]) *Adversus Haeres.* ed. cit.

[2]) *Adversus Marcionem*, lib. II, c. 5, necnon *De praescriptionibus haereticorum*, et *adversus Valentinianos; Opp.* ed. cit.

[3]) *Contra Manichaeos*, in Gallandii *Biblioth. PP.*, t. V.

[4]) *Adversus Manich. placita*, in Galland. *Biblioth. PP.*, t. IV.

[5]) Vid. *Contra Epistolam Manich. fundam.*, *De actis cum Felice Manichaeo*, *De natura boni*, *De duabus animabus*, aliosque libros quos praeterimus; *Opp.* t. VIII, ed. cit. Maur.

cipia, unum infinite bonum, et alterum infinite malum, comminiscentes gravissimam creationis doctrinam labefactabant ; s. Athanasius [1], aliique permulti [2] adversus Arianos, Macedonianos, Nestorianos et Eutichianos, qui pantheismum Gnosticorum, vel dualismum Manichaeorum ex parte amplectentes dogmata Catholicae Fidei de Mysteriis Trinitatis et Incarnationis adulterabant ; s. Augustinus [3], s. Hieronymus [4], Marius Mercator [5], aliique, qui perversa liberi arbitrii theoria imbuti opiniones doctrinis Fidei Catholicae circa Gratiam contrarias propagabant ; et aliis praetermissis, s. Bernardus [6], et s. Anselmus [7] contra Roscellinum, et Abaelardum, qui ex falsa de natura notionum universalium opinione decepti doctrinam catholicam de Mysterio Trinitatis perperam exponebant ; Albertus M., s. Thomas, caeterique florentis aetatis Scholastici, qui, praeter Almaricum Carnotensem [8], et Davidem Dinantium [9], per aliam quoque absurdam universalium sententiam theodiceam labefactantes [10], non paucos, eosque exitiales

---

[1]) Videsis eius *Opp.*, quorum multa contra Arianos spectant, ed. N. Iustiniani, Patavii 1777.

[2]) Ab horum nominibus, et operibus recitandis, brevitatis studio, abstinemus; sed ea apud scriptores *Patrologiae*, puta S. Schoenemannum (*Bibliotheca historico-litteraria Patrum latinorum*, Lipsiae 1792-1794), Permaneder (*Bibliotheca patristica*, Landishuti 1841-1844), Flesserum (*Institut. Patrologiae*, Oeniponte 1850), aliosque videre licet.

[3]) Libri, qui ad hanc rem spectant, collecti inveniuntur in eius *Opp.* t. X, ed. Maur.

[4]) *Epist.* CXXXVIII *ad Ctesiphontem*; *Opp.*, ed. Vallarsi, Veronae 1766.

[5]) *Commonitorium advers. haeres. Pelagii*; *Opp.*, ed. Garnerius, Parisiis 1675.

[6]) *Opp.* vol. I, p. 185, Venetiis 1750.

[7]) *Epist.* lib. II, Epist. XXI, et *De Fide Trinit.*, c. 2.

[8]) Vid. Albert. M., *Summa theol.*, part. I, tract. IV, q. 20.

[9]) Cf s. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. XVII, q. I, a. 1 *sol.*

[10]) Cf Martini Poloni *Chronicon*, lib. IV, p. 393, Antuerpiae 1574; Nicol. Trivetti apud Dacherium, *Spicil.*, t. III, p. 184, Parisiis 1722;

errores averroicae philosophiae diligenter confutarunt [1]; denique, ne longius, quam par est, haec recensio abeat, omnes Theologi et Philosophi recentis aetatis, qui haereses ex prava philosophia exorientes, et recentium Philosophorum commenta dogmatis Fidei adversantia placitis philosophicis, e Patrum, et Scholasticorum lectione haustis exploserunt [2]. Illud vero praetermittendum non est Protestantes sibi haud consentire, quod Scholasticis philosophiam ancillam theologiae fecisse, et usu philosophiae theologiam corrupisse simul autumant. Nam, quandoquidem Scholastici philosophiam esse ancillam theologiae censebant, non alia decreta philosophiae illis probari poterant, quam quae Theologia probat. Iam, decreta philosophica, quae Theologia probat, si ad eius usum et commodum adhibeantur, ipsam corrumpere non possunt, quippe quod theologia ea decreta philosophica probare nequit, quae Fidei adversantur. Quoniam igitur philosophia a Scholasticis veluti ancilla theologiae spectata est, fieri non potuit, ut philosophia scholastica theologiam corrumperet.

At, si philosophia scholastica dogmata Catholicae Fidei haud corrupit, sed, quantum imbecillitas rationis humanae sinit, declarare studuit, certe sibi proponere non potuit ea ita interpretari, ut veritates rationales, quae, recentium Rationalistarum sententia, sub illis, tanquam symbolis, latent, in apricum poneret. Haec opinio Heghelii de philosophiae scholasticae, nec non patristicae indole, et scopo adeo abnormis est, ut ipsam in Phi-

---

Gersonem, *Serm.* XXXVII; *Opp.* ed. Dupin, t. III, part. III, p. 1282, Antuerpiae 1706.

[1]) Albertus, et s. Thomas, ut diximus, tot, tantaque studia in librorum Aristotelicorum interpretationem contulerunt non alio animo, quam ut multis erroribus, qui ex Arabum, praesertim Averrois commentariis in Fidei periculum, et damnum succrescebant, obviam irent. Cf Franc. Iacob. Clemens, *De Scholasticorum sententia, philosophiam esse theologiae ancillam*, p. 76, Monasterii Guestphal.

[2]) Cons. Generum, *Op. cit.*, Prodr. I, c. 2, § 5, p. 44-46.

losophi, ceteroquin eruditi, mentem venisse incredibile videatur. Enimvero, nihil frequentius, uti ex iis, quae in hac Introductione diximus, colligitur, apud Patres, et Scholasticos occurrit, quam quod duo genera veritatum ab se discriminent, aliarum quidem, quae rationi perviae sunt, aliarum vero, quae sunt rationi imperviae, et, quamvis utriusque generis veritatum Deum actorem faciant, tamen Deum diversis mediis illas hominibus manifestasse docent, scilicet veritates rationales lumine naturali *rationis*, et veritates Fidei lumine supernaturali *gratiae*. Hinc Patres saepe docent laudem, seu meritum Fidei in hoc consistere, quod ratio iis, quae *videre*, hoc est, ex causis suis cognoscere non potest, assensum praebeat. « Haec est, s. Augu- « stinus inquit, laus fidei, si quod creditur, non vide- « tur. Nam quid magnum est, si creditur quod vide- « tur? [1] » Et s. Gregorius M.: « Fides non habet me- « ritum, ubi humana ratio praebet experimentum [2] ». Quos, aliosque Patres secutus Hugo a s.-Victore inquit: « Ex hoc meritum fidei constat, non vidisse, et crede- « re. Vnde pulcrum illud: *Nam si vides, non est fi-* « *des* [3] ». Enimvero, fides, secundum Patres, in eo consistit, quod ea, quae non videntur, hoc est, intelliguntur, credantur. « Quid est enim, s. Augustinus ait, fides, « nisi credere quod non vides? [4] » Atque alibi: « Habet « fides oculos suos, quibus quodammodo videt verum « esse quod nondum videt, et quibus certissime videt « nondum se videre quod credit [5] ».

Duo lumina, scilicet lumen rationis, quo veritates videntur, seu ratione cognoscuntur, et lumen fidei, quo veritates creduntur, seu per auctoritatem Dei ipsas revelantis admittuntur, s. Thomas innuit his paucis: « Sicut

---

[1]) *In Ioan. Evang. c. VIII*, tract. LXXIX, n. 1.
[2]) *De Incarnatione*, lib. IV, c. 6.
[3]) *De Sacramentis Fidei*, part. III, c. 7.
[4]) *Ibid.*, tract. XL, n. 9.—[5]) *Epist.* CXX *ad Consent.*, c. 2, n. 8.

« autem sacra doctrina fundatur super lumen fidei, ita « philosophia super lumen naturale rationis [1] ». Idem inter utrumque lumen discrimen s. Bonaventura luculenter inculcavit, ubi varia lumina exposuit, per quae homo ad rerum cum naturalem, tum supernaturalem cognitionem pervenit. « Tertium lumen, ait, quod illuminat ad ve- « ritates intelligibiles perscrutandas, est lumen cognitio- « nis philosophicae, quod ideo interius dicitur, quia interio- « res causas et latentes requirit, et hoc per principia di- « sciplinarum, et veritatis naturalis, quae homini natu- « raliter sunt inserta. . . Quartum lumen, quod illumi- « nat ad veritatem salutarem, est lumen sacrae Scriptu- « rae, quod ideo dicitur superius, quia ad superiora ducit, « manifestando ea, quae sunt supra rationem, et etiam « quia non per inventionem, sed per inspirationem a « Patre luminum descendit [2] ». Hinc Scholastici, secundum Patres, concorditer tradiderunt theologiam, et philosophiam esse duas scientias *secundum genus* [3] diversas ; ipsae enim ab se discriminantur tum ex parte materiae, circa quam versantur, tum ex parte instrumentorum, quibus utuntur, tum ex parte certitudinis, quam in animo gignunt, tum denique ex parte finis, ad quem spectant [4].

Iam, quoniam tantum discriminis inter philosophiam, et theologiam a Scholasticis statutum fuit, opinio Hegelii de natura Scholasticae omnino reiicienda est. Nam, si philosophia scholastica in veritatibus ratio-

---

[1]) *Super Boëthium, De Trinitate*, q. II, a. 3 c.

[2]) *De reductione artium ad theologiam.*

[3]) S. Thomas advertit ipsam theologiam naturalem, quae est pars philosophiae, a theologia revelata toto genere differre. « Vnde, scribit, Theologia, quae ad sacram doctrinam perti- « net, differt *secundum genus* ab illa Theologia, quae pars Phi- « losophiae ponitur »; I, q. I, a. 1 ad 2.

[4]) Cons. Albert. M., *Prolog. in partem primam Summ. theol.*, *Opp.* t. XVI, ed. Jammy 1651; s. Thom., *In lib. I Sent.*, Prolog., a. 1; *Cont. Gent.*, lib. I, c. 3, et *Super Boëthium, De Trinit.*, q. II, a. 2 c. etc.; s. Bonav. *De reduct. artium ad theol.*

nalibus, quae involucro dogmatum obteguntur, patefaciendis laborasset, idem sane eius, ac theologiae, obiectum esse dicendum foret. Re vera. Heghelius sibi ipsi constans Scholasticos identitatem philosophiae cum theologia propugnasse saepe asseruit. Praeterea, si philosophia, Scholasticorum iudicio, partes sibi iure suo vindicaret investigandi veritates rationales dogmatum formulis involutas, earumque nexus detegendi, profecto ipsa nobis norma esse deberet, ex qua de vera notione dogmatum diiudicandum nobis foret. At Patres aliter senserunt, cum ipsi, ut vidimus, luculenter docuissent nobis doctrina divinitus revelata, tanquam norma, utendum esse, ut veras opiniones Philosophorum a falsis secernamus, hisque repudiatis, illas amplectamur. Scholastici hanc doctrinam Patrum prae oculis habentes sexcenties docuerunt, si quid ratio nobis suggerere videtur, aut in philosophorum libris legitur, quod dogmatis Fidei adversatur, tamquam falsum, et sophistice excogitatum, habendum esse, quia, cum Deus Rationis, et Fidei auctor sit, decreta rationis recte adhibitae dogmatis Fidei contraria esse non possunt. Quo quidem modo, uti ex se patet, non philosophiam theologiae, sed theologiam philosophiae normam habendam esse statuebant [1]. Hinc perspicuum est indolem

[1]) In re adeo explorata satis est unum s. Thomam afferre. « Ex « quo, inquit, evidenter colligitur, quaecumque argumenta con« tra fidei documenta ponantur, haec ex principiis primis naturae « inditis per se notis non recte procedere: unde nec demonstra« tionis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles, vel sophi« sticae » (*Contr. Gent.*, lib. I, c. 7, n. 4). « Si quid autem in di« ctis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est « philosophiae, sed magis philosophiae abusus ex defectu ratio« nis »; *Super Boëthium, De Trinit.*, q. II, a. 3 c. Videsis eumdem s. Thomam, I, q. I, a. 8 c., et *Qq. dispp., De Potentia Dei*, q. IV, a. 1 c. Huic autem, aliisque Doctoribus Scholarum, quos praetermisimus, praeiverat s. Augustinus, qui subdit: « Si ratio con« tra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet « acuta sit, fallit veri similitudine, nam vera esse non potest »; *Epist.* CXLIII *ad Marcellinum*, n. 7.

philosophiae scholasticae diversam esse ab ea, quam Heghelius commentus est.

Nemini negotium facessere debet, quod Scholastici doctrinam Patrum secuti philosophiam ad *intelligentiam dogmatum* spectare tradiderunt. Id, ut vidimus, Heghelium ad rationalismum ipsis tribuendum permovit. Nam, cum intelligi illud proprie dicatur, quod ratio per proprias, et proximas causas eius cognoscit, philosophia ad intelligentiam dogmatum non aliter pervenire potest, quam si causas proximas illorum detegat, sive, quod idem valet, dogmata ad evidentiam veritatum rationalium redigat. Sed Heghelius vehementer falsus est. Etenim constans doctrina Patrum, et Scholasticorum de nexu philosophiae cum theologia omnino vetat, quominus illa locutio stricte accipiatur, quemadmodum ab Heghelio, eiusque discipulis accepta fuit. Et sane, si Patres, et Scholastici, ut diximus, docuerunt philosophiam a theologia tanto intervallo distare, quando id, quod naturae ambitu continetur, ab eo distat, quod supra omnem naturam extollitur, in eorum mentem numquam cadere potuit theologiam, ope philosophiae, adeo elaborari, et evolvi posse, ut ad scientiam naturalem revocetur, unaque, et eadem scientia cum ipsa philosophia efficiatur; ratio enim humana investigationibus suis naturas rerum mutare nequit. Adde his, quod philosophia, si quando dogmata Fidei ad evidentiam veritatum rationalium reduceret, ipsa procul dubio Fidem destrueret. Nam, « Sicut Fides, Estius « scribit, non est eorum, quae videntur, ita nec eorum, « quae sciuntur, idest demonstrative cognoscuntur. Haec « enim cum demonstrentur ex principiis per se notis, et « proinde visis; ipsa quoque aliquo modo, idest in suis « principiis, ex quibus certe et evidenter colliguntur, « visa esse oportet [1] ». Iamvero, veteres Patres saepe inculcarunt Fidem esse fundamentum scientiae rerum divinarum, θεμέλιος γνώσεως, scilicet theologiae [2]; in

[1]) *Sent.* lib. III, Dist. XXIV, § 2, p. 71, t. II, Parisiis 1608.

[2]) « ...credere, Clem. Alex. scribit, est fundamentum cognitio-

iis, quae ad fidem spectant, antistites, sive illos, qui scientia rerum divinarum pollent, a rudi, et imperito fideli non discriminari [1]; quin immo hominem Dei esse desinere, qui doctrinae a Christo traditae, et ab Ecclesia servatae adversatur [2]. Immo s. Augustinus secundum ipsos antiquos Patres [3] asseruit, Fidem per scientiam in nobis nutriri, defendi, roborari; tantum abest, ut per ipsam destruatur [4].

Cum haec procul dubio sint pronunciata Patrum de nexu scientiae cum Fide, et ab eis Scholastici ne latum quidem unguem discedant, luce meridiana clarius est illos non potuisse intelligentiam dogmatum eo usque persequi, ut mysteria Fidei in veritates rationales convertere confiderent. Re sane vera, istud propositum non modo Patrum animis numquam insedit, sed etiam cavendum cuique esse saepe et vehementer ab eis inculcatum fuit. Hoc de singulis mysteriis ostendere in promptu foret; sed ne in re omnibus comperta immoremur, unum, et alterum locum adducemus, quae hanc rem in universum spectant. S. Irenaeus in ipso opere, in quo studiosos rerum divinarum ad dogmatum Catholi-

---

nis » (*Stromat.* lib. VII, c. 10). Clemens per *cognitionem*, γνῶσιν, ut suo loco dicemus, intelligit perfectam cognitionem, seu scientiam eorum, quae Fides, πίστις, tradit. Ibidem huiusmodi cognitio *super fidem aedificata*, ἐποικοδομὴν τῇ πίστει, ab eo dicitur.

[1]) Audi Irenaeum: « Nec vero aut is ex Ecclesiae antistitibus, « qui dicendi facultate pollet, ab his diversa dicturus est: (nemo « enim supra magistrum assurgit), aut is rursus, qui parum di- « cendo valet, traditioni detrimentum afferet. Nam cum una, at- « que eadem fides sit, nec qui de ea uberrimam orationem habere « potest, exuberat, nec qui pauca habet, quae dicat, eam immi- « nuit »; *Adv. haeres.*, lib. I, c. 10, n. 2, ed. cit.

[2]) Idem Clemens inquit: « . . . homo Dei esse, et Domino fidelis « esse desiit, qui adversus Ecclesiasticam recalcitravit traditio- « nem »; *Op. cit.*, lib. cit., c. 6.

[3]) « Per hanc (*cognitionem*) enim, Clemens subdit, fides perfici- « tur, utpote cum per eam solummodo fidelis efficiatur perfectus», *Op. cit.*, lib. cit., c. 10.

[4]) *De Trinit.*, lib. XIV, c. 1. De hoc loco paulo inferius.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

cae Fidei rationes investigandas hortatus est [1], antecessores recentium Rationalistarum acerrime reprehendit, quod rationi humanae prorsus impervias mysteriorum causas scrutari non dubitarent [2]. Vnde clamavit: « Et « non est mirum, si in spiritualibus et coelestibus, et « in his, quae habent revelari, hoc patimur nos: quandoquidem etiam eorum, quae ante pedes sunt (dico « autem quae sunt in hac creatura, quae et contrectantur a nobis, et videntur, et sunt nobiscum) multa « fugerunt scientiam, et Deo haec ipsa commisimus [3] ». S. Augustinus idem docuit cum multis in locis, tum in hoc: « Vbi ad divina perventum est, avertit (*ratio*) se « se, intueri non potest, palpitat, aestuat, inhiat amore, « reverberatur luce veritatis, et ad familiaritatem tenebrarum suarum non electione, sed fatigatione convertitur [4] ». Ceteris omissis, s. Anselmum audiamus, qui doctrinas Patrum, praesertim s. Augustini, breviter, atque ex ordine in suis libris exposuit. « Nullus christianus, scribit, debet disputare, quomodo quod catholica « Ecclesia corde credit, et ore profitetur, non sit, semper « eamdem fidem indubitanter tenendo, et secundum illam vivendo humiliter quantum potest, quaerere rationem quomodo sit. Si potest intelligere, Deo gratias « agat: si non potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum [5] ».

Scholasticorum, qui ss. Patrum sententiam concorditer probarunt, instar esse possunt s. Thomas, et s. Bonaventura. Aquinas luculenter docuit eos, qui in dogmatum sacris Libris consignatorum interpretatione philosophiam adhibent, falli non modo, si absurdis pronunciatis philosophiae utantur, sed etiam, si dogma-

---

[1]) Vid. loc. cit. p. 86, not. 2.

[2]) *Op. cit.*, lib. et c. citt., n. 3, 4, 6, 8, et 9. — [3]) *Ibid.* n. 22.

[4]) *De Mor. Eccl. Cathol.*, lib. I, c. 7, n. 11. Alibi inquit: « Quod humana ratio non invenit, fides capit, et ubi humana ratio « deficit fides proficit »; *Serm.* CXC, c. 1, n. 2. Cf quoque *Epist.* CXX *ad Consent.*, c. 1, n. 4. — [5]) *De Fide Trinit.*, c. 2.

ta ratione metiri, et ad veritates rationales revocare velint. En locum praeclarum, in quo sanctus Doctor errori Heghelii occurrere voluisse videtur. « Tamen utentes philosophia in sacra Scriptura possunt dupliciter errare. « Vno modo utendo his, quae sunt contra fidem, quae « non sunt philosophiae, sed potius error, vel abusus « eius. . . Alio modo, ut ea, quae sunt fidei, includantur sub metis philosophiae, ut si nihil aliquis credere « velit, nisi quod per philosophiam habere potest, cum « e converso philosophia sit ad metas fidei redigenda, secundum illud Apostoli, II *ad Cor.*, 10, 5: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* [1] ». Hinc a rationalistarum doctrina, quam Heghelius Scholasticis attribuit, cavendum praecepit: « Est valde « cavendum ne quis ad ea, quae fidei sunt, aliquas demonstrationes adducere praesumat . . . , quia in hoc « derogat excellentiae fidei, cuius veritas omnem rationem humanam excedit, secundum illud *Eccl.* III, 25, « *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi*; quae « autem demonstratione probari possunt, rationi humanae subduntur [2] ». Idem Aquinas illos reprehendit, qui ea, quae sola Fide cognosci possunt, infirmis rationis momentis demonstrare conabantur. « Et hoc, ait, utile « est, ut consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est demonstrare praesumens, rationes non necessarias induc« cat, quae praebeant materiam irridendi infidelibus exi« stimantibus nos propter huiusmodi rationes credere, « quae fidei sunt [3] ». Hoc etiam Seraphicus Doctor multis in locis insinuavit, ex quibus hunc eligimus: « Valde parum attingit scientia cognitionem divinorum, « nisi fidei innitatur, quia in una, et eadem re aper« tissimum est fidei, quod occultissimum est scientiae,

---

[1]) *Super Boëthium, De Trinit.*, q. II, a. 3 c.

[2]) *Quodlib.* III, a. 31, c. Cf *Cont. Gent.*, lib. I, c. 9; *Qq. dispp., De Verit.*, q. XIV, a. 3 ad 6, et q. XVIII, a. 3 c.; *In lib. III Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 2, *sol.* 1.

[3]) I, q. XLVI, a. 2 c.

« sicut patet de altissimis, et nobilissimis quaestionibus, « quarum veritas latuit philosophos, et nunc manifestae « sunt Christianis simplicibus. Propter quod Apostolus « dicit stultam fecisse Deum sapientiam huius mundi, « quia omnis sapientia de Deo in via absque Fide ma- « gis est stultitia, quam vera scientia, deprimit enim « perscrutantem in errorem, nisi dirigatur, et iuvetur « per Fidei illuminationem [1] ».

Audiendi vero non sunt ii Rationalistae, qui saltem Scotum Erigenam, Anselmum, et Abaelardum rationalismo hegheliano praelusisse contendunt. Etenim s. Anselmus, uti vidimus, scientiam eorum, quae ratione cognoscimus, a scientia eorum, quae sola Fide tenemus, discriminavit [2], et non omnium, quae Fide tenemus, aliquas rationes assequi nobis licere aperte asseruit [3]. Vnde Bouchitteus eum redarguit, quod *iugum excutere, et absolutum imperium rationis humanae agnoscere satis non valuit* [4], et Rousselotus id in causa fuisse putavit, cur ipse *magnus philosophus* non evaderet [5]. De Scoto Erigena non est concors historicorum iudicium; nam, si non pauci notas pantheismi, et rationalismi philosophiae illius inurunt [6], Petrus Hyort [7], ut nuperos recitemus, Ant. Staudenmaierus [8], Alb. Kreutzhage [9], in primisque Schluete-

---

[1]) *In lib. III Sent.*, Dist. XXIV, a. 11, q. 2 *ad arg.* Cf *ibid.*, Dist. XXIII, dub. 1, et lib. IV, Dist. XI, dub. 1.

[2]) Vid. p. 86, not. 1. — [3]) Vid. p. 97.

[4]) *Du rationalisme chrètien à la fin du onzième siècle, ou Monologium, et Proslogium de saint Anselme sur l' essence divine*, trad., et précéd. d' une introd., Introd., Paris 1842.

[5]) *Op. cit.*, part. I, c. 7, p. 241.

[6]) Praeter Gerbert (*Introd. à la phil. de l' histoire*, Conf. III, p. 101 sqq, Paris 1831), aliosque nominandi sunt Goerres in sua *Mystica Christiana* etc. (germ.), t. I, p. 243, et qui Goerresium adversus Schlueterum defendere conatus est, auctor Anonym. *Comment. De Ioan. Scoto-Erigena*, Pars poster., Bonnae 1835.

[7]) *Scotus Erigena* etc. (germ.), Kopenhag. 1823.

[8]) *Ioan. Scotus Erig.* etc., Francorf. ad Moen. 1834.

[9]) *Disq. de influxu philos.* etc. (germ.), p. 216 sqq, Munster 1831.

rus [1], ipsam ab illis erroribus vel omnino, vel saltem ex parte excusatam volunt. Quod ad Abaelardum attinet, certe is, ob immoderatum, pravumque philosophiae usum in re theologica, in multarum haeresium suspicionem venit [2]; sed a Patribus Concilii Senonensis damnatus errores suos retractavit, et suam Theologiam Christianam propriis manibus combussit [3].

Postquam Protestantium, et Rationalistarum iudicia de natura philosophiae scholasticae confutavimus, opus nobis est inquirere, quid Scholastici sibi voluerint, cum philosophiam esse ancillam theologiae sanxerunt, et num, si philosophia hoc modo consideretur, progressus eius praepediantur.

Philosophiam veluti ancillam theologiae a Scholasticis habitam fuisse adeo certum est, ut Heghelium, eiusque asseclas id pernegasse simile portento sit. Et sane, Scholastici non solum philosophiae erga theologiam, ut mox videbimus, ea officia tribuerunt, quae famulam erga dominam decent, sed etiam, quoties philosophiam cum theologia compararunt, illam vocibus *ancillae*, vel *famulae* designarunt, et philosophiam theologiae *ancillari*, vel *famulari* asseruerunt [4]. Kuh-

---

[1]) *Praef.* ad lib. *De divis. nat.*, ed. cit., et inter *Opp.* Ioan. Scoti, ed. Floss, p. 114, ex tip. Migne, Parisiis 1853.

[2]) S. Bernardus hoc iudicium de Abaelardo tulit: « Cum de Tri-« nitate loquitur, sapit Arium; cum de Gratia, sapit Pelagium; « cum de Persona Christi, sapit Nestorium »; *Opp.* vol. I, p. 185, Venetiis 1570.

[3]) Cf Martene, *Thesaurus Anecdotorum*, t. V.

[4]) « Albertus inquit: « Haec autem est theologia, ut dicit Philo-« sophus: omnes ergo ancillantur ad istam, et nulla perfecta ra-« tione libertatis libera est, nisi ista, quae ad nihil refertur, quod « sit extra ipsam. . . . Haec igitur scientia finis aliarum scientia-« rum est, ad quam omnes aliae referuntur ut ancillae. . . . et ideo « libera est, et domina, et sapientia, et in omnibus potior » (*Prolog. in primam partem Summae theologiae*). S. Thomas vero: « Non « enim accipit (*theologia*) sua principia ab aliis scientiis. . . tam-« quam a superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus, et an-« cillis »: I, q. I, a. 5 ad 2; cf *In lib. IV Sent.*, Prol., a. 1 *sol.*). Ne

nius putavit huiusmodi sententiam Scholasticos a s. Ioanne Damasceno accepisse ; unde ipsam in Scholis invaluisse huic sancto Doctori culpae vertit [1]. At vir eruditus falsus est; si quidem Damascenus, et Scholastici hanc doctrinam ab antiquis Patribus, quin immo ab ipso Aristotele acceperunt. Et sane, Aristoteles, ut alias dicemus, metaphysicam, quam modo *theologiam*, modo *philosophiam primam*, modo *sapientiam* vocavit, dixit esse scientiam *divinissimam*, θειοτάτην, *principalissimam*, ἀρχικωτάτην, *honorabilissimam*, τιμιωτάτην, et solam *liberam* , ἐλευτέραν, sive *sui ipsius gratia*, αὐτῆς ἕνεκεν [2], proindeque scientiam, « cui « ceteras scientias tanquam ancillas non contradicere « decet [3] ». Nisi quod theologia secundum Aristotelem et ipsa pars philosophiae est ; quocirca non domina philosophiae , sed domina reliquarum scientiarum , quae philosophiae ambitu cum ipsa continentur ab eo dicta fuit. At Iudaei, et Christiani, cum, praeter humanas scientias, aliam agnoscerent divinitus acceptam , quam *sapientiae*, vel *theologiae* nomine designabant, hanc, nedum reliquarum scientiarum, ipsius metaphysicae, sive, ut secundum Stagiritam loquamur , theologiae naturalis principem , et dominam nuncuparunt. « Sicut enim, Philo Iudaeus ait, en- « cyclopaedia ancilla est philosophiae, ita philosophia an- « cilla est sapientiae [4] ». Inter Christianos, ut Clementem

---

aliter senserunt s. Bonaventura, ex quo haec pauca exscribimus: « Et sic patet, quomodo omnes cognitiones famulentur theologiae» (*De reduct. art. ad theolog.*, cf *Brevil.* Prolog.); et Roger. Baco, qui praeter alia inquit: « Dico quod est una scientia dominatrix alia- « rum, ut theologia » (*Opus maius*, Pars II, c. 1, p. 23, ed. cit.). His praecesserat s. Petr. Damian., qui ait: « Haec humanae ar- « tis peritia si quando tractandis sacris eloquiis adhibetur, non « debet ius magisterii sibimet arroganter arripere; sed velut an- « cilla Dominae quodam famulatus obsequio subservire »; *Opusc.* XXXVI, c. 5, *Opp.* t. II, Bassani 1783.

[1]) *Dogmatica catholica*, t. I, p. 232, Tubingae 1846.

[2]) *Met.*, lib. I, c. 2, p. 8 ed. Bonitz. Cf lib. X, c. 7, p. 206, et *Eth. Nicom.*, lib. VI, c. 7, *Opp.* ed. Bekk, p. 1141.

[3]) *Met.*, lib. II, c. 2, p. 41 ed. cit.

[4]) *De Congres. quaer. erudit. gratia*, ed. cit.

Alex., Origenem, s. Augustinum, aliosque, quorum sententia ex locis eorum ante allatis perspici potest [1], praetereamus, Amphilochius in epistola iambica ad Seleucum inquit: « Iustum id est, ut Spiritus sapientia, superne ab ipso profecta Numine sit domina, δέσποινα, terrenae, velut ancillulae, ὥσπερ θεραπείνης [2] ». Hinc, cum s. Ioannes Damascenus scripsit: « . . . consentaneum est, ut ancillae quaedam Reginae serviant. Hanc igitur, assumere doctrinam non pigeat, quae veritati famuletur [3] », ipse certe nihil novi attulit, sed doctrinam Patrum, cuius Aristoteles fundamentum iecerat, sectatus est.

Iam, Scholarum Doctores, Patrum vestigiis insistentes, quomodo theologia scientiis humanis praestet, et quibus officiis hae erga illam fungantur, ex instituto tradiderunt. Multa sunt capita, quorum gratia theologiam philosophiae antecellere ab eis observatum fuit. Horum potiora sunt tria, quae secundum s. Thomam exponere iuvat. Theologia humanis scientiis antecellit primo ob praestantiam sui obiecti, quia ipsa « est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt. Aliae vero scientiae considerant ea tantum, quae rationi subduntur ». Secundo, ob effectum, quem in animis discentium producit, quia « aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest ». Tertio, ob nobilitatem finis, ad quem homines ducit, prout practica scientia est; « nam finis . . . huius doctrinae, inquantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum [4] ».

---

[1]) Vid. praesertim Clem. Alex., *Strom.* lib. I, c. 5; Origen., *Epist. ad Greg. Neocaes.*, *Opp.* ed. cit., t. I, p. 30; s. Aug., *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 40, n. 60.—[2]) In Galland. *Bibl. PP.* t. VI, p. 494.

[3]) *Dialect.*, c. 1, ed. Lequien, Parisiis 1712. Cf hac de re Clemens, *Dissert.* cit., p. 1-4.

[4]) I, q. 1, a. 5 c.; cf *Prolog. in lib. I Sent.*, aa. 1, et 3. Plura vi-

Quoniam theologia cunctis humanis scientiis praestat, ideo Scholastici sanciebant ei subservire oportere omnes scientias, quae ambitu philosophiae continentur. Iam, in partibus famulatus, quas philosophia erga theologiam explere debet, describendis principes Doctores, quos saepe laudavimus, concordes fuerunt. S. Thomas, quem inter omnes eligimus, illa exposuit his paucis: « Tripliciter autem in sacra doctrina philosophia uti possumus. Primo « ad demonstrandum ea quae sunt praeambula fidei, quae « necessaria sunt in fidei scientia, ut ea, quae naturalibus « rationibus de Deo probantur, ut Deum esse, Deum esse « unum, et huiusmodi de Deo vel de creaturis in philosophia probata, quae fides supponit. Secundo ad notificandum per aliquas similitudines ea, quae sunt fidei, « sicut Augustinus in libris *de Trinit.* utitur multis similitudinibus ex doctrinis philosophicis sumptis ad manifestandam Trinitatem. Tertio, ad resistendum his, quae « contra fidem dicuntur sive ostendendo esse falsa, sive « ostendendo non esse necessaria [1] ». Haec tria iam s. Augustinus complexus fuerat his verbis : « Fides . . . . « per scientiam gignitur, nutritur, defenditur, roboratur [2] ». *Gignitur* per demonstrationem eorum, quae sunt *praeambula fidei* [3]; *nutritur, et roboratur* per momenta rationis, ex quibus quodammodo declaratur, et intelligitur ; *defenditur* per confutationem cavillatio-

---

dere licet apud Albert. M., *Op. cit.*, ibid., et s. Bonavent., *In lib. I Sent., Prolog.*, q. 3 *resol.*

[1]) *Super Boëtium De Trinit.*, q. II, a. 3 c.; cf *Contr. Gent.*, lib. I, c. 8, et 9. Alia famulatus officia numerarunt Albertus M., *Op. cit.*, ibid., et s. Bonaventura, *In lib. I Sent., Prolog.* q. II, *resol.*, et Rog. Bacon., *Op. cit.*, lib. II, c. 6, et 8, p. 28 sqq.

[2]) *De Trinit.*, lib. XIV, c. 1, n. 3.

[3]) Advertendum hic est cum s. Thoma, quod « per scientiam gignitur fides, et nutritur per modum exterioris persuasionis, quae « fit ab aliqua scientia: sed principalis, et propria causa Fidei est « id, quod interius movet ad assentiendum » (2^a 2^{ae}, q. VI, a. 1 ad 1). Hinc s. Bonaventura statuit scientiam generare fidem non *effective*, sed *dispositive*; *In lib. III Sent.*, Dist. XXXV, dub. 2.

num, quibus increduli, et haeretici ipsam oppugnant. Hunc locum s. Augustini procul dubio s. Bonaventura prae oculis habuit, cum inquit: « Scientia ista valet ad « fidei introductionem, et introductae provectionem, et « provectae defensionem, et defensae confirmationem [1] ».

At estne tenendum Scholasticos de progressibus philosophiae male meruisse, quod ipsam tanquam ancillam theologiae considerarunt? Id, ut vidimus, non solum Protestantes, et non pauci Rationalistae, sed nonnulli quoque hodierni Theologi Catholici Germaniae asseruerunt. Sed nae pessimo consilio. Enimvero, quid sibi Scholastici hoc apophtegmate voluere? Non aliud certe, ut dictum est, nisi theologiam philosophiam veluti manu ducere, ut errores vitet, et in suis inquisitionibus progrediatur; philosophiam autem theologiae adiumento esse, ut necessitatem Fidei non credentibus demonstret, credentes in Fide confirmet, et arma impugnantium Fidem retundat [2]. Iamvero, primo Scholastici de philosophia haud male meruerunt, eo quod theologiam ducem in suis disputationibus secuti sunt. Nam, missis Rationalistis, qui theologiam non aliud esse, nisi ipsam philosophiam rudi, exiguoque captui plebis accommodatam obganniunt, reliqui inficiari nequeunt, theologiam vel ex hoc capite philosophiae antecellere, quod illa, utpote divinae auctoritati innixa, secus ac ista, falsum numquam ducere potest. At, si ita res se habet theologia facultatem errores Philosophorum ratione prave utentium emendandi iure, meritoque sibi vindicat, et philosophia, quae hanc theologiae facultatem agnoscit, certe e gradu suo non excidit, sed valde perficitur, quia omnia errorum portenta vitat, in quae philosophiam divinae revelationis vel insciam, vel contemptricem ruisse historia locuples testis est.

Accedit, quod theologia non tradit tantum veritates, quae omnem vim rationis exsuperant, sed quasdam et-

---

[1]) *In lib. III Sent.*, Dist. XXXV, dub. 3.

[2]) Cf s. Thomam, ll. citt., p. 102, not. 4, et p. 103, not. 1.

iam veritates, quae, etsi vim rationis non superent, tamen nonnisi aegre, diutino labore, et non sine aliqua suspicione erroris ab ea cognosci possunt [1]. Id genus certe sunt quaestiones de ortu mundi, de divina mundi gubernatione, de natura, et origine mali, de fine ultimo hominis, in quarum solutione Philosophi lumine Fidei carentes vel turpiter errarunt, vel nihil certi assequi potuerunt. Iamvero, iuvat philosophiam huiusmodi veritates a theologia excipere, eiusque ope adiutam momenta rationis inquirere, quibus innituntur; hoc enim pacto ad veritates, quae potissima pars philosophiae sunt, arripiendas planam, et tutam viam sibi parat. Obtrectatores philosophiae scholasticae obiicere solent philosophiam, pronuntiata, quae Fidei adversari deprehendit, retractando, aut veritates, quas ex se haud invenerat, amplectendo, e dignitate sua excidere, quia dignitas omnis rationalis scientiae expostulat, ut ipsa sibi pareat, coecumque auctoritatis iugum excutiat. Sed valde decipiuntur. Nam, philosophia pronuntiata sua, quae Fidei contradicunt, retractat, non ex eo dumtaxat, quod ipsa Fidei contradicere novit, sed ex eo quod, cum certum ei sit illud falsum esse, quod Fidei adversatur, probationes suas retexit, et vitia, quae in illas obreperant, detegit, et, cum aliquas veritates philosophicas ex theologia excipit, illas pro certis habet non solum propter auctoritatem Fidei, sed etiam propter momenta rationis, quae ad illorum probationem invenit [2]. Ex his intelligitur philosophiam, ut Rogerus Baco sa-

---

[1]) Iuvabit legere s. Thomam, *Contr. Gent.*, lib. I, c. 4, in quo demonstrandum suscepit, *quod divina naturaliter cognita convenienter hominibus credenda proponuntur*. Demonstrationem conclusit his verbis: « Salubriter ergo divina providit clementia, ut « ea etiam, quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet; « ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis participes « esse, et absque dubitatione, et errore ». Cf eumdem, *Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. XIV, a. 10 c., et Rog. Baconem, *Op. cit.*, Pars I, c. 10, p. 14-16, ed. cit.

[2]) « Si qua vero, s. Thomas scribit, circa creaturas communiter « a philosopho, et fideli considerantur, per alia, et alia principia « traduntur: nam philosophus argumentum assumit ex propriis

pienter advertit, ex eo quod in suis inquisitionibus dominatui theologiae subiicitur, nedum quidquam dignitatis amittere, perfectam fieri. Certe, nihil dignitatis amittit, quia nihil in se recipit, quod argumentis e ratione petitis non probatur; perficitur vero, quia ope theologiae lacunas explet, quae in ipsa, solis viribus rationis relicta, inveniuntur [1]. Cuius postremae rei testis historia antiquae philosophiae est; haec enim nullum philosophiae systema nobis exhibet, quod non aliqua ex parte mancum sit, et magnos errores non scateat.

Secundo, Scholastici ne male quidem de philosophia meriti sunt, quia ipsam illa officia, quae recensuimus, theologiae praestare docuerunt. Id adeo manifestum est, ut fere probatione non egeat. Atque in primis, quoniam theologia, fatentibus adversariis, philosophiae quam longissime antecellit, evidens est magnum decus in philosophiam redundare ex eo, quod ipsa ad

« rerum causis; fidelis autem ex causa prima, utputa quia sic di-
« vinitus est traditum, vel quia hoc in gloriam Dei cedit, vel quia
Dei potestas est infinita »; *Contr. Gent.*, lib. II, c. 4.

[1]) E re est ex aureo loco Rog. Baconis haec pauca exscribere:
« Et ideo philosophia apud Christianos debet sapere multum de
« divinis, plus quam apud philosophos infideles, et propter hoc
« debent philosophi considerare philosophiam, ac si modo esset
« de novo inventa, ut eam facerent aptam fini suo. Et ideo debent
« multa addi in philosophia Christianorum, quae philosophi infi-
« deles scire non poterant. Et huiusmodi sunt rationes exurgen-
« tes in nobis ex fide, et auctoribus legis, et sanctorum, qui sa-
« piunt philosophiam, et possunt esse communia philosophiae
« completae, et theologiae. Et haec cognoscuntur per hoc, quod
« debent esse communia fidelibus, et infidelibus, ut sint ita noti,
« cum proferuntur, et probantur, quod negari non possunt a sa-
« pientibus, et instructis in philosophia infidelium. Non tamen
« dico, quod aliquid de spiritualibus articulis fidei Christianae
« reciperetur in probatione, sed multae veritates sunt communes
« rationales, quas omnis sapiens de facile reciperet ab aliquo,
« quamvis secundum se ignorarit. . . Et ideo Christiani philoso-
« phiam volentes complere debent in suis tractatibus non solum
« dicta philosophorum de divinis veritatibus colligere, sed longe
« ulterius progredi, usque quod potestas philosophiae totius com-
« pleatur »; *Op. cit.*, pars II, c. 8, p. 41, ed. cit.

theologiam concinnandam quidquam conferre potest. Certe, officia, quibus philosophiam erga theologiam fungi saepe diximus, eiusmodi sunt, ut philosophia theologiae potius dominari, quam subservire videatur. Nihilominus a Scholasticis scite observatum fuit philosophiam theologiae non dominari, sed subservire, quia theologia, utpote longe praestantior cunctis scientiis humanis, his ad commodum, et ornamentum sui suopte iure utitur, ideoque scientiae etsi ad commodum, et utilitatem theologiae concurrant, huic re ipsa serviunt, non dominantur [1]. Praeterea, philosophia, dum theologiae serviens in verisimilibus, et probabilibus rationibus mysteriorum Fidei inveniendis adlaborat, multum inde proficit: necesse enim est, ut rerum adeo sublimium cognitio, quantumvis tenuis, et manca, vim mentis humanae valde exacuat, ideoque ipsam mentem ad veritates naturales inveniendas validiorem efficiat. E re est audire s. Thomam: « Di-
« cendum, quod homo, dum credit, rationem non abne-
« gat, quasi contra eam faciens, sed eam transcendit,
« altiori dirigente innixus, scilicet Veritate prima, quia
« ea, quae Fidei sunt, etsi supra rationem sint, tamen
« non sunt contra rationem. Ea autem, quae supra ho-

---

[1]) « Potest *etiam*, Aquinas ait, haec scientia (*theologia*) acci-
« pere aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessi-
« tate eis indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum, quae
« in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab
« aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo
« non accipit ab aliis scientiis, tanquam a superioribus, sed uti-
« tur eis tanquam inferioribus, et ancillis: sicut architectonicae
« utuntur subministrantibus, ut civilis militari » (I, q. I, a. 5 ad 2). Ceteris praetermissis, lubet audire s. Bonaventuram, qui haec habet: « Sed theologia, tamquam scientia super fidem fun-
« data, et per Spiritum Sanctum revelata, agit et de eis, quae
« spectant ad gratiam et gloriam, et etiam ad sapientiam aeter-
« nam. Vnde ipsa substernens sibi philosophicam cognitionem, et
« assumens de naturis rerum, quantum sibi opus est ad fabrican-
« dum speculum, per quod fiat repraesentatio divinorum, quasi
« scalam erigit, quae in sui infimo tangit terram, et in suo cacu-
« mine tangit coelum »; *Brevil.*, Prooem., § 4.

« minem sunt, quaerere non est vituperabile, sed lau-
« dabile, quia homo debet se erigere ad divina, quan-
« tumcumque potest, ut dicit Philosophus X Ethic.
« c. II [1] ».

Sed illud quoque maximum momentum in hac controversia habet, theologiam, Scholasticorum iudicio, philosophiae non in omnibus controversiis, quas ipsa tractat, sed in illis tantum, quae ad Fidem quodammodo spectant, dominari. Innumera autem in philosophia tractantur, quae ad Fidem non spectant; si quidem non pauca eiusmodi in singulis scientiis inveniuntur, et Scholastici nomine philosophiae, non secus ac ab antiquis factitatum fuerat, omnes scientias humanas designabant. Certe horum omnium perscrutatio ad scientiam rerum divinarum perficiendam, pietatemque erga Deum excolendam, uti a s. Thoma multis argumentis demonstratum est [2], non parum confert; sed ipsa extra Revelationis divinae, seu Fidei fines vagatur; quocirca philosophia in cunctis hisce perscrutandis a theologia haud pendet [3]. Qua in re fere consentientem habemus Haureavium. Hic enim Heumannum, qui Scholasticam esse « philosophiam in servitutem theologiae papeae redactam » asseruit [4], refellens, advertit philosophiam mediae aetatis in iis, quae ad Fidem Catholicam non referuntur, sui iuris fuisse, idque ex hoc colligi, quod ipsa cuncta systemata philosophiae complexa est [5].

Obtrectatores Scholasticae regerunt Scholarum Doctores in suis libris quaestiones philosophicas quaestionibus theologicis subiecisse, quia in suis *Summis*, et *Commentariis in Libros Sententiarum* a Deo exordientes ad res ab Eo creatas gradatim progrediebantur. At vero, sciendum est Scholasticos non modo *Summas*, et

---

[1]) *In lib. III Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 3, *sol.* 2 ad 2; cf I, q. I, a. 5 ad 1. — [2]) *Contr. Gent.* lib. II, c. 3 et 4.

[3]) Cons. Iac. Clemens, *Dissert.* cit. p. 26 sqq. — [4]) Vid. p. 84, not. 1.

[5]) *Diction. des scienc. phil.*, art. *Scolastique*, t. VI, p. 554, et 555, Paris 1852.

Commentarios, in quibus theologiam catholicam illustrarunt, sed etiam *Commentarios in Aristotelem*, aut *Tractatus* elucubrasse, in quibus vel integrum aliquod opus Aristotelis exposuerunt, vel aliquam doctrinam ab eo traditam ventilarunt. Iam, in hisce postremis elucubrationibus quaestiones philosophiae vel arduas unius rationis momentis innixi tractarunt, id dumtaxat cordi habentes, ut quae in Aristotele Revelationi divinae repugnare videbantur, vel tanquam falsa confutarent, vel cum monumentis ipsius Revelationis in concordiam adducerent. Quod vero ad primi generis elucubrationes pertinet, mente recolendum est Scholasticos 1° non cuncta, quae ad cognitionem rerum creatarum referuntur, in ipsis tradidisse, sed ea solum, quae ad integrum, absolutumque theologiae systema conficiendum expostulantur; 2° horum, quae vim cognitricem mentis humanae non exsuperant, veritatem argumentis e ratione petitis semper comprobasse.

Sed illud obiectionem prorsus conficit, Scholasticos in ea sententia versatos fuisse, quod in theologia de rebus creatis, aliter ac in philosophia, tractandum est; si quidem theologia in rebus creatis aliud, quam philosophia, considerat, ab aliis, quam philosophia, principiis illarum cognitionem deducit, aliam demum, ac philosophia, methodum sectatur. Praestat hunc partim iam citatum locum Aquinatis, licet longum, exscribere, quippe qui in rem, de qua agimus, plurimum lucis effundit: « Et sic alia ratione « subiiciuntur (*creaturae*) praedictae doctrinae (*christia-* « *nae*), et philosophiae humanae. Nam philosophia hu- « mana eas considerat secundum quod huiusmodi sunt, « unde et secundum diversa rerum genera diversae partes « philosophiae inveniuntur. Fides autem christiana eas « considerat, non in quantum huiusmodi, utpote ignem, « in quantum ignis est, sed in quantum divinam altitu- « dinem repraesentat, et in ipsum Deum quoquomodo « ordinatur . . . Et propter hoc etiam, alia et alia circa « creaturas et philosophus et fidelis considerant. Philo-

« sophus namque considerat illa, quae eis secundum na-
« turam propriam conveniunt. . . . Fidelis autem ea
« solum considerat circa creaturas, quae eis, conveniunt,
« secundum quod sunt ad Deum relata, utpote quod
« sunt a Deo creata, quod sunt Deo subiecta, et hu-
« iusmodi. Vnde non est imperfectioni doctrinae fidei
« imputandum, si multas rerum proprietates praeter-
« mittat, ut coeli figuram, motus qualitatem. . . . Si qua
« vero circa creaturas communiter a philosopho, et fideli
« considerantur, per alia et alia principia traduntur: nam
« philosophus argumentum assumit ex propriis rerum cau-
« sis; fidelis autem ex causa prima, utputa quia sic divi-
« nitus est traditum, vel quia hoc in gloriam Dei cedit, vel
« quia potestas Dei est infinita. . . . Exinde etiam est,
« quod non eodem ordine utraque doctrina procedit; nam
« in doctrina philosophiae, quae creaturas secundum se
« considerat, et ex eis in Dei cognitionem perducit, pri-
« ma est consideratio de creaturis, et ultima de Deo.
« In doctrina vero Fidei, quae creaturas nonnisi in
« ordine ad Deum considerat, primo est consideratio
« Dei, et postmodum creaturarum; et sic est perfectior,
« utpote Dei cognitioni similior, qui seipsum cognoscens,
« alia intuetur [1] ».

Haec adeo firma, luculentaque sunt, ut illi quoque Philosophi, qui rationi plus, quam aequum erat, tribuerunt, philosophiam esse ancillam philosophiae non modo non inficiarentur, sed etiam inculcarent. Vt horum aliquos, e. g., nominemus, Raymundus Lullus, qui rationi vim demonstrandi omnes articulos fidei concedebat [2], philosophiam ita conquerentem inducit :

---

[1]) *Cont. Gent.*, lib. II, c. 4.

[2]) Inter centum eius propositiones, quas Gregorius XI damnavit, extant hae duae: « Prop. 97. Fides est necessaria hominibus « rusticis, insciis, ministralibus, et non habentibus intellectum « elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem, et diligunt « cognoscere per fidem; sed homo subtilis facilius trahitur ad ve- « ritatem christianam per rationem, quam per fidem ». « Prop. 98. « Qui cogonscit per fidem ea, quae sunt fidei, potest decipi, sed

« Confiteor coram istis meis principiis . . . quod nun-
« quam concepi fraudem, neque dolum, neque dece-
« ptionem contra Theologiam ; immo confiteor, quod
« sum ancilla eius [1] ». Idem docuit Thomas Campanella, qui reformandae philosophiae gloriam affectavit. « Theo-
« logia, ipse inquit, vocat omnes scientias, ut ancillas
« ad sui cultum, ergo et omnes philosophos, in quo
« bene serviant ; in quo male, reiicit, corrigitque [2] ». Nec praetermittendus est Baco a Verulamio, cuius est aureus hic locus : « Philosophum moralem in famuli-
« tium Theologiae recipi, instar ancillae prudentis, et
« pedissequae fidelis, quae ad omnes eius natus praesto
« sit, et ministret, quid prohibeat ? Etenim quemad-
« modum in Psalmo habetur, quo *oculi ancillae per-*
« *petuo ad manus dominae respiciunt*, cum tamen mi-
« nime dubium sit, quin haud pauca ancillae iudicio,
« et curae relinquantur : eodem modo et Ethica obse-
« quium Theologiae omnino praestare debet, eiusque
« praeceptis morigera esse, ita tamen ut et ipsa, inter
« suos limites, haud pauca sana, et utilia documenta
« continere possit [3] ». Inter nuperos cl. Guizotus Rationalistas autumantes « religionem, et philosophiam es-
« se duas sorores, quae sibi mutuum obsequium, mu-

« qui cognoscit per rationem, non potest falli; nam fides potest « errare, et non errare. Et si homo errat per fidem, non habet « tantam culpam, sicut si erraret per rationem. Et sicut verius « cognoscimus ea, quae videmus, quam ea, quae palpamus: ita « verius sumus dispositi ad cognoscendum veritatem per ratio-« nem, quam per fidem »; apud Natal. ab Alex. *Hist. Eccl.*, saec. XIII, c. 3, art. 20, t. XVI, p. 211, et 212, Neapoli 1740. De Raymundo Lullo legere iuvat Bolland., *Acta Sanctorum*, Iun. t. V, p. 632 sqq, Antuerpiae 1709.

[1]) *Duodecim principia philosophiae, seu lamentatio philosophiae*, inter eius *Opera*, quae ediderunt Bucholius, et Salzinger, Moguntiae 1721-1742.

[2]) *Realis philosophiae epilogisticae* Partes IV, p. 15, Parisiis 1637.

[3]) *De augm. scient.*, lib. VII, c. 3, ed. cit.

« tuamque opem praestare debent », reprehendit his verbis : « Philosophiae auctor est homo, quia ipsa « foetus humanae mentis est; religionis autem auctor est « Deus, quia homo ipsam a Deo accipit, acceptamque « saepe corrumpit, sed non parit. Religio, et philoso- « phia non sunt duae sorores, sed duae filiae; illa Pa- « tris nostri, qui in coelis est, haec solius mentis hu- « manae. Quandoquidem ipsae origine pares non sunt, « fieri nequit, ut paris conditionis sint [1] ».

Vera philosophiae scholasticae notione exposita, atque a recentium calumniis vindicata, ab eius fatis in media aetate enarrandis supersedemus, cum illorum enarratio et longa sit, et ad scopum huius Introductionis non expostuletur. Vnum, quod ad defensionem Scholasticae spectat, advertendum censemus, Patres Concilii Parisiensis (MCCIX) prohibuisse, quominus philosophia aristotelica in Scholis vel omnino, vel ad triennium traderetur [2], et deinceps hanc prohibitionem a Roberto Corceone, Gregorii IX Legato, ad quosdam libros Aristotelis coarctatam fuisse (MCCXV) [3]. Osores Scholasticae

[1]) *Mèditations et Ètudes morales*, Prèf., Paris 1851. Sed cl. Vir in ratione explicanda, qua auctoritas, et libertas inter se continentur, non pauca peccavit, quae Augustus Nicolas scite advertit in suo opere: *Del protestantesimo* etc., trad.dal franc., Napoli 1852.

[2]) « Nec libri Aristotelis de naturali philosophia, nec commenta « legantur Parisiis, publice vel secreto » (apud Martene, *Thes. novus Anecd.* t. IV, p. 166). Hugo continuator Roberti Antissiodorensis scripsit: « Librorum quoque Aristotelis, qui de naturali « philosophia inscripti sunt, et ante paucos annos Parisiis coepe- « rant lectitari, interdicta est lectio tribus annis, quia ex ipsa er- « rorum semina viderentur exorta »; apud Launoium, *Op. cit.*, c. 1, p. 127-130, ed. cit.

[3]) « Non legantur libri Aristotelis de metaphysica et de naturali « philosophia, nec summae de iisdem, aut de doctrina Magistri « David de Dinant, aut Almarici haeretici, aut Mauritii Hispani» (apud eumdem Launoium, c. 4, p. 195 sq, ed. cit.). Ipsemet Gregorius IX in Bulla, quam dedit an. MCCXXXI, praecepit, « ut « magistri. . . libris illis naturalibus, qui in concilio provinciali « ex certa causa Parisiis prohibiti fuere, non utantur, quousque « examinati fuerint, et ab omni errorum suspicione purgati »; apud Launoium, *Op. cit.*, c. 6, p. 198-200.

inde conficiunt philosophiam aristotelicam principio ab Ecclesia damnatam fuisse. Sed perperam ; nam Gregorius IX post Patres Concilii Paris. prohibuit, quin aliqui libri Aristotelis explicarentur , quippe quod Almoricus Carnotensis, et David de Dinanto, eorumque sectatores ex Arabum commentariis decepti aristotelicam philosophiam ad doctrinam Catholicam corrumpendam abutebantur [1]. Re vera, amota ex libris Aristotelis per Alberti M., Thomae Aquinatis, aliorumque Doctorum interpretationes, et discussiones , omni erroris occasione , Vrbanus V (ann. MCCCLXVI) per duos Cardinales Ioannem tit. s. Marci , et Aegidium tit. s. Martini , quos Lutetiam Parisiorum ad reformandam Academiam miserat , omnes libros Aristotelis tradi , et explicari non permisit tantum, sed iussit quoque, et inculcavit [2]. Certe si Pa-

[1]) De connexione errorum Almarici, et Dinantii cum doctrinis Arabum cons. Buddeum, *De haeresibus ex philosophia aristotelico-scholastica exortis*, in *Observat. Halens.* t. I, p. 197 sqq, Hal. 1700; et *Dissert. De Spinozismo ante Spinozam*, § 11-15, in *Analecticis hist. phil.*, p. 327 sqq, Halae Sax. 1724.

[2]) Vid. Launoium, *Op. cit.*, c.9, p. 210-212. Quandoquidem lectio Physicorum,et Metaphysicorum Aristotelis hac aetate a Summis Pontificibus primum damnata, deinde praecepta fuit, eruditi, praesertim nuperi, dubitarunt, an libri illi Aristoteli iure tribuerentur, et num *Commenta*, quae eis adiecta erant, Averrois, aut alius Arabis fuissent. Dubitatio ex eo quoque vim sumpsit, quod iam inde ab. an. MCCXXX Albertum M., et s. Thomam libros Physicos, et Metaphysicos Aristotelis in Academia Parisiensi interpretatos fuisse indubium est. Seraph. Piccinardi e Brixia (*De imputato Scholasticis studio effraeni in Aristotelem*, c. 9, Patavii 1676) in hac sententia versatus est Patres Concilii Paris., et Gregorium IX damnasse tractatum *De secretiori Aegyptiorum philosophia* (ed. Nicol. Castellani, Faventiae 1519, et rursus Franc. Patritius, Ferrariae 1591), qui saeculo decimotertio sub nomine Stagiritae innotescebat (s. Thom., *Opusc.* XVI, c. 1). Alii suspicati sunt illos libros fuisse vel *librum de Causis*, vel opus *De Divisione naturae*, quorum ille Aristoteli adiudicatum fuisse certum, hoc adiudicari ei potuisse non improbabile est (vid. Jourdain, *Op. cit.*, p. 212, ed. cit., et Haurèau, *Op. cit.*, c. 15, t. II, p. 114). Ast omnes hae opiniones, seu coniecturae improbabiles sunt, quia nihil nobis suppetit, ex quo non lectionem

tres Concilii Parisiensis, et Gregorius IX ipsam philosophiam Aristotelis, non vero perversas illius interpretationes damnare voluissent, intelligi non posset, quomodo Albertus M., et s. Thomas omnes libros Stagiritae, antequam damnatio revocaretur, nemine reclamante, publice interpretati essent.

Hic status Scholasticae philosophiae usque ad initium sec. XIV perduravit. Hoc enim saeculo ineunte, Ockamus, discipulus Scoti, sicuti adversus Romanorum Pontificum potestatem, ita adversus doctrinas Scholasticorum, qui ei praeiverant, signum extulit, et liberiorem philosophandi rationem instituit, ex qua initium recentis philosophiae hodierni Rationalistae repetunt [1]. Ipse enim docuit quaedam falsa videri nobis in philosophia, quae theologia vera esse demonstrat. Sic, ut unicum exemplum adducamus, ratio humana, eius iudicio, decernere nequit, num causa effectrix mundi sit infinita, quippe quod natura causae naturae effectus respondere debet, et effectus naturales, ex quibus causa mundi colligitur, sunt finiti [2]. Inter multos, et non ignobiles eius sectatores aliqui non dubitarunt asserere duo, quae secum

---

librorum Aristotelis, sed aliorum, qui sub eius nomine circumferebantur, prohibitam fuisse coniicere licet. Quocirca scite Haureavius (*Op. cit.*, c. cit., p. 391-410), et Renanus (*Op. cit.*, Part. II, c. 2, § 4, p. 174-176), post Lud. Thomassinum (*Op. cit.*, § 9, et 10, p. 200-202), Mansium (ad *Ann. Eccl.* Baronii, t. I, p. 289, Lucae 1757), et Iourdanum *Recherch. critiq.* etc., p. 193, et 194, ed. cit.) admodum probabile esse putarunt *Physica, et Metaphysica*, quorum lectio damnata fuit, re ipsa Aristotelis, et *Commenta* Averrois, vel alius arabis fuisse, eorumque lectionem principio damnatam, quia inde occasio exitiales contra Fidem errores tradendi arripiebatur, sed, statim ac huiusmodi periculum cessavit, permissam, quin immo praeceptam esse.

[1]) Vid. Cousin, *Introd. à l' hist. de la phil.*, lect. IX, *Oeuvr. phil.*, ser. 2, t. II, ed. cit., et Haurèau, *Op. cit.*, c. 28, t. II, p. 422.

[2]) *Quodlibet.*, Quodl. II, q. 3, Parisiis 1487. Plerique Scriptores historiae philosophicae Ockamum, praesertim ob bellum contra potestatem RR. PP. peractum, magnis laudibus prosequuntur, sed eum sub finem vitae resipuisse, atque a censuris absolutum esse silent. Cons. Wadding. *Annal. Minorum*, an. 1347, n. 19-22, t. III, p. 549, et 550, ed. 2, Romae 1831 sqq.

pugnant, esse posse simul vera, unum quidem *secundum rationem naturalem*, alterum vero *secundum rationem supernaturalem* [1]. Per haec Ockamistarum conamina effectum est, ut philosophia Scholarum salutare iugum theologiae abiiceret, atque illam philosophandi rationem inchoaret, ex qua philosophia recentis aetatis, tot, tamque exitialium errorum parens, invaluit.

Vt caussae belli philosophiae scholasticae indicti, unaque novae philosophiae originis cognoscantur, sciendum est exeunte saec. XIV, et sub initium saec. XV nonnullos graecos e Constantinopoli in Italiam sese recipientes, secum graecos libros Platonis, et Aristotelis tulisse, suisque in alterutrum philosophum studiis effecisse [2], ut non pauci itali, relictis Scholasticorum castris, ad philosophiam Platonis, aut Aristotelis confugerent [2]. Nec illi italos eiusmodi studiis imparatos nacti sunt: iam enim in Italia, opera, et curis Dantis Alighierii, Petrarchae, et Boccacii studium latinarum, graecarumque litterarum, quod nunquam omnino perierat, restauratum fuerat [3]. Eorum, qui post Georg. Gemistum, Pletonem, Card. Bessarionem, aliosque graecos philosophiam platonicam, vel potius neoplatonicam instaurare studuerunt, principes locus dandus est Marsilio Ficino. Hic enim, praeterquam quod versiones latinas operum Platonis, et Plotini, aliorumque ad neoplatonicam sectam pertinentium exornavit, libros

---

[1]) « Neque dicas, Mazzonius scribit, cum Roberto Holcoet *in* « *Prim. Sent.* Philosophorum rationes veras esse posse secun« dum rationem naturalem, articulos vero theologicos veritatem « sibi vindicare secundum rationem supernaturalem. Nam (ut « ait D. Thomas) nullo pacto verum alteri vero repugnare pot« est »; *In univers. Platon. et Arist. Philos. praeludia*, p. 201, Venetiis 1597.

[2]) Cons. Humphr. Hodium, *De graecis illustribus linguae graecae, litterarumque humaniorum restauratoribus*, Lond. 1742, et Fr. Boernerum, *De doctis hominibus graecis litterarum graecarum in Italia restauratoribus*, Lipsiae 1750.

[3]) Cf Buhle, *Hist. de la phil. modern.* etc., sect. 1, c. 2, et 3, t. II, p. 18-99, ed. cit.

platonicae philosophiae illustrandae idoneos scripsit [1], et Academiae Platonicae praefuit, quae Florentiae saec. XV a Cosmo Mediceo instituta sub huius, nec non Petri filii, et Laurentii nepotis auspiciis laetissime floruit [2]. Alii, iique plures philosophiam aristotelicam, quam Graeci Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntinus, et Georgius Scholarius, vel quo nomine etiam innotuit, Gennadius contra graecos platonicos defenderant [3], amplexati sunt. Hi vero, quamvis Aristotelem sectarentur, tamen, non secus atque illi, qui Platoni favebant, sese infensos in philosophiam scholasticam praebuere. Etenim horum aliqui, uti Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, aliique philologi Scholasticos insectabantur propter barbarum, uti aiebant, dicendi genus, quod in philosophia Aristotelis explicanda usurpaverant; alii vero, ut Laur. Valla, Erasmus, ceterique, quos supra nominavimus, Scholasticos susque deque habebant non solum ob eamdem, ac philologi, causam, sed etiam, quod genuinam philosophiam Aristotelis haud novissent, atque insuper illam, quam sibi confixerant, philosophiam aristotelicam quisquiliis, ineptiisque fere suffocassent. His Lutherus, eiusque gregales adiungendi sunt; namque hi, ut iam dictum est [4], etsi Aristotelem, quem una cum Scho-

---

[1]) Vid. prae ceteris eius libris *Theologia platonica, sive de immortalitate animorum; et aeterna felicitate lib. XVIII*, *Opp.* t. I, Parisiis 1641.

[2]) De hac Academia, quae, ut van Heusde ait (*Characterismi principum philosophorum veterum*, p. 186, Amstelod. 1839), « innumerabilium deinceps fuit similium Academiarum mater », cons. Tiraboschi, *Storia della letter. ital.*, t. VI, part. I, p. 153 sqq, et t. VI, part. I, p. 226 sqq, Milano 1824, nec non Sieveking, *Hist. Acad. platon.* (germ.), Gottingae 1812.

[3]) De hac controversia, quae inter Graecos Italiam appulsos de pretio philosophiae platonicae, et aristotelicae exorta est, legesis Leonem Allatium, *De claris Georgiis*, apud Fabricium, *Bibl. graec.*, vol. XII, p. 1 sqq, ed Harles, Hamburgi 1809, et Boivinii *Dissert.*, quae extat in *Mem. litt. Acad. reg. paris.*, t. II, p. 775 sqq.

[4]) Pag. 83.

lasticis principio vituperaverant, impense excolere coepissent, nihilominus Scholasticos reprehendere non destiterunt, comminiscentes illos usu philosophiae aristotelicae perperam intellectae theologiam christianam depravasse.

Sed, cum platonica philosophia brevi tempore pene extincta fuisset, aristotelica rursus platonicam sibi subiecit, et sola in cunctis Scholis, et Vniversitatibus dominari coepit. Verum, eius sectatorum duo veluti agmina deinceps extiterunt. Nam Protestantes, et nonnulli etiam, qui catholico nomine gloriabantur, philosophiam aristotelicam non per versiones, et commentarios Arabum corruptam, sed ab ipsis graecis Aristotelis libris haustam, ideoque puram, et genuinam sese tradere profitebantur. Contra ea, Catholici in exponenda philosophia aristotelica Doctores Scholarum duces sequebantur, atque hos rectius ac penitius, quam recentes litterarum graecarum doctos, immo interdum, quam ipsos interpretes graecos, mentem Stagiritae assecutos fuisse contendebant[1]. Illud autem notatu dignum est non paucos eorum, qui

---

[1]) Quod ad s. Thomam spectat, iudices huius rei dare possumus Augustinum Niphum, et Pompanatium, quos sancto illi Doctori nimis favisse nemo dixerit. Ille ait: « Thomae Aquinati « merito iura exponendi concessa sunt. . . Illo enim (pace Expo« sitorum Graecorum dixerim) clarior inventus est nemo » (*In Physicas auscult. Arist.* Praef., Venetiis 1549); atque alibi: « Nec « eius commentarios minoris facio his, quae Graeci scripserunt, « ut recte intelligenti patet » (*In lib. de Anim.*, Praef., Venetiis « 1559). Hic vero: « Opinio recitata D. Thomae omnium latino« rum (sententia mea) maximi, imo fortassis non minoris aliquo « Aristotelis Expositore, sive sit Graecus, sive sit Arabs, sive cu« iuscumque sit, omnibus est praeponenda » (*Quaestio de actione reali*, apud Rosellium, *Summa phil. ad mentem s. Thomae*, q. I, a. 8, § 100, not. 8, Romae 1777). His addere lubet Renaudotium ita scribentem: « Neque satis mirari possumus D. Thomae Aqui« natis, qui Aristotelem talium interpretationum subsidio unico « legerat, acumen, et industriam; cum saepe Aristotelem verius, « saltem verisimilius . . . quam Graeci nonnulli, interpretatus « agnoscatur »; *De barbaricis Aristotelis librorum versionibus disquisitio*, quae extat in Fabric. *Bibliot. graec.*, vol. XII, p. 246 sqq, Hamburgi 1724.

Scholasticam philosophiam impugnarunt, adeo effraeni libertati philosophandi indulsisse, ut in suspicionem vel haeresium, uti Erasmus, Laur. Valla, et post alios Pompanatius, vel etiam atheismi, ut prae ceteris Caesalpinius, et Cremoninius, venirent. Nec defuere, qui cum Vaninio atheismum aperte professi sunt, vel scepticismum instaurare cum Michaële Montano, et Petro Charonda studuerunt [1].

Iam, praeterquam quod Scholastici horum *genuinorum*, uti aiebant, peripateticorum errores solide, acuteque confutarunt, Romani Pontifices nulli curae pepercerunt, ut doctrina Aristotelis ab omni errore immunis in Scholis traderetur. Enimvero, vix Graeci cum libris suis Europam appulerunt, cum Nicolaus V, qui libros Aristotelis nova latinitate donari iusserat [2], an. MCCCCLII Legato suo in Gallia mandavit, ut studia Vniversitatis Parisiensis rursus curaret. Legatus, postquam praeceptiones suorum praecessorum, nempe Cardinalium s. Marci, et s. Martini renovavit [3], omissis aliis, quae ad rem nostram non pertinent, plerosque libros Aristotelis explicari iussit [4]. Idem decretum de libris Aristotelis renovatum an. MDXXX per Legatos Sanctae Romanae Sedis fuit, ut studia Vniversitatis Parisiensis contra Protestantium conatus sarta, tectaque servaren-

---

[1]) Cf de his, praeter Bruckerum (*Op. cit.*, t. IV, part. I, et II, *passim*), Buddeum, *Theses theolog. de atheismo, et superstitione*, cum adnott. Ioann. Lulofs, lib. I, § 24, et 25, p. 65 sqq, Lugd. Batav. 1767.

[2]) Vid. Cardin. Bessarionis *Epistolam ad Alphonsum Regem Aragoniae*, apud Launoium, *Op. cit.*, c. 10, p. 223-225.

[3]) « Item statutum illud, quod in dicta reformatione reperi« mus, tamquam per necessarium, districtius volumus, et man« damus observari, eadem nostra auctoritate »; apud Bulaeum (Dubolay), *Historia Vniversitatis Parisiensis*, t. V, p. 573, Parisiis 1670.

[4]) « Item sequens approbamus statutum, quod Scholares, prius« quam admittantur ad determinandum, audiant veterem Artem « totam, librum Topicorum potissime quoad quatuor libros, et « libros Elenchorum, et Posteriorum complete, etiam librum De « Anima in toto, vel in parte »; *ibid.*

tur [1]. Nec aliter sensisse Patres Conciliorum Oecumenicorum Lateranensis, et Tridentini, quae saec. XVI celebrata fuerunt, inter omnes constat. Nam, cum ipsi, ut p. Chastelius observavit [2], multa sanxissent ad disciplinarum, et praesertim philosophiae studia pertinentia, nihil circa philosophiam aristotelico-scholasticam, quae in cunctis Academiis tradebatur, animadvertendum sibi esse censuerunt.

Haec fuere fata philosophiae scholasticae usque ad Franc. Baconis, Cartesii, et Leibnitii aetatem, quorum ille in Anglia, iste in Gallia, hic in Germania recentem philosophiam inchoavit. At, quandoquidem Franc. Baco methodum potius ad scientiarum naturalium, quam ad universae philosophiae instaurationem, accommodatam tradidit, nullamque partem philosophiae ex instituto tractavit, et Leibnitius, spectata methodo philosophandi, quam secutus est, e schola Cartesii prodiisse dicendus est, indolem, et vicissitudines recentis philosophiae nosse volenti a Cartesio initium repetendum est.

Vt vero, quaenam pars in recentis philosophiae inceptione Cartesio tribuenda sit, adamussim perspiciatur, animo recolendum est inter proximos Cartesii praecessores non defuisse, qui, reiecta philosophia aristotelico-scholastica, ne genuinae quidem, uti aiebant, philosophiae aristotelicae adhaeserunt, sed quoddam novum, sive, ut rectius loquamur, quoddam ex veterum Philosophorum placitis conflatum systema condere conati sunt. In horum censum venit in primis Bernardinus Telesius, auctor Academiae Cosentinae, qui studium scientiarum naturalium instaurandum curavit [3]. Post hunc commemorandus est Fr. Patritius; hic enim, postquam philoso-

---

[1]) Cf Crevier, *Histoire de l' Vniversité de Paris*, t. V, p. 266, Paris 1771.

[2]) *Op. cit.*, part. III, c. 2, p. 367.

[3])Cf eius opus, *De natura rerum iuxta propria principia*, Neapoli 1586. Cons. Bartholmèss, *De Bernardino Telesio*, Parisiis 1850

phiam aristotelicam copiose confutare studuit [1], novum systema ex doctrinis, quae sub Hermetis, Zoroastri, et Orphei nominibus circumferebantur, et ex placitis Neoplatonicorum, necnon Telesii conflavit [2]. Patritium, aliosque philosophiae novatores tum vi ingenii, tum opinionum absurditate longe superavit Iordanus Brunus Nolanus, qui veterum pantheistarum scrinia compilans novum pantheismi systema condidit, nuperisque Pantheistis Germaniae praelusit [3]. His adiiciendus est, quem modo nominavimus, Franc. Baco a Verulamio, si quidem ipse, ut alio loco dicemus, paulo ante Cartesium « opus mentis universum resumere [4] », atque « humanum intellectum rebus et naturae parem » sese effecturum promisit [5].

Iamvero, ex iis, quae de horum Philosophorum, necnon Protestantium conaminibus perstrinximus, intelligitur Cartesium, cum sancivit recte, utiliterque philosophari volenti omnes praeiudicatas opiniones reiiciendas esse, unamque rationis evidentiam quaerendam [6], non aliquid inauditum, aut nulla retro aetate tentatum protulisse; si quidem non aliud re ipsa praestitit, quam quod praecepta, et exempla multorum Philosophorum, qui ab Okamo usque ad Baconem ei praecesserant, in unum collegit, atque ex illis rationem philosophandi scholasticae omnino oppositam conflavit. Nihilominus, quandoquidem Cartesius, primus omnium, hanc philosophandi rationem, quae ab eius praecessoribus adhibita fuerat, ex instituto exposuit, atque in suis disquisitionibus usurpa-

---

[1]) *Discussionum peripat.* tom. IV, Basileae 1571.

[2]) *Nova de universis philosophia, libris L comprehensa*, etc., Basileae 1591.

[3]) Longum indicem librorum, quos vulgavit. H. Buchittè exhibuit in *Lexico philos.* saepe citato, art. *Bruno*, t. I, p. 393, et 394, Paris 1844. Missis multis aliis, qui de Bruno data opera scripserunt (vid. Tennemann, *Manuale* etc., part. III, § 297, t. II, p. 146, ed. cit.), legendus est Bartholmèss, *Iordano Bruno*, Paris 1846.

[4]) *Novum Organum*, Praef., *Opp.* t. II, Amstelodami 1694.

[5]) *Ibid.* — [6]) *De methodo*, part. I, § 75, Amstel. 1666.

vit, recentesque Philosophi, qui illi methodo institerunt, eo duce et magistro sese uti professi sunt, ipse recentis philosophiae verus, germanusque parens habendus est. De hac re, ne historicos gallicos nominemus, ipsimet germani dubitare nos non sinunt, inter quos Tennemannum [1], Buhleum [2], Ermannum [3], et Schmidteum [4], nominasse satis est. His praestitutis, ad rationem philosophandi, quam Cartesius inchoavit, exponendam accedamus.

Cartesius, uti ex dictis patescit, ea tempestate philosophari aggressus est, in qua non pauci Philosophi, ob neglectam, vel impugnatam ab eis auctoritatem Fidei, in patheismum, vel atheismum, vel scepticismum praecipites iverant. Iam, ipse veram, solidamque philosophiam condere volens putavit sibi non esse confugiendum ad Fidem, atque hanc, veluti normam disquisitionum suarum, sumendam, sed omnia, quae didicerat, in dubium revocanda, ut vera a falsis, certaque ab incertis discernendi facultatem sibi compararet [5]. « Sic autem, inquit, reiicientes illa omnia, de quibus possumus dubitare, aut etiam falsa esse fingentes, facile « quidem supponimus nullum esse Deum, nullum coelum, nulla corpora, nosque etiam ipsos non habere « manus, nec pedes, nec denique ullum corpus [6] ». At statim advertit fieri non posse, ut ipse, dum talia cogitabat, non esset; « repugnat enim, ne putemus id, quod « cogitat, eo ipso tempore, quo cogitat, non existere ». Quocirca « haec cogitatio, subdit, *ego cogito, ergo sum*,

---

[1]) *Manuale* etc., period. III, epoc. I, § 335, t. III, p. 10, ed. cit.

[2]) *Op. cit.*, sect. 3, c. 1, t. III, p. 1 sqq.

[3]) *Historia novae philosophiae* (germ.), vol. I, p. 150, Lipsiae 1842.

[4]) *Delineazione della Storia della Filos.*, trad. di G. B. Passerini, part. 2, § 84, p. 177, Capolago 1844.

[5]) *Princip. philos.*, part. 1, § 1-5, p. 1, et 2, Amstel. 1666. Versionem adhibuimus a Picoto adornatam, quam Auctor in *Epistola* ipsi versioni praefixa probavit; qua de re vid. Garnier, *Oeuvr. phil. de Descartes*, t. I, p. 181 sqq, Paris 1835.

[6]) *Op. cit.* § 7, p. 2; cf *De methodo*, part. IV, § 1, ed. cit.

« est omnium prima et certissima, quae cuilibet ordine « philosophanti occurrat [1] ». Ex his principiis confecit 1° nihil pro vero habendum esse, nisi quod ex se evidens et clarum est, atque ita evidens et clarum, ut haec enunciatio : *ego sum* [2]; 2° cognitionem historiae opinionum non praesidio, sed impedimento ad scientiam rerum assequendam esse [3]. Haec ratio dubitandi, quam Cartesius instituit, et tantopere inculcavit, maximas inter Philosophos turbas excitavit. Namque alii putarunt ipsam esse fontem pyrrhonismi, et atheismi, atque horum errorum Cartesium accusarunt ; alii e contrario ipsam esse ad hos, aliosque eiusmodi errores refellendos valde opportunam, proindeque Catholicae Fidei, nedum adversam, valde faventem contenderunt [4]. Quandoquidem de controversiis circa dubitationem cartesianam agitatis in logica copiose agendum nobis erit, duo dumtaxat hoc in loco observabimus, quae ad praesentem

---

[1]) *Princip.* etc., loc. cit.

[2]) « . . . et quia plane notabam nihil contineri in his rebus, *co-* « *gito, ergo sum*, quod me certum redderet earum veritatis, nisi « quod manifestissime viderem fieri non posse, ut quis cogitet, « nisi existat, credidi me pro regula generali sumere posse: omne « id, quod valde dilucide et distincte conspiciebam, verum es- « se » (*De method.*, part. IV, § 3). Et paulo ante: « Primum erat, « ut nunquam veluti verum admitterem, nisi quod certo et evi- « denter verum esse cognoscerem » (part. II, § 7). Alibi ait: « Ne « itaque, MI EPISTEMON, tibi mirum videatur me. . . adeo accu- « ratum et exactum esse, ut nihil pro vero habeam, de quo non « ita certus sum ac me esse, me cogitare, meque esse rem cogi- « tantem certo scio » (*Inquisitio veritatis per lumen naturale*, § 69, *Oeuvr. phil.*, ed. Garnier., t. III, p. 169).

[3]) « Oportet ut confiteantur, postquam multum temporis im- « penderint, et complura magna volumina perlegerint, compe- « risse se nihil scire nihilque didicisse »; *Op. cit.*, § cit.; atque *ibid.* § 1, p. 141): « Vir probus ut omnes viderit libros haud ne- « cesse est, nec ut accurate didicerit omnia, quae in scholis do- « centur; imo vitium id educationis eius esset, si nimium tem- « poris litteris impendisset ».

[4]) Has controversias post alios multos nuperrime Fr. Bouillier copiose enarravit in suo opere, *Histoire de la philosophie cartesienne*, Paris, et Lyon 1854.

rem pertinent. Primum est, quod Cartesius, pyrrhonismi accusationem propulsans, asseruit se omnia, quae didicerat, in dubitationem vocasse, non ut omnia pro falsis et dubiis, Scepticorum more, re ipsa haberet, sed ut vera a falsis discriminare posset. E multis locis hunc seligimus : « Nec tamen in eo Scepticos imitabar, qui « dubitant tantum ut dubitent, et praeter incertitudi- « nem ipsam nihil quaerunt. Nam contra totus in eo « eram, ut aliquid certi reperiam [1] ». Alterum est, quod ipse ab universali dubitatione exemit veritates a Deo revelatas, quae captum humanae mentis excedunt. « Sed cum, scribit, pro certo atque explorato accepissem « iter, quod ad illam (*Theologiam*) ducit, doctis non « magis patere, quam indoctis, veritatesque revelatas « humani ingenii captum excedere, verebar, ne in te- « meritatis notam inciderem, si illas imbecillae ratio- « nis meae examini subiicerem [2] ». Hinc statuit hanc regulam: « Praeter cetera autem memoriae nostrae pro « summa regula est infigendum, ea, quae nobis a « Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse cre- « denda. Et quamvis forte lumen rationis, quam ma- « xime clarum et evidens, aliud quid suggerere vide- « retur, soli tamen auctoritati divinae potius, quam « proprio nostro iudicio, fidem esse adhibendam [3] ». Ex his, quae vix innuimus, intelligitur Cartesium *autonomiam* philosophiae, quam permulti Philosophi saeculorum XV, et XVI commendaverant, vel saltem in suis investigationibus adhibuerant, ad leges methodi revocasse [4]; et, quamvis veritates Fidei iudicio rationis non esse subiiciendas, nec pro vero habendum esse id, cui Fides contradicit, inculcasset, tamen rationem a Fide, et philosophiam a theologia omnino segregasse,

---

[1]) *De methodo*, c. 3, p. 23, Amstel. 1678.
[2]) *Ibid.*, part. 1, § 11, p. 5, ed. cit.
[3]) *Principia phil.*, part. 1, § 76; cf *ibid.*, § 25.
[4]) Vid. Fr. Bouillier, *Diction phil.*, art. *Cartesianisme*, t. I, p. 442, Paris 1844.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

sive, ut nuperi loqui malunt, divortium inter Philosophiam, et Theologiam sancivisse.

Postquam multae, vehementesque controversiae de natura, et consectariis methodi cartesianae deferbuere, Cartesius quam plurimos nactus est et in sua, et sequentibus aetatibus sectatores. Pars horum, reiectis multis placitis eius, methodum dumtaxat, quam ipse commendaverat, retinuit: pars autem, praeterquam quod methodo ab eo commendatae institit, cunctas, vel plerasque eius doctrinas amplexata, et tuita est. Praeterea ex his ipsis alii, ut modo diximus, philosophiam cartesianam ita explicuere, ut illam dogmatis Fidei Catholicae, nedum contrariam, omnino consentaneam esse ostenderent; alii vero ita illam interpretati sunt, ut Fidem Catholicam vel aliqua ex parte corrumperent, vel omnino tollerent. Certe, omnium horum Philosophorum systemata hic exponere nobis nec licet, quia ad id longa oratio expostularetur, nec opus est, quia singula suis locis excutienda nobis erunt. Sed pauca dumtaxat animadvertemus, quae ad nexum praecipuorum systematum recentis philosophiae cum philosophia cartesiana, saltem in universum, perspiciendum opportuna sunt.

Principio, sciendum est a Cartesio usque ad exitum saeculi proxime elapsi quolibet tempore extitisse, qui philosophiam scholasticam sectati sunt, eamque cum a cartesianae, tum a reliquarum recentium sectarum obiectionibus vindicarunt. Re vera, Fr. Salvator Rosellius, saeculo XVIII exeunte, eruditissimam *Summam philosophicam ad mentem s. Thomae Aquinatis* concinnavit [1], et fortasse ultimus hoc in opere diligenter versatus est. Ast, his exceptis, reliqui omnes, ratione philosophandi scholastica reiecta, methodum cartesianam probarunt. Verum, in hac methodo explicanda, et adhibenda valde inter se dissenserunt. Vt origo dissensionis cognoscatur, animo recolendum est methodum philosophandi,

---

[1]) Vid. p. 117, not. 1.

quam Cartesius proposuit, eiusmodi esse, ut ad rationalismum theologicum brevi, planaque via ducat. Enimvero, si natura rationis humanae expostulat, ut nihil ab ea pro vero habeatur, nisi quod ei propria evidentia effulget, atque hanc ob causam philosophari incipienti omnia in dubium revocanda sunt, nullum genus veritatis ab hac lege eximatur oportet; nam, cum veritas, ut suo loco dicemus, natura sua ordinem ad rationem habeat, sequitur non aliud pro vero a nobis posse haberi, quam quod ratio modo naturae suae consentaneo cognoscit. Quamobrem, si ratio humana ea tantum pro veris haberi debet, quae evidenter cognoscit, consequens est ipsam dogmata, quae divinitus revelata dicuntur, secundum methodum cartesianam admittere non posse, nisi ea examini subiiciat, eorumque veritatem perspicue cognoscat. Iamvero, id sibi volunt Rationalistae, quippe qui *autonomiam* rationis profitentes genus veritatum supernaturalium, sive, ut nuperi aiunt, *superintelligibilium* tollunt, et non aliud pro vero habendum esse autumant, quam id, quod vim intellectus non excedit, hoc est, id, quod perspicue cognoscitur. Methodus igitur, quam Cartesius proposuit, ad rationalismum recto tramite ducit. Ex quo patescit methodum cartesianam, si penitus introspiciatur, illos limites respuere, quibus Cartesius ipsam circumscribere voluit.

Cum haec sit natura methodi cartesianae, sectatores eius in duas praecipuas partes scissi sunt. Nonnulli rationis *autonomiam* limitibus, quos Cartesius statuit, coarctantes ita philosophati sunt, ut quidquid dogmatis Revelationis Divinae adversari comperiebant, omnino reiicerent. Hi, quorum certus quidam numerus nullo tempore defuit, reiecta philosophia aristotelico-scholastica, cartesianam, vel aliquam illarum, quae ab ipsa propagatae sunt, sive lockianam, sive condillachianam, sive wolfianam probarunt, illud caventes, ne ullum ullius philosophi pronuntiatum amplecterentur, quod

cum Catholica Fide pugnare animadvertebant. Omnium horum communia haec Logicae praecepta fuere : philosophari incipienti omnes praeiudicatas opiniones animo abiiciendas esse ; auctoritatis nullum esse pondus in controversiis philosophicis , sed sola momenta rationis quaerenda ; non aliud veluti rationi consentaneum habendum, quam quod evidens est , aut ab evidentibus principiis evidenter deducitur. Non pauci vero , quandoquidem non cuncta sectae , cui serviebant , dogmata tuebantur , sese eclecticam rationem philosophandi sectari professi sunt ; sed quam male nomen Eclecticorum ipsis conveniat, in *Logica* ostendemus. Illud hic monendum est 1° Philosophos catholicos, qui hanc methodum philosophandi tenuerunt , non raro , uti ex dicendis in hoc opere patebit , quasdam Cartesii , aut alius recentis philosophi doctrinas propugnasse , quin ipsas Fidei dogmatis , quae profitebantur , vel parum consentaneas, vel omnino repugnantes esse adverterent ; 2° nonnullos quoque Theologos catholicos cartesianae , aut wolfianae, aut alius novae philosophiae placitis in disquisitionibus theologicis usos fuisse [1] , propterea quod existimabant se optime meritum iri de theologia , si documenta catholicae Fidei cum recentium Philosophorum placitis perbelle componi posse demonstrassent.

Sed alii, qui Fidem catholicam vel parum cordi habebant, vel odio prosequebantur , ex principiis methodicis Cartesii *absolutam autonomiam* rationis constitui non inscite opinati sunt; quapropter , neglectis illis declarationibus, quas Cartesius , praesertim in suis ad obiectiones adversariorum responsionibus saepe evulgavit , cl. Philosophum Galliae , tanquam *absolutae autonomiae* rationis auctorem, et praeconem , reveriti sunt. E multis , quos citare in promptu foret , duos eligimus Tennemannum, et Buhleum, magni nominis historicos. Tennemannus si-

---

[1] Cons. Gener. *Op. cit.*, Prodrom. I, c. 1, § 46, et 47, t. I, p. 17, ed. cit.

ne ulla ambage scripsit Cartesium « primum fuisse, qui « omne discrimen, quemadmodum inter empirismum, « et intellectualismum, ita inter *supernaturalismum*, « et *rationalismum* sustulit [1] ». Buhleus vero contendit « evidentiam, Cartesii sententia, esse unicum lydium « lapidem veritatis, atque ex illa, tanquam norma, iu- « dicium de propositionibus theologorum ferre oporte- « re [2] ». Hinc Cartesium laudavit, quod « mentem hu- « manam ad alas ex se ipsa extollendas, et, nemine « duce, philosophandum assuefecit », adiecitque « eum « suo exemplo demonstrasse, quomodo mens humana « exercitationi dedita ex conscientia suipsius, inconsul- « tis omnibus philosophis, novam doctrinam elicere « possit [3] ».

Quamvis Cartesius hanc suae methodi interpretatio- nem, quam ei nonnulli aetatis suae philosophi obiece- rant, vehementer reprobasset ; tamen ex methodo ab eo instituta, et ex praecipuis doctrinis philosophicis, quas illam methodum adhibens tradidit, omnes recentis phi- losophiae errores profluxisse indubium est. Quod quidem ut in universum intelligatur, advertendum est: 1° Car- tesium essentiam animae in cogitatione posuisse [4], et, quoniam nulla res sine essentia sua unquam esse, aut intelligi potest, in ea sententia versatum esse, quod a- nima cum ideis innatis rerum nascitur [5]; 2° eum omnes actiones cognitrices mentis humanae, scilicet cum sen- tiendi, tum intelligendi communi *cogitationis* nomine de- signasse [6]. Iam vero, haec pronuntiata Cartesii, et metho-

---

[1]) *Manuale* etc., Period. III, epoc. 1, § 335, t. III, p. 10.

[2]) *Hist. de la phil. mod.* sect. 3, c. 1, p. 37, ed. cit.

[3]) *Ibid.*, p. 35. Buhleus (*ibid.*) non negavit frustraneum fuisse tentamen Cartesii, sed contendit nihil prohibere, quin similia tentamina felicem exitum sortiantur.

[4]) *Méditations*, Médit. II, § 7, p. 104, *Oeuvr.* ed. Garnier, t. I, p. 104.

[5]) *Ibid.*, Médit. III, § 7, p. 116. Multa alia loca Garnierus cita- vit in *Introd.*, p. I, § 5, t. I, p. CX sqq.

[6]) *Les principes de phil.* part. I, § 9, *Oeuvr.*, ed. cit., t. I, p. 231.

dus ab ipso in illis statuendis, evolvendisque adhibita, in causa fuerunt, cur recentes Philosophi vel ad sensismum, vel ad intellectualismum magis, minusve accederent, cunctisque errorum portentis, ex quibus non solum humanae, sed etiam divinae scientiae omnino profligatae fuerunt, latissimam viam sternerent.

Sensismus a Lockii philosophia ortum duxit. Lockius, quem lectio operum Cartesii a scholasticae philosophiae studio deterruit [1], e contemplatione suipsius, hoc est, ut nuperi loqui malunt, a τῷ *ego* profectus est. At vero, ipse adversus Cartesium contendit essentiam animae non in cogitatione, sed in potentia ad cogitandum positam esse; ex quo factum est, ut ideas innatas Cartesii exploderet, et animam ab ortu sui esse *tabulam rasam* contenderet. Quoniam elementum cognitionis *a priori*, sive *rationale* idearum innatarum reiecit, non alia elementa cognitionis admisit, nisi *empirica*, sive *a posteriori*, eaque duo esse voluit, scilicet *sensationem*, cuius ope *facta externa*, et *reflexionem*, cuius ope *facta interna* cognoscimus [2]. Ex his perspicis Lockium, dum methodum, et initium philosophandi a Cartesio mutuatus est, ab huius *rationalismo* declinasse, et ad *empirismum* concivis sui Baconis accessisse, quia non aliud pro vero admisit, quam quod experientia, εμπείρια, sive interior, sive exterior, nobis patefacit. Lockius, uti ex dictis facile intelligitur, omnes cogitationes fere ad sensationes revocavit. Nam, si, praeter actiones reflectendi, non aliae, quam sentiendi, in anima sunt, totam vim cognitricem animae circa sensationes versari dicendum est, quia anima vim suam reflectendi nonnisi super actiones, quas iam exeruit, intendit. Id acute pervidit Condillachus, qui philosophiam cartesianam ex ea parte, quatenus Lockius ipsam

---

[1]) Vid. Tennemann, *Op. cit.*, ibid. § 342, t. cit., p. 31-39, et Ritter, *Histoire de la philosophie moderne*, trad. par Challemel Lacour, lib. II, c. 2, t. II, p. 24, Paris 1861.

[2]) *Essai sur l' entend. humain*, trad. par Coste, Paris 1700.

spectaverat, evolvens docuit reflexionem, omnemque aliam actionem cognitricem animae non esse aliud, nisi sensationem *transformatam*, sive diversos modos, quibus sensatio exercetur [1]. Quo quidem pacto ipse doctrinam Cartesii ad faciliorem, simplicioremque formam revocavit. Nam, quoniam Cartesius sub unico conceptu cogitationis, quam veluti fundamentum philosophiae posuit, cum actus sentiendi, tum actus intelligendi complexus fuit, Condillacho visum est non posse utrosque actus communi conceptu comprehendi, atque unico nomine significari, nisi actus intelligendi ad actus sentiendi revocentur. Hinc in Gallia longe, lateque obtinuit illud empirismi genus, quod, cum cunctos actus intelligendi per analysim unius sensationis explicare conetur, *sensismus* nuncupatum est.

Iam, empirismus Lockii in Anglia, et sensismus Condillachi in Gallia tetros, exitialesque errores pepererunt. Re vera, ex Lockii philosophia, ut in hoc opere passim ostendemus, Georg. Berkeleyus [2], Episcopus anglicanus, *idealismum*, qui ulla corpora esse negat, et David Humius [3] *scepticismum*, qui nihil de natura rerum menti humanae compertum esse asserit, et ex philosophia Condillachi Lametrieus [4], Auctor *Systematis naturae* [5], aliique eiusdem furfuris impii *materialismum*, qui non aliud, nisi corpora, existere decernit, nullo negotio derivarunt. Ob hos, aliosque, qui exinde oriuntur, er-

---

[1]) *Traitè des sensations*, et *Extrait du Traitè des sensations*, *Oeuvr.*, t. III, Paris 1793.

[2]) Vid. *Tract. de principiis cognitionis humanae* (angl.), Dublini 1710, et *Dialogues entre Hylas et Philonoüs*, trad., Amsterdam 1750.

[3]) *Essais sur l' entendement humain*; *Oeuvr. phil.* t. II, trad. de l' angl., Paris 1788.

[4]) Cf praeter caeteros eius libros, *Histoire naturelle de l' ame*, La Haye 1745, et *L' Homme machine*, Leyde 1748.

[5]) *Système de nature*, Lond. 1770. Huius operis, quod diversis scriptoribus tributum est, verus auctor fuit Paulus Thiry, Baro d' Holbach. Cons. *Diction. phil.*, art. *D' Holbach*, vol. III, part. III sqq, Paris 1847.

rores effectum est, ut permulti in Anglia, et in Gallia *deistae*, et *athei* prodirent. Illi omnem Religionem supernaturalem, veluti figmentum, et imposturam Pontificum, aut Principum, respuebant, eorumque aliqui ipsam Providentiam divinam, aliaque capitalia ipsius Religionis naturalis dogmata impugnabant [1]; hi vero eo usque delirarunt, ut notionem Dei veluti absurdam explodérent, Deumque e medio tollerent. Ad deismum illa regula methodi cartesianae, quae nihil, nisi quod perspicuum est, pro vero esse decernit, ipsa per se recto tramite ducere potuit; si quidem, ob rationes, quas ante adduximus, pronum fuit deistis illam regulam ad omne genus veritatis, quaecumque earum origo sit, porrigere [2].

Reidius, philosophiae antecessor in Vniversitate Glascuensi, idealismo Berkeley, et scepticismo Humii occurrere voluit; at, cum ultra factorum internorum observationem, et analysim non assurrexisset, et non alia principia ad facta interna in ordinem redigenda, nisi *subiectiva*, admisisset [3], antecessorum suorum errores, nedum emendavit, magis, magisque promovit. Idem iudicium de conaminibus Royer-Collardi [4], aliorumque gallorum philosophiae reidianae sectatorum contra sensistas, et materialistas ferendum est.

Si philosophia cartesiana ex ea parte, quatenus ad sensismum inclinat, errores, quos innuimus, peperit, alii non minoris momenti errores ad ipsa promanarunt, cum a Philosophis ex altera parte, quatenus ad intelle-

---

[1]) Varias deismi formas exposuit Samuel Clarke in suo opere, *Traitè de l' existence et des attributs de Dieu*, t. II, c. 2, trad. de l' angl., Amsterdam 1744.

[2]) Brevem recensionem cum eorum, qui in recenti aetate deismo, vel atheismo faverunt, tum scriptorum, qui illos confutarunt, ab. Chassay exhibuit in opere iam citato, *Le Christ, et l' Évangile, La France*, p. 1-72, ed. cit.

[3]) *Oeuvres*, trad. par. Theod. Jouffroy, Paris 1840. Cf Adolph. Garnier, *Thèse sur Reid*, Paris 1840.

[4]) *Fragmens*, ad calcem *Opp.* Reidii, vol. III et IV, ed. cit.

ctualismum vergit, spectata, et evoluta fuit. Certe, in primis Spinosam apertum, teterrimumque suum pantheismum e Cartesii philosophia elicuisse concors historicorum opinio est [1]. Etenim, quod ad methodum attinet, Spinoza, aeque ac Cartesius, statuit illud dumtaxat, tanquam verum, amplectendum esse, quod est vel perspicuum ex se, vel ex principiis perspicuis deductum, et, quamvis a notione substantiae, hoc est, *a priori* philosophiam suam construxisset, tamen ad notionem substantiae per contemplationem τοῦ *ego*, sive per experientiam interiorem pervenit. Praeterea, Spinosa notionem substantiae, ex qua totam suam philosophiam derivavit, uti historici observarunt, a Cartesio mutuatus est [2].

At Cartesius in eadem Gallia discipulum fortasse magis, quam Spinosam, devotum sibi nactus est, Nicolaum Malebranchium [3]. Hic enim, perinde ac Cartesius, quem veluti parentem recentis philosophiae reverebatur, contendit omnino necesse esse, ut quisquis ad veri as-

---

[1]) Notum est Spinosam philosophiam Cartesii exponendam suscepisse in primo suo opere, quod hanc habet epigraphen: *Renati Descartes principiorum phil. pars I, et II, more geometrico demonstratae*, Amstel. 1663 (extat in eius *Operibus*, quae Paulus evulgavit, vol. I, p. 1-86, Ienae 1802). De convenientia philosophiae spinosisticae cum cartesiana legere iuvat, praeter Tennemann (*Hist. phil.*, germ., vol. X, p. 381, et 421, Lipsiae 1817), Degerando (*Hist. de la phil. modern.*, c. 15, t. II, p. 398 sqq, Paris 1847), Schmidt (*Op. cit.*, ibid., § 92, p. 193), Cousin (*Du Vrai, du Beau, et du Bien*, p. 4, et 5, Paris 1854), Rosenkranz (*Dissert. de Spinozae phil.*, Halae, et Lipsiae 1828) aliosque, Sigwart, *De convenientia spinozismi cum philosophia cartesiana* (germ.), Tubingae 1816, et Ritter, *De vi quam Cartesius in evolutionem spinosismi exercuit* (germ.), Lipsiae 1816. His omnibus praeiverat Leibnitius, qui idem iudicium de philosophia Spinosae saepe tulit, puta *Lettre à M. l' ab. Nicaise*, *Opp.* p. 139, ed. Erdmann, Berolini 1840; *Rèponse aux reflexions* etc., *ibid.*, p. 144, etc.

[2]) Cf *Ethic.*, pars II *De mente*, et *Tractatus de emendatione intellectus*, *Opp.* vol. II, ed. cit.

[3]) Malebranchium lectio libri *De homine*, quam Cartesius edidit, ad philosophiam excolendam permovit. Vid. Buhle, *Op. cit.*, vol. III, p. 367; et Bouillier, *Op. cit.*, t. II, c. I, p. 15.

secutionem nititur, animum omnibus praeiudicatis opinionibus exuat, opiniones philosophorum, qui ei praecesserunt, flocci faciat, plenumque suum assensum nonnisi *rebus evidentissimis* praebeat [1]. Ipse autem, quandoquidem mentem humanam non creari a Deo cum ideis rerum, ut Cartesius voluit, sed has in Deo intueri sensit, indeque rationem humanam esse unam, eamdemque cum ratione divina confecit [2], in pantheismi, quod Spinosae vehementer obiecerat, suspicionem venit, eamque ob causam a suae aetatis Philosophis valde exagitatus fuit [3]. Itaque nuperi historici non iniuria observarunt 1° Malebranchium e Schola Cartesii prodiisse, sed. cum libertatem philosophandi ab eodem Cartesio commendatam sectaretur, in quibusdam capitalibus dogmatis ab eo discessisse [4]; 2° multum necessitudinis esse philosophiae malebranchianae cum spinosistica, licet Malebranchius illam non advertisset [5].

Leibnitius in Germania novam philosophandi rationem, quam Cartesius instituerat, valde promovit. Quocirca, etsi philosophiam scholasticam haud despiceret,

---

[1]) Cf *De inquirenda veritate*, lib. I, c. 2, § 3 et 4, t. I, p. 10, et c. 3, § 1, p. 12-14, Genevae 1753. Sed sub finem huius tertii capitis advertit se « hic non agere de rebus fidem spectantibus, « quas evidentia non comitatur, quemadmodum scientias natu- « rales »; § 2, p. 14.

[2]) *Op. cit.*, Illustr. ad lib. II *Super natura idearum*, t. II, p. 267 sqq, necnon, *Entrètiens sur la mètaph., la relig. et la morale*, Entr. VIII, t. I, p. 534 sqq, Paris 1712.

[3]) Cf Bouillier, t. II, c. 6, p. 143 sqq, et c. 16, p. 382 sqq.

[4]) Videsis, ne multos citemus, Degerandum, *Op. cit.*, c. 14, t. II, p. 284-291.

[5]) Inter recentes,qui hoc iudicium de philosophia Malebranchii tulerunt, satis est nominare Tennemann, qui quaedam placita Malebranchii ad spinosismum quodammodo accedere dixit (*Manuale* etc., period. cit., § 339, t. cit. p. 25), Franc. Bouillier, qui multas, intimasque similitudines inter utriusque doctrinas intercedere advertit (*Op. cit.*, t. II, c. 2, p. 32, et 33, et *Diction. philos.*, art. *Malebranche*, t. IV, p. 73), et Ad. Franck, qui *theoriam intuitionis* in Deo a Malebranchio propugnatam *pantheismum deformatum* vocavit; *Op. cit.*, art. *Philos. allem.*, t. I, p. 71.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tamen in causa fuit, cur ipsa in Academiis germanicis dominari desineret, novaeque philosophiae systematis locum daret. Ipse, secus ac Cartesius, Malebranchius, Lockius, aliique, historiam philosophiae plurimi fecit, atque ex pronunciatis praecedentium Philosophorum systema philosophiae componere studuit, quod ceterorum commoda complecteretur, erroresque vitaret [1]. Vt recentes dumtaxat nominemus, ipse sensismum, et idealismum, qui per oppositas vias ex philosophia Cartesii fluxerant, secum componere volens, demonstrandum suscepit animam humanam non creari a Deo cum ideis rerum sibi insitis, uti Cartesio visum fuit, nec veluti *tabulam rasam*, quemadmodum Lockius, voluit, sed cum *schemate*, hoc est, cum idea, quae universum ei repraesentat, et per necessariam schematis evolutionem omnium rerum ideas sibi comparare [2]. Iam nemo non videt philosophum lipsiensem hac sua de origine idearum theoria idealismo viam non praeclusisse, sed latiorem, facilioremque stravisse; nam, si mens humana cognitionem rerum non ab ipsis rebus, sed ex vi, sive, ut aiunt, *energia* sibi insita haurit, non aliam cognitionem rerum, nisi subiectivam, assequi valet. Hinc Ad. Franck scite observavit Leibnitium, dum sensismum, et idealismum ad systema ipsis superius revocare, et rationis aeque ac experientiae iura servare studuit, ad idealismum inclinasse, et hypothesibus indulsisse [3]. Wolfius, cum ex his, aliisque placitis, quae Leibnitius in multis opusculis, et epistolis disseminavit, integrum systema philosophiae

---

[1]) De fontibus, ex quibus Leibnitius placita sua hausit, videsis Ritterum, *Hist. de la phil. moderne*, lib. III, c. 2, t. II, p. 238 sqq. Leibnitius se cartesiannm esse negavit (*Epist. ad I. Thomas.*, p. 48, ed. cit.); sed quantum debeat Cartesio, Bouillier ostendit in *Op. cit.*, t. II, c. 17-19, p. 403 sqq.

[2]) Cf *Epist. ad Hanschium de philos. platonica*; *Opp. phil.* p. 445 sqq, et *Monadologie*, p. 705 sqq, ed. Erdmann, Berolini 1840.

[3]) *Diction. phil.*, art. *Philos. allem.* t. I, p. 71.

composuisset, et methodo geometrica exornasset [1], effecit, ut philosophia Leibnitii, licet suis oppugnatoribus non careret, usque ad aetatem Kantii in Germania regnaret [2].

Emm. Kantius deterritus ex scepticismo Humii, quem a philosophia Cartesii profluxisse viderat, opus, in recenti aetate in primis a Cartesio tentatum, principia cognitionis humanae ad examen revocandi, eorumque vim definiendi iterum aggressus est, erroresque, in quos Cartesius incidit, emendare sibi proposuit. Cartesius, quoniam essentiam animae in cogitatione positam esse sensit, et nomine cogitationis cunctas actiones cognitrices animae designavit, omnem rerum cognitionem ab analysi cogitationis eruendam esse decrevit. At vero, ipse decreto suo haud stetit; si quidem, ut suo loco videbimus, statim ac philosophari incepit, relicta suipsius contemplatione, ad hypothesim idearum innatarum aufugit, atque ex idea innata Dei, quam mens habet, certitudinem cognitioni humanae conciliare studuit [3]. Contra ea, Kantius in analysi cogitationis persistens animadvertit cogitationem, quippe quae subiecto cogitanti, sive animae inhaeret, non posse aliter evolvit, quam secundum leges ipsius subiecti cogitantis, hoc est, ut recentes aiunt, *a priori*. Ex quo elicuit mentem humanam cum res extrinsecus positas, tum se ipsam cognoscere per quasdam *formas a priori*, quae in eadem mente sunt. Iamvero, Kantius per suam analysim cogitationis eo devenit, ut assereret nos res sensiles cognoscere, quales nobis apparent, non quales in se sunt, et res intelligibiles prorsus ignorare, adeo ut de existentia, et natura animae, et mun-

---

[1]) Vid. eius opera, quae ab an. MDCCXXVIII ad an. MDCCXXXVI Lipsiae evulgavit.

[2]) De philosophiae wolfianae fatis legere iuvat inter nuperos Erdmann, *Op. cit.*, lib. II, part. 2, et Bartholmèss, *Histoire de l' Acad. de Berlin*, lib. I, Paris 1851.

[3]) Vid. ll. cit. p. 127, not. 3, et 4.

di, necnon de Deo, Eiusque attributis nihil a nobis definiri possit [1].

Kantius plurimos vel adversarios, vel sectatores habuit [2]. Inter hos nobis commemorandus est Theophilus Fichte, quippe qui ex eisdem Kantii principiis profectus longius, quam ipse Kantius, idealismum promovit. Ipse enim argumentatus est hunc in modum: Si ideae, per quas τὸ *ego*, nempe subiectum cogitans, mundum, se ipsum, et Deum cognoscit, ut Kantius voluit, sunt *formae a priori* ipsius subiecti cogitantis, sequitur mundum, Deum, et ipsum hominem a τῷ *ego*, nempe subiecto cogitante creari, proindeque non esse quidquam in se, et extra subiectum. Itaque unum subiectum cogitans, Fichtei iudicio, existit, atque illud ex vi, seu *energia* infinita, qua pollet, se ipsum evolvens, ideas mundi, Dei, et suipsius sibi efformat; unde systema Fichtei non iniuria *panegoismus* dictum fuit, quia quidquid est, τὸ πᾶν, esse τὸ *ego* decernit [3]. Iam vides Fichteum falsum non esse, quod duplex principium, hoc est *subiectum*, et *obiectum*, a Kantio admissum, ad unicum revocandum esse contendit; nam, cum Kantius e formis, ideisque, secundum quas subiectum res cogitat, omnem cognitionem rerum derivasset, obiecto in eius philosophia locus esse non poterat.

At Frid. Schellinghius, et Georg. Heghelius, qui novam rationem philosophandi a Kantio profectam, et a Fichteo excultam persecuti sunt, Fichteo concesserunt principium philosophiae, utpote quod universae scientiae praeest, unicum esse statuendum; sed contenderunt il-

---

[1]) *Critique de la raison pure*, trad. par Tissot, Paris 1835. Cf ea, quae scripsimus in Ephem. *La Scienza, e la Fede*, vol. VI, p. 415 sqq, Napoli 1843.

[2]) Hos Tennemannus diligenter recensuit, *Manuale* etc., Period. cit., § 386, et 387, p. 123-135.

[3]) Vid. praesertim *Doctrine de la science*, trad. par Grimblot, Paris 1843, et *destination de l' homme*, trad. par Barchou de Penhoën, Paris 1836.

lud nec subiectum, nec obiectum esse posse, sed oportere esse principium absolutum, quod principium subiecti, et obiecti sit. Iam, Schellinghius voluit hocce principium esse *identitatem absolutam*, in qua *subiectum*, et *obiectum*, *ideale*, et *reale*, *spiritus*, et *materia* unum, idemque sunt, atque hanc identitatem, se ipsam evolvendo, se tanquam *spiritum*, et *materiam* manifestare [1]. Heghelius vero contendit principium philosophiae non esse illud, in quo subiectum, et obiectum, nempe *ens*, et *idea* idem sunt, sive, ut aiunt, *identificantur*, quia *Idea* est *Ens*, et *Ens* est *Idea*, sed esse ipsam *Ideam*, sive *Ens*, atque Ideam, sive, Ens in tribus momentis se evolvere, quorum primo se tanquam capacem evolutionis ponens, est idea *pura*, sive *in se*; secundo, se sibi opponit, et est idea *extra se*, nempe *natura*; postremo, sui conscia fit, estque idea *pro se*, scilicet *spiritus* [2]. Ex his, quae de Schellinghii, et Heghelii placitis vix innuimus, haud difficulter colligitur hosce Philosophos 1° philosophiam *transcendentalem* [3], quam Kantius incepit, ab idealismi, sive, ut aiunt, subiectivismi vitio haud liberasse, quia cum *Identitas absoluta*, tum *Idea* sunt principia abstracta, et subiectiva; 2° pantheismum sine ulla ambage professos esse, quia unum dumtaxat admittunt, cuius omnia, quotquot existunt, nonnisi manifestationes, sive diversae formae apparentes sunt, et, quandoquidem hoc unum, ut vidimus, est aliquid abstractum, et ideale, eorum pantheismum esse subiectivum, sive idealisticum.

Quod si recens philosophia ex ea parte, quatenus ad sensismum inclinavit, deismo, et atheismo viam stravit,

---

[1]) *Système d' idealisme transcendental*, trad. par Grimblot, Paris 1841, necnon *Bruno*, trad. par Husson, Paris 1845.

[2]) Cons. ex multis eius operibus *Logicam* (germ.), Nurimberg. 1812-1816 et *Encyclopaediam*, Heidelbergae 1817. Legesis, si lubet, Otto, *Hegel, et la philos. allem.*, Paris 1844.

[3]) Ita dicta est, quia ipsa omnem experientiam *transcendens*, seu transiliens, originem, et vim cognitionis humanae *a priori* demonstrare studet.

ex altera parte, quatenus intellectualismum promovit, *rationalismum theologicum* peperit. Rationalismus theologicus, uti omnes norunt, dictus est, in hac nostra aetate, illa ratio tractandi theologiam, qua dogmata Christianae Religionis secundum pronuntiata rationis theoreticae, et practicae ita explicantur, ut non aliud exhibeant, quam quod intra rationis limites includitur. Hinc Amandus Saintes, qui historiam criticam rationalismi germanici scripsit, rationalismum *transmutationem theologiae in philosophiam religiosam et criticam* scite definivit [1]. Itaque nuperi Rationalistae negant revelationem christianam vel esse absurdum, ridiculumque hominum figmentum, ut deistae autumarunt, vel esse, ut Supernaturalistae volunt, complexum dogmatum, maximam partem, humanae mentis captum excedentium, quae Deus immediato, et supernaturali modo cum hominibus communicavit; sed contendunt ipsam complecti vera principia religionis, quae nonnulli homines, naturali Dei ope adiuti, marte suo invenerunt, et quibusdam symbolis, seu mythis exornarunt, ut ea ad rudem populorum intelligentiam accommodarent. Quare ad Philosophos, illorum iudicio, spectat veritates, quae sub illis symbolis, mythisque occuluntur, detegere, illasque ita explicare, atque inter se connectere, ut inde systema religionis philosophicum humanae naturae praestantia dignum exurgat [2].

Iam, perspicuum est pantheismum esse eiusmodi systema philosophicum, ut ex eo rationalismus in theologiam sponte veluti sua derivetur. Re vera, supernatura-

---

[1]) *Histoire critique du rationalisme en Allemagne*, lib. II, c. 1, p. 109, Paris 1841.

[2]) Cf prae multis Wegscheider, *Institutiones theologiae dogmaticae*, Prolegom., c. 1, § 10-12, p. 46 sqq, Halae 1833, et, qui ex instituto notionem rationalismo exposuit, Hahn, *De rationalismi indole*, Lipsiae 1827. Videsis quoque ea, quae de hac re scripsimus in Ephem. *La Scienza, e la Fede*, vol. VI, p. 174 sqq, Napoli 1843.

lismus duo genera verorum admittit, nempe unum intelligibilium, alterum superintelligibilium, quia duos ordines rerum agnoscit, unum rerum, ex quibus natura componitur, alterum rerum, quae supra naturam sunt. At pantheismus nonnisi unicum genus verorum intelligibilium admittere potest, quia, cum omnia, quae in hac rerum universitate cernuntur, veluti *formas*, vel *modos*, vel *manifestationes* unius *Entis*, sive *Ideae* considerent, unicum rerum ordinem reapse admittit. Quocirca, si pantheismus in theologiam christianam inducatur, huius dogmata, nonnisi veluti veritates intelligibiles spectari possunt. Sed hoc est illud absurdum systema theologiae christianae, quod *rationalismus* theologicus vocatur. Pantheismus igitur ad rationalismum theologicum ducit.

Cum tanta necessitudo inter pantheismum, et rationalismum theologicum intercedat, factum est, ut Philosophi Christiani, qui ex methodo philosophandi, et ex quibusdam placitis Cartesii pantheismum elicuere, rationalismum theologicum profiterentur. Re sane vera, Spinosa, cum notionem cartesianam substantiae, secundum doctrinam hebraeam *Kabalae* evolvisset [1], quemadmodum pantheismum in philosophiam, ita rationalismum in theologiam importavit. Certe, quisquis Spinosae *Tractatum theologico-politicum*, et *Epistolas ad Oldenburgium* attente legit, non potuit, quin animadverteret Philosophum hebraeum nihil in Sacris Scripturis agnovisse, quod vires humanae rationis praeter-

---

[1]) Cons. Am. Saintes, *Histoire de la vie, et des ouvrages de B. de Spinosa*, c. 4; *De l' influence de la cabale sur les idées de Spinosa*, p. 38 sqq, Paris 1842. Ad. Franck (*La Kabbale, ou la Philosophie religieuse des Hébreux*, Pref., Paris 1843) nihil opinionibus Spinosae cum Kabala commune esse contendit. At quam falso, ea dumtaxat ostendunt, quae Spinosa in *Eth.*, pars II, prop. VII, Schol., *Opp.* ed. cit., t. II, et in *Epist.* XXI *ad Oldenburgium* scripsit. Vid. ea, quae de hac re scripsimus in *Ephem.* citt., vol. VII, p. 188, not. 1, Napoli 1844.

grediatur, et praecipua systemata rationalismi theologici, quae nuperi Rationalistae Germaniae adeo promoverunt, tradidisse [1]. Malebranchius, etsi a rationalismo theologico, non aliter ac a pantheismo, abhorreret, tamen naturam, et vim rationis humanae declarare volens nonnulla loca s. Scripturae, quemadmodum alias videbimus, adhibuit, quae hodierni Rationalistae Galliae tantopere inculcarunt, et abusi sunt. De Fichteo, Schellinghio, et Heghelio, quos pantheismum sub diversis formis professos esse vidimus, dubitare nemini licet, cum illos diversa systemata rationalismi theologici ex instituto propugnasse, multosque theologos protestantes Germaniae ad se pertraxisse exploratum omnibus sit [2]. Kantius, qui his praecessit, novamque philosophandi rationem patefecit, rationalismum theologicum quoque data opera defendit; sed ipsum non ex pantheismo, uti eius successores, sed ex pronuntiatis rationis practicae deduxit. Id, si caetera argumenta deficerent, sola epigraphe operis, in quo de hac re egit, scilicet: *Religio intra limites rationis* [3], satis ostenderet.

---

[1]) De rationalismo theologico Spinosae, eiusque diversis modis copiose disseruimus in citt. Ephem. *La Scienza e la Fede — Spinosa e i moderni razionalisti* —, vol. X, p. 5-17, et p. 241-264, vol. XI, p. 100-117, et p. 401-423, vol. XIV, p. 263-275, Napoli 1845, 1846, 1847. Cf ea, quae de eadem re Am. Saintes breviter scripsit in cit. op. *Spinosa* etc.

[2]) Cui multa eorum opera, a quibus enumerandis hic abstinemus, legere non lubet, aut non vacat, adire potest Grégoire, *Histoire des sectes religieuses*, art. *Protestans*, t. II, p. 180 sqq, Paris 1814; Rose *De statu protestantismi* etc. (angl)., Lond. 1829; Buob, *La philosophie de l' absolu en Allemagne dans ses rapports avec la doctrine chrètienne*, Montauban 1842; Am. Saintes, *Opp. citt.*; Chassay, *Le Christ, et l'Évangile*, Paris 1847-1849; Barth. d'Avanzo, nunc Episc. Calven. et Theanen., necnon S. R. E. Cardinal., *Opuscoli teologico-biblici contro gli errori moderni*, 2ª ed., Roma 1879.

[3]) *La religion dans les limites de la raison*, trad. par Trullard, Paris 1841. Huius operis summam, et confutationem exhibuimus in citt. Ephem., vol. VIII, p. 168-181, 241-260, 401-417, vol. IX, p. 405-425, atque examen nostrum prosecutus est Alois. Taparelli e S. I. in eisdem Ephem., vol. XIII, p. 81 sqq, et 161 sqq, Napoli 1847.

Iam, nonnulli Philosophi Catholici malis ex recenti methodo philosophandi exortis remedium afferre volentes, philosophiam ad principium auctoritatis, a quo defecerat, revocare pro viribus studuerunt. Ast hi, quemadmodum evenire solet, Carybdim vitaturi, in Scyllam inciderunt. Etenim rationem humanam veluti veritati assequendae imparem traducentes autumarunt unicum criterium veri esse auctoritatem *generis humani*, sive *sensus communis*, uti Lamennaisius [1], eiusque discipuli, vel *divinae Revelationis* Sacris Litteris consignatae, ut Botenius [2], qui deinceps sententiam suam retractavit [3], vel *traditionis populorum*, ut Ventura, Bonnettyus, et Scriptores *Ephemeridum Catholicarum* Lovanii [4]. In ipsa Germania, ut ceteros omittamus, nuperrime Froschmannus traditionalismum novo modo propugnavit [5]. Iam, quandoquidem et doctrina sensus communis, sicuti alibi plane demonstravimus [6], et revelationalismus, ac traditionalismus, ut paulo ante innuimus, scepticismum in philosophiam inducunt, ob idque *motiva credibilitatis*, seu momenta rationis, quibus veritas Revelationis asseritur, destruunt, per illos conatus rationalismus non modo non deferbuit, sed maiores vires resumpsit; si quidem Rationalistae, horum paucorum Catholicorum opinionem cunctis Philosophis, Theologisque Catholicis tribuentes, supernaturalismum Ecclesiae Catholicae dignitatem rationis humanae deprimere, et veris, solidisque scientiarum progressibus obesse buccinant. Re vera, in Gallia Cousinius rationalismum theologicum sine ulla ambage

---

[1]) *Essai sur l' indifference en matière de Religion*, 4 ed., Paris 1822.

[2]) Prae reliquis eius libris legere licet *Psychologie expérimentale*, Prèf. t. I, p. LXXI-XC, Strasbourg 1839.

[3]) Vid. nostras Ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. I, p. 306, Napoli 1841.—[4]) Vid. *Opp. citt.*, p. 29, not. 2.

[5]) *Introductio in philosophiam* etc., Monasterii 1858.

[6]) *I principali sistemi* etc., c. I, § 5, ed. 1ª, p. 73-123 (a citt. *Ephem.* excerpt., vol. vol. XX, Ser. I, pp. 97 sqq), Napoli 1850.

professus est [1], eumque Damironus [2], Jouffroyus [3], Saissetus [4], Simonius [5], Remusatius [6], aliique secuti Traditionalistis, ac Revelationistis veluti rationis humanae detractoribus, omnisque progressus adversariis insultant. Cousinius vero qui rationem philosophandi, hodie Galliae dominantem, incepit, novam methodum eclecticam instituit, atque huius ope diversa systemata philosophiae, quae e Schola Cartesii exorta sunt, perbelle secum componi posse docuit [7]. Verum, praeterquam quod novus hic eclectismus, ut suo loco ostendemus, alexandrino absurdior est, Cousinius, statim ac philosophari aggressus est, ipsum deseruit, et systema philosophiae condidit, quod a pantheismi labe omnino purgare non potuit [8].

Iam, philosophia per Fichtei, Schellinghii et Heghelii sectatores in Germania, et per Eclecticos in Gallia eo delapsa est, ut nonnulli eius utilitatem [9], immo existentiam [10] data opera tueri coacti fuerint. Sed, his missis,

---

[1]) Ipse asserere non dubitavit philosophiam esse *fontem omnis lucis*, et *auctoritatem auctoritatum* ; *Introd. à l' hist. de la phil.*, leç. I, ed. cit.; cf *ibid.*, leç. II, et *Fragmens* etc., *Prèf. à la* 2e *edit.*

[2]) *Cours de l' hist. de la phil. en France au XIX siècle*, Concl. p. 393, Bruxelles 1832.

[3]) *Mélanges*, passim, et praesertim I *Comment finissent les dogmes ?* et II *De la Sorbonne, et des philosophes*, Paris 1838.

[4]) *Essai de philosophie religieuse*, Paris 1859.

[5]) *La religion naturelle*, 4 ed., Paris 1857.

[6]) *Abélard*, Introd., et *saint-Anselme*, lib. II, c. 3, ed. cit.

[7]) Vid. *Praef. gener.*, quam *Operibus Procli* a se editis praemisit, t. I, Parisiis 1820 ; *Fragmens de phil.*, *Prèf. à la* 1e *ed.*, et *Cours d' histoire* etc. leç. IV, ed. cit.

[8]) Omissis in praesentia aliis locis, legere satis est, *Introd. à l' histoire de la phil.*, leç. IV, V, et VI, ed. cit., *Du Vrai, du Beau, et du Bien*, p. 4-5, Paris 1854, et *Praefationes*, quas repetitis editionibus *Fragmentorum*, praemisit.

[9]) C. I. Braniss, *De philosophiae pretio* etc., Berolini 1844.

[10]) Cf Ramière, *L' existence de la philosophie defendue contre les Philosophes rationalistes*, in Ephem. *La Revue du monde catholique*, t. III, p. 103 sqq, 25 avril 1862. Cl. A. refellit Rationalistas, qui philosophiam vel existere non posse, vel certe in praesentia

libet nobis hodiernum statum philosophiae verbis describere cl. Iacobi Clemens, in Academia Regia Monasteriensi philosophiae professoris. « Nam hodie, ait, philosophia, « ipsorum philosophorum culpa, quorum alter alterius doctrinas in dubium vocat, et reiicit, se ipsum « quisque verorum principiorum inventorem, et philosophiae quasi parentem iactat, sectatoribus suis inaudita promittit, et dum ab ipsis veluti Deus colitur, ab aliis omni doctrinae laude spoliatur, et contemptui traditur, hodie, inquam, philosophia eo usque « delapsa est, ut in ipsa vix aliquid certum, stabile, omnibus probatum inveniatur; ut e scientiarum numero penitus sit sublata, atque a viris doctis pro mera « animi exercitatione, mentisque ludo habeatur; ut philosophorum argumentandi et loquendi modos quasi « nemo intelligat, et necessarium quibusdam videri po« tuerit demonstrare, philosophiam minime supervacaneam et inutilem esse, sed suo legitimo iure exi« stere [1] ».

Ex iis, quae hactenus de praecipuis recentis philosophiae systematis innuimus, duo colligere nobis licet, quae ad rem nostram faciunt. Horum primum est, recentes Philosophos post Cartesium in eo adlaborasse, ut analysim cogitationis, in qua philosophiam consistere Cartesius scripsit, ab unico principio derivarent; unde Cartesius parens recentis philosophiae a fere cunctis historicis non immerito salutatus est. Id de Philosophis gallicis Royer-Collard [2], et de germanis, qui Kantio suc-

---

non existere contendunt, et inter illos recentes Jouffroy (*Prèf. aux Oeuvr. de Reid*), Vacherot (*La Mètaphysique, et la Science*, 1 entretien, Paris 1859), et Renan (*Revue des deux mondes*, 15 fevrier 1860). Ipse scite observat Rationalistas, cum rationem Fidei antecellere, eiusque iudicatricem esse autumarent, eo tandem devenisse, ut ipsam rationem destruerent.

[1]) *Dissert. cit.*, p. 73.

[2]) *Discours d' ouverture prononcè à la Facultè des lettres*, 4 décembr. 1811, Paris 1811.

cesserunt, Wilm [1] adverterunt, eamque ob causam eorum systemata manca, vel vitiosa evasisse putarunt. Re vera, Sensistae docuere principium philosophiae esse unam *sensationem*, et Intellectualistae unam *ideam*, et Idealistae post Kantium unam *cogitationem puram*, sive haec cum Fichteo τὸ *ego*, sive cum Schellinghio *identitas absoluta*, sive cum Heghelio *Idea* nuncupetur. Alterum est, philosophiam, postquam Catholicam Fidem ducem sequi noluit, et se *autonomam* declaravit, pedetentim defecisse, seque ipsam tandem omnino interemisse.

Recentis philosophiae universa indole, variisque vicibus perspectis, in promptu est intelligere diversos modos, secundum quos ipsa a suis cultoribus considerata, et definita fuit. Nos quidem non latet non omnes recentes Philosophos definitionem philosophiae data opera concinnasse; sed certum nobis est ex obiecto, quod ipsi huic scientiae assignarunt, et ex mediis, quibus mentem illud obiectum assequi posse putarunt, haud difficulter perspici, quamnam notionem philosophiae sibi confecerint, propterea quod obiectum materiam, et media, quibus obiectum obtinetur, formam philosophiae, perinde ac cuiuslibet scientiae, constituunt. Hasce autem definitiones explorare, vel exponere volentibus in antecessum animo reputandum nobis est, recentes Philosophos nomine philosophiae non designasse complexum omnium scientiarum, sed dumtaxat peculiarem et supremam scientiam, a qua ceterae scientiae humanae, et, secundum Rationalistas, illae quoque, quae divinae putantur, pendent. Rationem huius discriminis in secunda parte Logicae exponemus, ubi de antiquorum, recentiumque diversis encyclopaediis tractabimus; in praesentia illud innuisse satis est, ut definitiones philosophiae, quas recentes tradiderunt, intelligi queant.

Iam sunt inter recentes, qui Laromiguiereum [2], et

---

[1]) *Op. cit.*, t. III, p. 271-273.

[2]) *Leçons de philosophie*, part. II, leç. I, t. II, p. 3, Parisiis 1833.

Jouffroyum [1] secuti perfectam definitionem philosophiae dari posse praefracte negant. Ast ipsi procul dubio decipiuntur. Nam si possibile est veram, germanamque philosophiam conficere, verum eius obiectum, veraque media, quibus illud cognoscere licet, designare possibile quoque esse debet. Id ne Sceptici quidem in dubium vocare queunt; hi enim inficiari non possent dari scientiam, quae philosophia vocatur, nisi eius definitionem, sive, ut recentes aiunt, notionem animo praeformatam haberent. Contra ea, Ad. Franck sensit nedum possibilem, adeo facilem definitionem philosophiae esse, ut nonnisi unica dari possit, et unam, eamdemque a philosophis datam fuisse pertendit [2], ea ratione permotus, quod et unicum re ipsa est obiectum philosophiae, et de ipso nulla dissensio inter philosophos unquam extitit. At Vir eruditus et ipse deceptus est. Nam 1° recentes non idem obiectum philosophiae, uti ex dicendis patescet, assignarunt; 2° etiamsi idem obiectum philosophiae assignassent, ipsos in definitione philosophiae tradenda consensisse inde inferri non posset, quia diversitas, uti modo innuimus, mediorum, quibus obiectum scientiae cognoscitur, diversas eius notiones, seu definitiones gignit.

His difficultatibus amotis, ad praecipuarum definitionum philosophiae, quae a recentibus traditae sunt, examen accedamus. A Cartesio ordiamur. Cartesius, ut vidimus, docuit 1° nihil pro vero habendum esse, nisi quod evidens est, atque illud, quod primo evidens nobis fit, esse existentiam τοῦ *ego*, sive subiecti cogitantis; 2° essentiam subiecti cogitantis in cogitatione consistere, ideoque omnem actionem cognoscendi esse quamdam *cogitationem*. Iam ex his pronuntiatis, quae sunt universae philosophiae cartesianae fundamenta, nullo negotio intelligitur philosophiam, secundum Cartesium,

---

[1]) *Oeuvres de Reid*, trad. par Theod. Jouffroy, Prèf. du Traducteur, vol. I, ed. cit.

[2]) *Diction. phil.* art. *Philosophie*, t. V, p. 65 sqq, Paris 1851.

definiendam esse « cognitionem, vel, si secundum multos « recentes loqui volueris, analysim subiecti cogitantis, « sive spiritus humani ex principiis evidentibus deduc- « tam ». Hanc definitionem philosophiae Cartesio tribuentes, nobis haud volumus Cartesium cognitionem Dei, et cognitionem mundi extra philosophiae pomerium eiecisse, sed dumtaxat ambas hasce cognitiones a cognitione τοῦ *ego*, nempe subiecti cogitantis derivasse, et cognitionem subiecti cogitantis veluti cardinem statuisse, super quo cognitio ceterarum rerum vertitur. Haec definitio, uti ex se patet, multiplici ex capite vitiosa est. Primo quidem, quia non universum obiectum philosophiae, sed dumtaxat subiectum cogitans, scilicet *animam* manifeste designat; unde factum est ut nonnullae sectae, quae ex cartesianae philosophiae fonte eruperunt, totam philosophiam ad *psychologiam*, hoc est, ad scientiam animae coarctarent. Secundo, quia, cum Cartesius unam *conscientiam*, sive sensum intimum esse testem, et iudicem evidentiae dixisset, definitio, quam secundum eius principia confecimus, non solum reliquis obiectis ab anima differentibus, sed etiam naturae animae, quae testimonium conscientiae effugit, cognoscendis viam praecludit.

Philosophi, qui cartesianam philosophiam evolvere, et perficere conati sunt, quandoquidem, ut dictum est, omnes cogitationes vel ad solas sensationes, vel ad solas intellectiones revocarunt, alii notionem philosophiae, quae solam sensationem, alii autem notionem philosophiae, quae solam intellectionem complectitur, tradere debuere. Certe Sensistis, quibus visum est omnes cogitationes animae esse transmutationes sensationis, philosophia nihil aliud esse potuit, quam *scientia sensus*. Quod si isti de Deo, de anima humana, eiusque post hanc vitam fato edisserunt, non logicae praeceptis obediunt, sed naturae bonitate vincuntur, cum illae disputationes omnem sensuum vim praetergrediantur. Quomodo autem philosophia a Materialistis, qui sensi-

smi consectaria amplexati sunt, definienda fuerit, haud difficulter intelligitur. Nam, quoniam ipsi nonnisi corpora in rerum natura esse putarunt, philosophiam non aliter, quam *scientiam corporis*, definire potuerunt. Huius rei vadem dare nobis licet sane gravissimum, scilicet Thomam Hobbesium, antesignanum recentium Materialistarum, quippe qui ex placitis sensismi definitionem materialisticam philosophiae deduxit. « Sensionem, ait, cognoscendi ipsa principia principium esse, scientiamque omnem ab ea derivari dicendum est [1] »; en eius sensismum. « Philosophia est scientia corporis [2] »; en definitionem philosophiae, qua clarior nulla alia ad materialismum denotandum excogitari potest [3]. Nec Thomas Reidius perfectam definitionem philosophiae concinnare potuit; si quidem, cum philosophiam observationi interiorum phaenomenorum animae inniti existimasset, ipsam *scientiam spiritus humani* definivit. Iam, hac definitione aliquam partem philosophiae dumtaxat contineri ipsemet Reidius exemplo suo patefecit; propterea quod, ut in alio nostro opere ostensum est [4], problematum quae ad ontologiam, theodiceam, et ipsam anthropologiam spectant, certam solutionem haud dari posse docuit.

Kantius philosophiam non aliter spectare potuit, quam veluti « scientiam legum, secundum quas cognitio evolvitur ». Nam Kantius in philosophia facultates animae humanae ad examen vocavit, ut illarum vim ad verum patefaciendum cognoscere posset. Iam, quandoquidem facultates animae per quaedam principia, seu leges ipsi animae insitas exerceri, et enodari sibi persuasit, numerum, naturam, et vim horum principiorum investigare studuit. Quamobrem philosophiam in investigatione principiorum, seu legum, quibus facultates cognitrices a-

---

[1]) *Opera omnia philosophica, Phys.* p. 193, Amstelodami 1668.

[2]) *Op. cit., Logic.*, p. 7 ed. cit.

[3]) Cons. Damiron, *Hobbes consideré comme métaphysicien; Mém. de l' Acad. des scienc. moral. et polit.* t. III, Paris 1841.

[4]) *I principali sistemi di filos.* c. 3, § 4, p. 339-348 2ª ediz. Napoli 1858.

nimae humanae exercentur, positam esse sanxit. Philosophi, qui Kantio successere, hanc definitionem a Kantio traditam secundum diversa principia, quibus sese systema kantianum emendasse, et perfecisse sibi adblanditi sunt, diversis modis immutarunt. Fichteus, qui τὸ *ego* sine ullius elementi exterioris ope, sed ex sola *energia* sibi insita evolvi sensit, philosophiam esse « scientiam τοῦ *ego puri* per tria momenta thesis, sin- « thesis, et antithesis se ponentis » autumavit. Schellinghius, quippe qui effraeno idealismo Fichtei aliquam medelam afferre volens *ideale*, et *reale*, sive *spiritum*, et *materiam* ad identitatem unius supremi principii sub duabus formis spiritus, et materiae se evolventis reduxit, atque hocce principium *Identitatem absolutam* dixit, philosophiam, tanquam « scientiam Absoluti, et evolu- « tionis eius » spectavit. Heghelius *dialectica* sua, qua theoriam fichtianam logica demonstratione fulcire studuit, innixus, philosophiam totam, quanta est, in « scien- « tia evolutionis Ideae per tria sua momenta » consistere putavit [1]. Quoniam successores Heghelii subiectivismum, qui cuncta systemata philosophiae germanicae, modo a nobis recensita, vel manifeste, vel occulte inficit, non modo, uti ante innuimus, non vitarunt, sed, etiam magis, magisque promoverunt, factum est ut definitiones philosophiae ab ipsis traditae notam subiectivismi semper prae se ferrent. Exemplo sit Herbartius, philosophiae heghelianae adversarius, et magni inter suos nominis philosophus, qui philosophiam *elaborationem conceptuum* definivit [2].

Traditionalistis, et Revelationistis, quippe qui philosophiae cartesianae, cunctisque systematis quolibet modo ab ea prognatis sese opposuerunt, definitio philosophiae ab omnibus, modo expositis, omnino differens tradenda fuit. Re vera, ipsi, cum putassent rationem veritates,

---

[1]) Cf *Encyclopaed.*, § 2-18, ed. cit.

[2]) *Institutiones, Introd. ad phil.*, c. 2, ed. 4ª, Konisberg. 1837.

saltem illas, quae ad religionem naturalem, et ad mores spectant, posse quidem *demonstrare*, non autem *invenire*, philosophiam non aliud esse voluere, quam « demonstrationem, sive enodationem scientificam veri- « tatum naturalium, quae traditione, aut revelatione no- « bis notae sunt ». Cousinus, qui rationalismum contra repetitos istorum impetus tueri omni ope adnisus est, docuit elementa cognitionis, quae elaborare ad philosophiam spectat, non ex Traditione, aut Revelatione menti innotescere, sed sponte sua in ea exurgere. Quocirca contendit duos esse fontes cognitionis humanae, scilicet *spontaneitatem*, quae elementa cognitionis suggerit, et *reflexionem*, quae illa elaborat, totamque operam philosophiae in eo positam esse, ut « elementa spontaneitatis « subsidio reflexionis evolvat, et foecundet [1] ». Quoniam ea, quae sponte sua nobis innotescunt, quamdam *fidem* constituunt, Cousinus inde colligere potuit philosophiam, quae elementa spontaneitatis evolvit, fidei antecellere, eamque esse « fontem omnis lucis, et auctoritatem omnium auctoritatum [2].

Cum omnia, quae de origine philosophiae, et diversis eius apud antiquos et recentes fatis hactenus perstrinximus, non multis abhinc annis, mente diligenter reputaremus, arbitrati sumus illos non solum de humanis, sed etiam de divinis disciplinis optime meritum iri, qui philosophiam aristotelico-scholasticam instaurandam susciperent. Noveramus enim praecipua, et capitalia humanarum scientiarum pronuntiata homines principio vel ab ipso Deo sive per se, sive per Angelos suos, vel a primo humani generis parente, quem Deus mirabili sapientia ornatum creaverat, edoctos fuisse, atque illam naturalium veritatum copiam una cum veritatibus supernaturalibus per Viros divinitus inspiratos tractu temporis explicatam, auctamque tandem per ipsum Filium

---

[1]) Vid. eius Opera, quae citavimus p. 141, not. 8.
[2]) Cf loc. cit., in not. 7. eiusd. p. 141.

Dei I. Christum perfectam esse, et ab Eius discipulis ubique terrarum propagatam. Noveramus, etsi fere nulla sit veritas rationalis, quam non aliquis philosophorum gentilium tradiderit; tamen neminem horum nedum integrum veritatum rationalium systema conficere, graves, exitialesque errores vitare potuisse, indeque effectum esse, ut philosophia pagana vel in scepticismum, vel in deformem eclectismum desineret. Noveramus quoque recentes Philosophos, qui, inconsulta, vel despecta Catholicae Fidei doctrina, scientias rerum construere voluerunt, non modo paganicae philosophiae errores renovasse, sed, hac nostra praesertim aetate, illis fortasse magis impia et absurda protulisse. Refugit animus ea impietatis portenta edicere, quae Frid. Strauss, Bruno Baver, Alois. Feverback, aliique ab extrema, ut aiunt, sinistra Heghelii in Germania [1], et Micheletus, Lerouxius, Edgar. Quinetus, et quamplurimi e sectis Sansimonis, Fourierii, et Comtei in Gallia propalarunt [2].

E contrario, videbamus ss. Patres, aliosque antiquos ecclesiasticos Scriptores, qui suam philosophandi rationem ad Christianae Revelationis dogmata exigebant, cum errores philosophiae paganicae feliciter detexisse, et emendasse, tum novas doctrinas rationi non impervias, quas Philosophi Gentiles invenire non potuerant, e Revelationis fonte deprompsisse, solidisque rationis momentis demonstrasse. Illud etiam comperiebamus Albertum M., s. Thomam, aliosque principes Philosophos mediae aetatis ex

---

[1]) Cf d' Horrer, *Du philosophisme rationaliste et antrhopolatre de la Prusse*, in Ephem. *L' Vniversitè catholique*, n. 108, t. XVIII, p. 464 sqq; nn. 110, et 114, t. XIX, p. 108 sqq et 452 sqq; et n. 118, t. XX, p. 287 sqq, Paris 1844, et 1845.

[2]) Vid. *Catechismo dell' Università di Francia*, in Ephem. *La Scienza e la Fede*, Fasc. 38 et 41, vol. VII, p. 95 sqq, et 348 sqq.; Fasc. 45 et 47, vol. VIII, p. 182 sqq, et 343 sqq; Fasc. 50 et 52, vol. IX, p. 109 sqq, et 256 sqq, Napoli 1844, et 1845; necnon, nostram Dissert. *Il Positivismo*, in citt. *Ephem.*, vol. XLI, p. 191 sqq, et 528 sqq; vol. XLII, p. 229 sqq; vol. XLIV, p. 31 sqq, et 81 sqq, Napoli 1861, et 1862.

ss. Patrum doctissimis operibus, quae nocturna, diurnaque manu versabant, ex libris Aristotelis, Arabumque in ipsos commentariis, atque ex paucis aliis graecorum, latinorumque laciniis, quas prae manibus illa tempestate habere poterant, integra, absolutaque systemata philosophiae elaborasse, quae non solum nihil doctrinis Divinae Revelationis repugnans continebant, sed etiam ad varias sacras, divinasque scientias constituendas plurimum adiumenti attulerunt. Tum videbamus in ipsa recenti aetate multos, praesertim ecclesiasticos, extitisse, qui ad novos in dies insurgentes errores conterendo arma e philosophiae aristotelico-scholasticae penu felici exitu sumpserunt, et, quod valdius mirabamur, ipsos philosophiae scholasticae detractores, quidquid boni, rectique in scientiis metaphysicis, et moralibus scripserunt, e Scholasticorum multis, ponderosisque voluminibus hausisse. Illud denique nos haud fugit non defuisse inter ipsos novae philosophiae sectatores, qui, cum lectionem Scholasticorum, secus ac plerisque recentibus mos erat, qui quod ignorant, blasphemant, non neglexissent, evidentia rei perculsi praestantiam philosophiae scholasticae agnoverunt, eiusque studium commendarunt. Satis est nominare unum Leibnitium, recentium Philosophorum facile principem. Qui quidem ingenue fassus est se, cum initio « novae cuiusdam ac blandientis « imaginationi philosophiae » opiniones de corporis, animaeque naturis amplexatus esset, tandem post longam meditationum seriem ad veterum, praesertim Scholasticorum, doctrinam redire coactum fuisse. « Fatendum « est..., ait, progressu meditandi, ad veteris philosophiae « dogmata nos recipere fuisse coactos. Quarum medi« tationem seriem si exponere liceret, fortasse agno« sceretur ab his, qui nondum imaginationis suae prae« iudiciis occupati sunt, non usque adeo confusas, et « ineptas esse eas cogitationes, ac illis vulgo persuasum « est, qui receptorum dogmatum fastidio tenentur, et « Aristoteli, Platoni, divo Thomae, aliisque summis

« viris tanquam pueris insultant [1] ». Alio in loco vehementer conquestus est recentes de s. Thoma, aliisque magnis illius aetatis viris perverse iudicasse; si quidem « sententiae philosophorum, et theologorum scholasticorum plus soliditatis prae se ferunt, quam vulgo existimatur, dummodo ipsae ad rem et locum suum adhibeantur. Mihi persuasum est, si quis diligens, et meditationi assuetus philosophus doctrinas eorum illustrandas, ac more geometrarum analyticorum digerendas susciperet, plurimas veritates maximi momenti, et prorsus demonstrativas nancisceretur [2] ». Fere idem iudicium tulit de Scholasticis posteriorum aetatum, qui, praesertim in Hibernia, et in Hispania, floruerunt. Scripsit enim, quisquis in illius generis philosophia eruditus aurum, quod in eorum libris latet, patienter foderet, multarum, utiliumque veritatum inventione labor eius rependeretur [3].

His observationibus permoti deinceps in philosophia Scholasticorum, praesertim s. Thomae, illustranda, eiusque studio commendando omnem operam nostram collocavimus. Id praestitimus tum iuvenes in Ecclesiae spem succrescentes erudiendo, qui quantum philosophia Patrum, et Scholasticorum ad omnes errores recentium philosophorum refellendos valeat, publicis concertationibus demonstrarunt [4], tum dissertationes philosophicas

---

[1]) *Systema theologicum*, edid. et gall. vertit Émery, p. 232-234, Paris 1819.

[2]) *Discours de metaphysique*, in *Commercio epistol. Leibnitii, et Arnaldi*, quod Grotefend evulgavit, p. 163, Hanovre 1846. De s. Thoma speciatim inquit: « Thomas Aquinas spectare ad solidum « solet »; *Thèodicée*, part. II, § 330, p. 600, ed. Erdm.

[3]) *Trois lettres à Mr Remond de Montmort*, Lett. III, p. 704, ed. cit. Ibid. cl. vir praeclare inquit: « Orientales pulcras, et magnas « notiones de Deo tradunt. Graeci ipsis ratiocinationem, et formam scientiae addiderunt. Patres Ecclesiae, quidquid mali in « Philosophia Graecorum inveniebatur, repudiarunt; sed Scholastici, quidquid in Philosophia Gentilium, quodammodo consentaneum veritati erat, ad commodum Religionis Christianae « adhibuerunt ».

[4]) Vid. *La Scienza, e la Fede*, Fasc. 148, vol. XXV, p. 385 sqq.

elucubrando, quas in nostris *Ephemeridibus Religiosis* [1] evulgavimus. Sed, ut universam philosophiam scholasticam exponeremus, et vindicaremus, huic operi, cuius priora volumina nunc in lucem edimus, manum admovimus, operam suam conferentibus Nuntio Signoriello, et Iosepho Prisco, qui, cum me iam docentem audierint, nunc magna animi mei iucunditate strenuos laborum meorum adiutores se praebent. Quo in opere illud propositum nobis est cunctas logicae, et metaphysicae partes ita tractare, ut doctrinas Patrum, et Scholasticorum, in primisque s. Augustini, et s. Thomae cum antiquorum, recentiumque philosophorum placitis usque comparemus, atque hoc pacto omnibus planum faciamus philosophiam christianam omnium problematum, quae ab antiquis, et recentibus ventilata sunt, examen instituisse, ac veras solutiones dedisse, simulque omnes difficultates praeoccupasse, quas recentes adversus illas solutiones obiecerunt. Quandoquidem vero fere omnes historici philosophiae doctrinas Patrum, et Scholasticorum perverse exponentes, alios eorum pantheismi, alios pseudo-mysticismi, alios materialismi, aut cuiusque alius erroris accusarunt, perversas hasce interpretationes refellere, et sanctissimos, doctissimosque illos Viros ab istiusmodi calumniis vindicare curabimus.

Interea temporis, studia philosophiae scholasticae in multis Europae regionibus, praesertim in Italia instaurari, et excoli coeperunt. Enimvero, Scriptores *Civilitatis Catholicae*, qui et iuribus Ecclesiae, Romanique Pontificis supremi illius capitis asserendis, et studiis scientiarum sacris, et profanis promovendis, multos abhinc annos, vehementer incumbunt, praestantiam, utilitatemque philosophiae scholasticae saepe commenda-

---

Fasc. 153, vol. XXVI, p. 235 sqq; Fasc. 175, vol. XXX, p. 51 sqq; Fasc. 200, vol. XXXIV, p. 97 sqq, Napoli 1853, 1855 et 1857.

[1]) *La Scienza e la Fede, Raccolta religiosa scientifica*, cit., quam inde ab anno MDCCCXLI cum aliis huius Cleri Neapolitani praesbyteris evulgare coepimus.

runt, eiusque cultores maximis laudibus prosecuti sunt. Has autem exhortationes exemplo suo confirmare volentes nullam occasionem sibi effugi unquam passi sunt, ut Scholasticorum, et praesertim s. Thomae doctrinas philosophicas exponerent, et tuerentur. Ex illis, quantum scimus, in primis commemorandi sunt Matthaeus Liberatore, et Aloisius Taparelli, nuper, magno scientiarum damno, e vivis sublatus, quorum ille scientias metaphysicas, hic morales, et oeconomicas ad s. Thomae principia revocare pro viribus studuerunt. His adiicere deberemus alios permultos, qui vel elementa philosophiae secundum Aquinatis mentem elucubrarunt, vel aliquod caput logicae, aut dynamilogiae, aut anthropologiae scholasticae exposuerunt, vel lexica philosophiae scholasticae adlaborarunt. Sed ab his recensendis abstinemus, quia illorum opera omnibus nota esse certum nobis est.

In Gallia versiones, et expositiones operum Aristotelis, quae, auctore Vict. Cousino, multae, eaeque non parvi pretii iam susceptae fuerant, instaurationi philosophiae scholasticae viam straverunt. Namque ipsimet Rationalistae ab Aristotele ad Scholasticos, celebratissimos aristotelicae philosophiae interpretes, et sectatores, progressi, vel totam historiam scholasticae, aut aliquam partem eius enarrarunt, vel alicuius Doctoris opiniones exposuerunt, vel monumenta ad eius illustrationem pertinentia evulgarunt. Neque inter Catholicos defuere, qui ad historiam philosophiae scholasticae illustrandam symbolam suam conferrent. Hinc, ut praetercamus Degerandum [1], Rousselotum [2], in primisque Haureavium [3], qui historiam Scholasticae adornarunt, Scriptores *Historiae litterariae francicae*, qui multorum Scholasticorum philosophiam exposuerunt [4], et Cousinum,

---

[1]) *Hist. comparée* etc., t. IV, ed. cit.
[2]) Vid. p. 81, not. 4. — [3]) Vid. p. 63, not. 4.
[4]) *Histoire litt. de la France*, quam passim laudavimus.

qui valde utilia fragmenta philosophiae scholasticae edidit, et explicuit [1], Lanfranchius Charmam [2], Scotus Erigena Tailliandierum [3], s. Anselmus Remusatium [4], Charmam [5], et Bouchitteum [6], Guilielmus Alvernus Iavaryum [7], Albertus M. Pouchetum [8], s. Thomas Montetum [9], Bachium [10], Bressolesium [11], Feugueraeum [12], et in primis ab. Carleum [13], et Iordanum [14], s. Bonaventura Theophilum de Margerie [15], Henricus Gandav. Franc. Huetium [16], Vincentius Bellovacensis ab. Bourgeatum [17] historicos vel rationalistas, vel catholicos habuerunt. Haec, aliaque specimina historica in causa fuere, quamobrem Philosophi, et Theologi Catholici postremis hisce annis ad studium Scholasticorum maiori animi contentione converterentur, et scholastica philosophia cum in theologi-

---

[1]) *Opp.*, quae citavimus pp. 63, not. 3, 4, et 7; 64, not. 8; 65, not. 3;85, not. 1.

[2]) *Lanfranc, Notice biografique, littéraire et philosophique*, Paris 1849.

[3]) Vid. p. 88, not. 1. — [4]) Vid. p. 88, not. 3.

[5]) *Saint Anselme* par Charma, Paris 1853. — [6]) Vid. p. 99, not. 4.

[7]) *Guilielmi Alverni*, episcopi Parisiensis, *Psychologica doctrina*, Parisiis 1851.

[8]) *Histoire des sciences naturelles au moyem âge*, ou *Albert le grand, et son époque, considèrès comme point de départ de l' ècole expérimentale*, par Pouchet, Paris 1853.

[9]) *Mémoire sur saint Thomas d' Aquin*, par Montet, *Mémoires de l'Acad. des scienc. moral. et polit., Savants ètrang.*, t. II, Paris 1847.

[10]) *Divus Thomas, De quibusdam philosophicis quaestionibus*, Rothomagi 1836.

[11]) *Étude sur le traitè des lois de saint Thomas d'Aquin*, par Bressoles, in *Revue de l' Acad. de législation de Toulose*, t. II, 1852.

[12]) *Essai sur les doctrines politiques dè saint Thomas d' Aquin*, par Feugueray, Paris 1857.

[13]) *Histoire de la vie et des ouvrages de saint Thomas d' Aquin*, par Carle, Paris 1846.

[14]) *Philosophie de saint Thomas d' Aquin*, Paris 1858.

[15]) Vid. p. 76, not. 1.

[16]) *Recherches historiques, et critiques sur la vie, les ouvrages et la doctrine de Henri de Gand*, Gand, et Paris 1838.

[17]) *Vincent de Beauvais*, ou *Spècimen des études théol. phil., et scientif. au 13 siècle*, Paris 1856.

cis , tum in philosophicis disputationibus adversus Rationalistas maxime uterentur.

In Germania , etsi Tennemannus [1], et nuperrime Ritterus [2] scientificam, non fere litterariam, uti Bruckerus [3], aliique ante illos praestiterant , historiam philosophiae scholasticae adornassent , et non pauci Commentarii de aliquibus Scholasticis [4] in lucem prodiissent: nihilominus scholasticae philosophiae usus in theologia , et philosophia adhuc remissior, quam in Gallia, et in Italia , est. Quin immo dolendum est non paucos Theologos Catholicos aut philosophiam scholasticam ad suos errores comprobandos abusos esse, aut illam praepostere interpretantes in pantheismi, vel, ut aiunt, semipanteismi crimen Scholasticos adduxisse. Sed iam in eadem Germania Viri in primis eruditi, catholicaeque doctrinae amore ferventes ad perversas istas philosophiae scholasticae interpretationes refellendas surrexerunt , et philosophiam scholasticam , eo praesertim modo , quo ab Aquinate exornata , atque ad sacras disciplinas accommodata fuit, unicum esse portum ostenderunt, ad quem theologis, et philosophis scopulos, syrtesque hodierni rationalismi vitare volentibus confugere opus est. Inter hos commorare lubet Iosephum Kleutgen, qui, quantum veterum placita de Deo, Eiusque attributis , de mysterio Trinitatis , de libertate Creatoris, et de fine creationis doctrinis recentium antecellerent, luculenter patefecit [5]; Iulium Stahl, celeb. Iurisconsultum, et in rebus philosophicis adprime versatum, qui asseruit « nos omnino indigere quodam opere , quod, « Summae theologicae s. Thomae instar, cunctas scien-

---

[1]) *Hist. phil.* (germ.), Lipsiae 1798-1819.

[2]) *Hist. phil. christ.* (germ.), Hamburgi 1841-1853.

[3]) Vid. iudicium, quod de Bruckero tulit Sigwart in sua *Hist. phil.* (germ.), p. 21, Tubingae 1844.

[4]) Horum plerique ad Scotum Erigenam (vid. p. 99, et 100 et s. Anselmum (vid. *Dissert. cit.* Iosephi Prisco) spectant.

[5]) *Defensio theologiae temporum praeteritorum* (germ.), Monast. Guestphal. 1853. Cf de hoc opere *La Civiltà Cattolica*, 2ª Ser., vol. III, p. 285, Roma 1853.

« tias nostrae aetatis luce christianae veritatis illustratas « comprehendat [1] » ; Iacobum Clemens , qui capitalem errorem Guentheri refellere aggressus instaurationem philosophiae scholasticae maximopere commendavit. E re est pauca verba exscribere, quibus postremus hic Auctor suam dissertationem clausit : « Etenim philosophiam re- « centiorem, ex quo tempore maiorum nostrorum prin- « cipia manumittere , proprium sibi procedendi modum « sequi , novasque vias tentare coepit , paulatim a fide « defecisse , veritati christianae inimicam evasisse , nec- « non eo devenisse , ut sanae mentis hominibus aut « odio et execrationi, aut contemptui et ludibrio sit, ne- « minem potest effugere, qui videt ea, quae prae oculis « habet. Vnde efficitur, nisi falsa sint Salvatoris verba: « *ex fructibus eorum cognoscetis eos* , arborem , quae « tam malos fructos edidit , natura sua esse malam , « ideoque radicitus extrahendam, et extirpandam. Philo- « sophos igitur recentiores , cum a superioribus digressi « sunt , a recta via aberrasse , hoc mihi videtur sole « clarius esse. Quicumque autem a recta via deflexit , « itineris sui terminum nunquam attinget , nisi prius « usque eo pedem reverterit, ubi a recto tramite declina- « vit , atque hic regressus veri progressus conditio est. « Vanos igitur existimaverim omnium labores , et stu- « dia, qui huius , illiusve doctrinae recentioris consequen- « tiis perterriti auctorum quidem harum doctrinarum « vestigia premere desinunt , sed principiorum , a qui- « bus profecti erant, falsitatem minime perspicientes no- « vum iisdem fundamentis superstruere conantur philo- « sophiae aedificium , et redeundum esse censeo ad il- « lam philosophandi rationem , quam recentiores dese- « ruerunt, si christianam velis restituere philosophiam [2] ».

Tot, tantorumque Virorum cohortationes , et exempla magno incitamento nobis ad opus iam coeptum prosequendum fuere, nosque ad priora volumina in publicam

---

[1]) *Philosophia iuris* (germ.), t. II, Praef., Berolini 1854.
[2]) *Dissert.* cit. p. 81, et 82.

lucem edenda animum adiecerunt. Confidimus enim, quamvis non illam certe copiam eruditionis, non illud ingenii acumen, non illam diligentiam prae nobis tulerimus, quae moles, et difficultas eiusmodi operis expostulabant, fore tamen, ut Theologi, et Philosophi, qui philosophiam instaurare, eiusque aptiorem, et exquisitiorem usum in disciplinas theologicas importare adlaborant, saltem desiderio nostro aliquam symbolam ad id conferendi plaudant.

Restat, ut definitionem philosophiae, quae nobis probatur, exponamus, eamque in partes, quas continet, dividamus. Ad quam rem duo praemoneamus oportet. Primum est, nos non posse illam definitionem philosophiae sectari, quam Doctores Scholarum secundum Patres tradiderunt; propterea quod philosophia in hac aetate, uti iam dictum est, non complectitur omnes scientias peculiares, quamadmodum apud Philosophos antiquae, et mediae aetatis, sed circa certam materiam versatur, et peculiarem quamdam scientiam constituit. Vnde nostra definitio philosophiae illam materiam dumtaxat complecti debet, circa quam ipsa, prout hodie a philosophis accipitur, versatur. Alterum autem, quod ex priori fluit, illud est, nos ne posse quidem nostram partitionem philosophiae cum partitionibus, quas Philosophi veteris, et mediae aetatis confecerunt, comparare, quia, cum philosophia, prout hodie accipitur, pars sit philosophiae, prout ab antiquae, et mediae aetatis philosophis accepta fuit, nulla inter utriusque partitiones comparatio institui potest. Vnde nos hic partitionem nostram philosophiae tantum exponemus, ceterasque partitiones cum ipsa in secunda Logicae parte comparabimus, ubi de regulis, secundum quas encyclopaedia conficienda est, agemus.

Ex his, quae praemonuimus, intelligitur definitionem, partitionemque philosophiae recte confici non posse, nisi materia, sive, ut recentes aiunt, obiectum ipsius philosophiae praenoscatur. Iamvero, philosophia, prout in hac aetate accipitur, leges inquirit, et explicat, secundum

quas cogitatio humana evolvitur, obiecta quaedam expendit, ad quae specialium scientiarum obiecta referuntur, atque hoc modo principia suprema statuit, quibus omnes speciales scientiae innituntur. Ex his perspicitur philosophiae esse duas potissimas partes ; ipsa enim vel tractat de supremis principiis, secundum quae humana mens actiones suas cognoscendi exercens ad scientiam rerum assequendam pervenit, vel tractat de principiis, seu causis supremis rerum, ex quibus mens humana scientiam ipsarum rerum elicit. Prior pars *subiectiva* vocatur, quia subiectum cognitionis, hoc est, animam, prout est subiectum cognitionis, expendit ; altera autem *obiectiva*, quia suprema quaedam obiecta scrutatur, et, si inter haec obiecta, ut mox dicemus, animam recenset, hanc, prout est quoddam obiectum, non vero prout est subiectum cognitionis, considerat. Pars subiectiva inquirit leges, quibus mens humana actiones dirigit, facultates, quibus illas exerit, notiones universales rerum, et vim, quae ipsis ad obiectivam rerum existentiam manifestandam inest. Suprema autem obiecta, seu suprema principia rerum, de quibus pars obiectiva agit, sunt Deus, mundus universe spectatus, et homo. Deus est principium absolute supremum, ex quo res, quotquot sunt, perfecte cognoscuntur. Nam, cum Deus sit causa absolute prima, ex qua omnes res sunt, consequitur nullius generis rerum cognitionem perfectam, seu scientiam posse adquiri, nisi illud, postquam in se cognitum est, ad Deum, tanquam ad causam primam sui, relatum quoque consideretur; si quidem res tum perfecte sciuntur, cum per omnes causas, per quas sunt, cognoscuntur. Post Deum mundus universe consideratus est quoque principium supremum, ex quo res ipsum constituentes cognoscuntur. Re vera mundus universe considerari dicitur, cum notiones generales rerum mundum constituentium, et leges generales, quibus ipsae res inter se continentur, inquiruntur. Iam, nisi haec duo cognoscantur, nullum genus rerum, ex quibus mundus constat, sciri posse perspicuum est. Etenim, quisque scientiam alicuius generis rerum as-

sequi vult, primo oportet, ut, quid ipsae res sint, et quomodo a reliquis rebus distinguantur, in antecessum cognoscat ; hoc autem non aliud sibi vult , quam generalem notionem illius generis rerum sibi comparare. Praeterea , necesse est, ut cognoscat, quomodo res, ex quibus mundus constat, aptae inter se, colligataeque sint; si quidem ad scientiam alicuius rei adquirendam opus est rem cognoscere, non solum , prout ipsa in se est, sed etiam , prout ad ceteras res, a quibus pendet, refertur: id quod idem valet , ac leges generales cognoscere , quibus universitas rerum gubernatur. Quod si ad scientiam alicuius rei adquirendam necesse est habere notiones generales rerum, ex quibus mundus constat , legesque cognoscere, quibus res inter se continentur, atque haec duo inquirere idem valet, ac mundum universe considerare , indubium esse debet; quin mundus universe consideratus sit principium supremum, ex quo scientia rerum adquiritur. Alterum post Deum principium supremum , ex quo res cognoscuntur, est homo. Hoc perspicitur tum ex eo quod homo est subiectum cuiuslibet scientiae, tum ex eo quod homo cunctis rebus, quae mundum hunc aspectabilem constituunt, excellit. Et sane quoniam homo est subiectum omnium scientiarum, sequitur hominem nullam scientiam perfecte assequi posse , si se ipsum ignoret: namque, ut suo loco dicemus, scientia ad subiectum, quod scit , necessario refertur; eorum autem , quae ad se invicem referuntur, perfecta cognitio , sive scientia unius sine cognitione alterius haberi nequit. Praeterea , homo , cum cunctis rebus huius mundi aspectabilis excellat , harum omnium perfectiones in se , eminentiori modo , quam quo in ipsis rebus sunt , continet [1]: quocirca , si homo

[1]) « Omnis creatura, s. Augustinus ait, in homine numera« tur..., quia omnis creatura partim spiritalis est, partim ani« malis, partim corporalis »; Lib. *De Diversis Quaestionibus octoginta tribus*, q. 67, n. 5. Alibi autem: « In unoquoque homine est « omnis creatura, non universaliter, sicut est coelum, et terra, « et omnia, quae in eo sunt, sed generatim quodam modo »; *Lib. Ad Orosium contra Prisciellianistas, et Origenistas*, c. 8, n. 11. Cf s. Thom., I, q. XCI, a. 1 c., et q. XCV, a. 2 c.

se ipsum cognoscit, in se principium invenit, ex quo scientiam omnium rerum mundanarum adquirere valet. Quamobrem homo et ex eo quod est subiectum scientiarum, et ex eo quod cunctis aliis rebus excellit, quoddam principium supremum est, ex quo speciales scientiae efficiuntur.

Quandoquidem cum in parte subiectiva, tum in parte obiectiva philosophiae plura, uti ex dictis patet, tractanda sese nobis offerunt, utrique alias partes subiici oportere manifestum est. Enimvero, pars subiectiva complectitur *logicam*, quae exponit diversas actiones, quas mens humana in veri cognitione persequenda exerit, leges, quibus illas actiones exercet, et ordinem, quo illas ad veritatis inquisitionem adhibere debet; tum *dynamilogiam*, hoc est, tractatum de facultatibus, qui facultates animae recenset, et harum singularum naturam, modum operandi, et obiectum proprium scrutatur; *idealogiam*, nempe tractatum de ideis, qui expendit, quomodo mens humana, facultatum suarum subsidio, universales quasdam notiones sibi comparet, principiaque inveniat, quibus omnes scientiae in suis investigationibus utuntur, denique *criteriologiam*, sive tractatum de criterio veri, qui, quaenam vis facultatibus, et actionibus animae ad verum detegendum insit, investigat. Pars obiectiva autem in quatuor alias partes sibi subiectas dividitur, quarum prima ad Deum, secunda ad mundum universe spectatum, duae postremae ad hominem spectant. Pars, quae disputat de Deo, Eiusque attributis, quantum infirmitas mentis humanae sinit, vocatur *theologia*; pars autem, quae de mundo universe spectato disserit, *cosmologia* audit; atque duarum partium, quae de homine agunt, prior, quae naturam hominis exponit, *anthropologia* dicitur, posterior autem, quae principia, seu leges universales morum inquirit, ad quas homo, si finem ultimum, sibi a Deo praestitutum, assequi velit, actiones suas accommodare debet, *ethica* nuncupatur. Ex his facile intelligitur philosophiam dividendam quoque esse in *theoreticam*, nempe *contemplativam*, et in *practicam*,

nempe *operativam*. Illa complectitur cunctas partes philosophiae subiectivae, et tres primas partes obiectivae, scilicet theologiam, cosmologiam, et anthropologiam, propterea quod omnes hae partes philosophiae in contemplatione rerum versantur, haec vero ethicam, quippe quae non ad *theoriam*, hoc est, contemplationem, sed ad *praxim*, hoc est, ad operationem spectat [1]. Quemadmodum autem philosophia theoretica, ut suo loco dicemus, causas, seu rationes supremas inquirit, quae sunt principia scientiarum theoreticarum specialium; ita ethica, seu philosophia practica rationes supremas, quae sunt principia scientiarum practicarum specialium, investigat.

Postquam novimus obiecta, in quibus philosophia versatur, et partes, in quas ipsa dividitur, licet nobis definitionem concinnare, quae huius principis omnium humanarum scientiarum naturam explicet. Nonnihil difficultatis inveniri videtur in revocandis ad unicum conceptum partibus, ex quibus ipsa conflatur, cum hae partes et plures, et diversae sint. Certe, inde factum est, ut in definienda philosophia nonnulli solam partem obiectivam, nonnulli autem solam subiectivam significarent [2]. At, si ea, quae esse materiam philosophiae ex omnium recentium consensu statuimus, attente considerentur, philosophia, nostra quidem sententia, optime definiri potest: *scientia supremorum principiorum, seu suprema-*

---

[1]) « Quarum (*partium philosophiae*), s. Augustinus ait, activa « ad agendam vitam, idest ad mores instituendos pertinet, con- « templativa autem ad conspiciendas naturae causas et sinceris- « simam veritatem »; *De Civ. Dei*, lib. VIII, c. 4.

[2]) Huiusmodi sunt illae definitiones, quae apud *Institutionum*, vel *Elementorum* scriptores leguntur, scilicet *scientia hominis interioris, relationumque eius cum Deo, et natura*, vel *scientia humanae cogitationis*, aliaeque id genus, quas videre licet apud Buchez, *Essai d' un traité complet de philosophie au point de vue du catholicisme, et du progrès*, lib. I, c. I, t. I, p. 159-162, Paris 1838; Pestalozza, *Elementi di Filosofia*, Introd., c. 1, § 11-14, p. 4-6, ed. 4ª, Milano 1857; Hugonin, *Ontologie*, Introd., t. I, p. 13 sqq, Paris 1856.

rum rationum cum cognitionis, tum rerum, quae ratione humana cognosci possunt. Haec definitio ex iis, quae de obiecto philosophiae diximus, tanta evidentia deducitur, ut nulla explicatione egeat. Illud dumtaxat advertendum censemus, nos illa verba : *quae ratione humana cognosci possunt*, eo consilio in definitione posuisse, ut philosophia a scientiis theologicis, quae Divinae Revelationi innituntur, distingueretur. Nam, quamvis Philosophus Revelationem Divinam prae oculis semper habere, et quidquid ipsi contradicere comperit, veluti falsum reiicere debeat; tamen ei, ut cum Rog. Bacone iam monuimus [1], non alia pronuntiata in philosophiam invehere licet, quam quae argumentis e ratione petitis demonstrare potest.

Atque haec, veluti introductionem ad nostram *Philosophiam Christianam*, praemonuisse satis sit. De praestantia autem, et utilitate huius scientiae nihil hic attinet dicere. Nam, si philosophia, prout ad scientias divinas refertur, consideretur, iam a nobis secundum Patrum, et Scholasticorum doctrinam demonstratum est illam tot, tantisque famulatus officiis erga theologiam fungi, ut huic necessariam esse Rog. Baco asserere non dubitaverit [2]. Quantum vero philosophia ceteris scientiis humanis praestet, quantamque utilitatem in ipsas conferat, vel ex eo tantum perspici potest, quod obiectum eius, ut s. Thomas advertit [3], atque ex dictis patet, obiectis reliquarum scientiarum quodammodo commune est. Sed de hac re in secunda parte Logicae uberrime. Quamobrem huic Introductioni finem facientes a *Logica* ordiemur, quippe quae, ut mox dicemus, dum est pars philosophiae, ideoque et ipsa scientia, vestibulum omnium scientiarum non immerito existimata est.

---

[1]) P. 106, not. 1. — [2]) *Op. cit.*, pars II, c. 1, p. 32, ed. cit.

[3]) « Omnibus aliis scientiis perfectionem impartitur, in quantum obiectum suum est commune secundum rationem obiectis omnium aliarum scientiarum »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXVII, q. II, a. 4, *sol.* 2 ad 1.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

LOGICAE

PROLEGOMENA

Cvique exploratum esse debet mentem humanam cognoscere non solum res, sed etiam actiones, per quas res cognoscit. Cum enim animus, uti ad rem nostram animadvertit s. Thomas, ope intellectus supra se ipsum reflectatur, efficitur, ut, cum aliquid intelligit, simul intellectiones suas, et seipsum intelligentem intelligere possit. Iamvero, si animus actiones cognoscit, per quas res cognoscit, ipse procul dubio potest leges detegere, quibus actiones suas cognoscendi ad rerum cognitionem assequendam dirigit, atque illarum diversos modos, ususque investigare. Ex quo, secundum eumdem Aquinatem, argumentari licet posse existere scientiam, quae circa modum dirigendi actiones cognitrices humanae mentis ad veri assecutionem versetur. Haec scientia ea est, quae *Logica* dicta fuit. Iamvero, perspicuum est mentem humanam, ut idem sanctus Doctor tenet, hac scientia illud assequi, quod verum sine errore, facile et certo ordine cognoscat. Etenim, quamvis mens humana actiones cognoscendi naturaliter exerceat; tamen indubium est eam eo facilius et rectius illas dirigere, quo penitiorem habet notitiam legum, secundum quas ipsae exercentur; si quidem artifex, quo melius instrumenta artis suae novit, eo perfectiora opera concinnare valet. Hinc sanctus Doctor sapienter statuit logicam esse scientiam, quae actus rationis ad verum ex ordine, sine errore et facile assequendum dirigit. « Ratio, ipse scribit, non so-
« lum dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam
« actus sui directiva est. Hoc enim est proprium intel-
« lectivae partis, ut in seipsam reflectatur. Nam intel-
« lectus intelligit seipsum, et similiter ratio de actu suo

« ratiocinari potest. Sicut igitur ex hoc, quod ratio de « actu manus ratiocinatur, adinventa est ars aedificato- « ria, vel fabrilis, per quam homo faciliter, et ordinate « huius actus exercere potest; eadem ratione ars quae- « dam necessaria est, quae sit directiva ipsius actus ra- « tionis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis « ordinate, et faciliter, et sine errore procedat. Et haec « est ars logica [1] ».

Postquam notionem Logicae leviter adumbravimus, explicemus necesse est, quaenam sit illius materia, sive, ut recentes aiunt, *obiectum*. Vt id intelligatur, animadvertendum est tres esse actiones intellectus, per quas ad rerum cognitionem pervenimus, easque ita secum comparatas, ut prior posteriori contineatur, eique inserviat. Revera, nos principio res simpliciter apprehendimus, puta, hominem, equum, aliasque eiusmodi res. Hoc primum opus nostrae mentis *notio*, quae simplex cognitio rei est, audiit. Deinde notiones inter se collatas vel invicem mens coniungit, vel segregat, prout unam alteri convenire, aut repugnare perspicit. Ita comparans notionem *animalitatis* cum notione *hominis* ambas coniungit, hominemque esse animal ait. Hoc alterum opus mentis *iudicii* nomen habuit. Tum denique ex duobus iudiciis aliud iudicium eruimus, atque ita ex notis ad ignotorum intelligentiam progredimur. Ex. gr. postquam novimus existere res aliquas finitas, et confecimus hoc iudicium: *Existunt res aliquae finitae*, itemque hoc secundum: *Non possunt existere res finitae, nisi esset Ens infinitum*, concludimus esse re ipsa Ens infinitum, quod Deus vocatur. Hoc tertium genus actionum *ratiocinatio*, sive *syllogismus* dictum est. Iam, manifestum est notiones iudicio, et iudicium ratiocinatione contineri, propterea quod haud possibile est, uti s. Tho-

[1]) *I Post.*, lect. I. Cave, ne ex hoc loco colligas logicam, s. Thomae iudicio, esse artem, non scientiam; si quidem sanctus Doctor, Aristotelis morem secutus, scientiam *artis* voce interdum significavit.

mas advertit, coniungere, aut segregare, nisi ea, quae iam simpliciter apprehensa sunt, neque ad ignotum pervenire, nisi per id quod iam notum est. « Harum autem, « subdit, operationum prima ordinatur ad secundam, quia « non potest esse compositio, et divisio, nisi simpli- « citer apprehensorum. Secunda ordinatur ad tertiam, « quia videlicet oportet, quod ex aliquo vero cognito, « cui intellectus assentiat, procedatur ad certitudinem « accipiendam de aliquibus ignotis [1] ».

Sciendum etiam est mentem nostram, ut idem Aquinas advertit [2], iis, quae ratiocinatione cognoscit, interdum adeo adquiescere, ut nulla de illorum veritate suspicio ipsam subeat; interdum autem ita, ut aliqua suspicio in ipsa remaneat. Hoc discrimen non enascitur ex diversitate modi, quo syllogismus efficitur, sed ex diversitate materiae, circa quam versatur. Illud enim, quod syllogismo concluditur, vel eiusmodi est, ut aliter esse nequeat, puta *tres anguli trianguli duos rectos efficiunt*, vel eiusmodi, ut aliter esse possit, puta *semen in terra iactum fert fructum*. Prior syllogismus, qui necessariam, et certam cognitionem parit, ἀποδικτικός, *demonstrativus*; posterior, qui contingentem, et probabilem, διαλεκτικός, *dialecticus* vocari solet. His addendus est σοφιστικός, *sophisticus*, is nempe, qui falsum concludit, erroremque gignit.

His praestitutis, principio inquiramus necesse est, utrum tres actiones animae, quas diximus, sint obiectum Logicae, prout sunt quaedam voces, an prout sunt quaedam res, an denique prout sunt quidam conceptus intellectus. Post quosdam veteres, quos Avicenna, celebris Arabum Hispanorum Philosophus, confutavit [3], Nominales mediae aetatis senserunt tres actiones intellectus, sive rationis ad logicam pertinere, prout vocibus significantur; ipsi enim docebant, « logicae generalis, ut Alberti

---

[1]) *I Post.* lect. I. — [2]) *Ibid.* De hac re alias.
[3]) *Log.* c. 3, *Opp.* Venetiis 1495.

« Magni verbis utamur, subiectum esse sermonem, prout « est designativus rerum, quae significantur per ipsum [1] ». Illis inter recentes post Hobbesium [2], Condillachus [3], aliique ex eius schola, et nuper Vathelyus in Anglia [4] adstipulati sunt. Pervulgatum est illud Condillachi: « Ars « ratiocinandi non aliud, quam ars recte loquendi est [5] ». Aliis, in primisque iis, qui Realium nomine innotescunt, opinio fuit actiones intellectus esse obiectum Logicae non prout vocibus significantur, sed prout res sunt, quia omnis scientia circa res versatur. Denique B. Albertus M., s. Thomas, corumque sectatores, qui Conceptualium sententiam tuiti sunt, senserunt actiones intellectus esse obiectum Logicae non prout sunt quaedam voces, nec prout sunt quaedam res, sed prout sunt conceptus mentis, obiectumque logicae consistere in ordine, quem ratio in suis actibus ponit, ut per illos non simplicem, et imperfectam, sed perfectam cognitionem, sive scientiam rerum, consequi valeat. Hinc vides obiectum logicae secundum Nominales esse aliquid nominale, secundum Reales esse aliquid reale, et secundum Conceptuales aliquid ideale [6].

Harum trium sententiarum prima manifeste absurda est. Enimvero, sermo, uti Albertus M. advertit, est obiectum logicae non *per se*, sed *per accidens*. Nam Logica per se in illud intendit, ut ea tradat, quorum ope a noto ad ignotum progredi possumus, sed sermo nos ad igno-

---

[1]) *Liber de Praedicabilibus*, tract. I, c. 4.
[2]) *Log.* p. 2, et *De Hom.* p. 20, *Opp.*, vol. I, Amstel. 1668.
[3]) *Logique*, part. I, c. 3, *Oeuvr.* t. XXII, Paris 1798.
[4]) *Elementa Logicae* (angl.), p. 56, et 74, Oxonii 1829.
[5]) *Op. cit.*, ibid.
[6]) Vt harum trium diversarum opinionum origo intelligatur, sciendum est universalia, puta animalitatem, rationalitatem, humanitatem, aliaque eiusmodi, secundum aliquos Philosophos, esse *res*, quae vere in natura existunt; secundum alios non res, sed *conceptiones* mentis, quae in rerum naturis fundantur; et aliorum iudicio nec res, nec conceptiones, sed mere *nomina*, seu voces: unde illi *Reales*, isti *Conceptuales*, hi *Nominales* dicti fuere.

tum non ducit, sed dumtaxat ad facilius, tutiusque ratiocinandum, et ad communicandum cum aliis ratiocinationes nostras adiuvat. Atqui materia, seu obiectum scientiae, ut alibi dicemus, est illud, quod ad ipsam *per se*, non vero *per accidens* pertinet. Sermo igitur materia, seu obiectum logicae non est. « Propter quod, « Beatus Doctor notat, logicus et ad se, et ad alterum uti- « tur sermone per accidens, et non per se, quia sine « sermone designativo procedere non potest ad notitiam « eius, quod ignotum est. Ratiocinatione autem utitur per se « ad notitiam faciendam eius, quod declaratum est. Propter « quod, cum logici intentio sit docere ea, per quae per se « venitur in notitiam ignoti per quod notum est, logicae « subiectum est argumentatio : quia per argumentationem « efficitur id quod intenditur[1] ». Hinc idem Doctor scite monuit Logicum omnia considerare, prout ipsa in intellectu sunt, et *horum gratia* de vocibus tractare.

Reales etiam a veritate longe aberrarunt. Enimvero, Logicus actiones humanas non considerat, prout ipsae in se, sed prout instrumenta verum assequendi sunt. Ipse enim non quaerit, cuiusnam naturae sint actiones mentis humanae, aut quomodo ab anima exerceantur, aut quaenam illis ad verum arripiendum potestas insit, sed illud dumtaxat, quomodo ipsas ad verum in qualibet investigatione rerum assequendum dirigere oporteat. Atqui actiones cognitrices animae, si priori modo considerentur, sunt res, seu ens reale, sin posteriori, sunt conceptus, seu ens ideae. Ergo opinio Realium asserentium actiones intellectus esse obiectum logicae, prout res, sive ens reale sunt, a veritate longe aberrat. Id sibi voluit Albertus M., cum scripsit: « Non autem (*notum*) « facit notitiam ignoti, prout est res extra animam no- « scentis accepta, sed potius prout est notio rei in ani- « ma noscentis, sic enim significativa est, et illativa « eius, quod ignotum est[2] ».

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. c. 4. — [2]) *Ibid.*

Quod si actiones intellectus non sunt obiectum logicae, prout vocibus significantur, uti Nominalibus visum fuit, nec prout sunt res, quae per voces significantur, uti Reales voluere, sequitur verum obiectum logicae esse, quemadmodum Alberto M., s. Thomae, aliisque Conceptualibus placuit, conceptus, qui ordinem inter actiones intellectus repraesentant. Id, praeterquam quod ex hactenus dictis facile perspicitur, evinci potest hoc luculento, et brevi argumento: Logica investigat, quo ordine notiones inter se continentur, quomodo eae in iudicio componantur, et quomodo ex duobus iudiciis tertium eliciatur. Atqui reductio conceptuum ad quemdam ordinem, compositio, et collectio, uti Albertus M. sapienter animadvertit, non existunt in rebus, neque in vocibus, quibus res significantur, sed sunt opus rationis. « Ordo, ipse inquit, non est in rebus, « sed oportet, quod ratio ponat ordinem, sicut et facit « complexionem, et collectionem compositorum [1] ». Ergo obiectum logicae, seu *philosophiae rationalis*, ut secundum Albertum s. Thomas conclusit, est aliquid, quod est opus rationis, nempe aliquid *ideale*: « Alius est or- « do, quem ratio considerando facit in proprio actu, « ut cum ordinat conceptus suos ad invicem. . . Ordo, « quem ratio considerando facit in proprio actu, perti- « net ad philosophiam rationalem [2] ». Atque idem Albertus: « Rationis enim opus est ordinare, componere, « et colligere, et resolvere ea, quae collecta sunt : quo « opere utitur (*logicus*) quasi instrumento in accipiendo « scientiam, quando procedit a noto ad ignotum [3] ».

Quae cum ita se habeant, nullo negotio intelligitur obiectum logicae cum obiecto dynamilogiae, et cum obiecto grammaticae non esse confundendum, propterea quod logica non considerat actiones mentis, prout res quaedam sunt, quemadmodum dynamilogia, nec prout per voces significantur, quemadmodum grammatica,

---

[1]) *De Praedicamentis*, lib. II, tract. I, c. 1.
[2]) *Ethic.*, lect. I, Prooem. — [3]) *De Praedic.*, tract. I, c. 7.

sed prout ad consecutionem veri ab intellectu disponuntur, instrumentaque sciendi sunt. Hoc diligentius enucleandum nobis est, ut res, de qua agimus, plane perspiciatur. Quandoquidem actiones mentis humanae tribus diversis modis spectari possunt, nimirum vel tanquam res, seu reales affectiones animae, vel tanquam conceptus, qui ordinem, quem intellectus inter actiones suas ponit, repraesentant, vel tanquam voces, quibus significantur, fieri non potest, quin quisquis illas sub uno aspectu tractat, sub duobus aliis aliquo modo non consideret. At vero ipsae secundum diversum aspectum, sub quo potissimum considerantur, obiectum vel dynamilogiae, vel grammatices, vel logices sunt. Dynamilogiae quidem, si considerentur tamquam reales affectiones animae; grammatices, si prout per sermonem mens illas vel sibi repraesentat, vel cum aliis communicat; logices denique, si prout instrumenta sciendi sunt. Re vera, cultor Dynamilogiae expendit facultates animae, diversosque modos, quibus ipsae actus suos exerunt; Grammaticus essentiam, et accidentia sermonis, ut quomodo per sermonem actiones mentis congrue repraesentari queant, perspiciat; Logicus tandem diversos modos, quibus eaedem actiones disponendae sunt, ut e notis ad ignota in singulis scientiis gradatim progressus fiat. Ex quibus patescit, etsi logica notiones expendat, circa quas dynamilogia versatur, et sermone utatur, cuius analysim grammatica instituit; tamen verum obiectum eius non esse aliquid nec *reale*, cuiusmodi est illud dynamilogiae, nec *nominale*, cuiusmodi est illud grammaticae, sed *ideale*, quippe quod illa actiones mentis scrutatur, non eo fine, ut quae sit natura, et quis operandi modus illarum, sed ut quomodo per illas scientia adquiratur, perspiciat, et non studet vocibus, ut sermonis, qui ex illis conflatur, artem addiscat, sed ut conceptuum, qui per vocem significantur, ordinem cognoscat. Hinc scite s. Thomas sanxit logicam non circa *ens rei*, nempe ens *reale*, sed circa *ens rationis*, nem-

pe *ideale*, versari, quia ipsa non in id incumbit, ut res in seipsis cognoscat, sed ut modum, quo mens res cognoscit, detegat. « Circa omnia, quae sunt, inquit « s. Thomas, debet negotiari ratio. Logica autem est de « operationibus rationis: et ideo Logica est de his, quae « communia sunt omnibus, idest de intentionibus ra- « tionis, quae ad omnes res se habent [1] » ; atque alias: « Ens est duplex, ens naturae, et ens rationis. Ens ra- « tionis proprie dicitur de illis intentionibus, quas ratio » adinvenit in rebus consideratis, ut est intentio gene- « ris, differentiae, praedicati etc., quae quidem non in- « veniuntur in rebus, sed considerationem rationis con- « sequuntur : et eiusmodi ens rationis est proprie sub- « iectum logicae [2] ». Hinc Logica a politioribus Philosophis Graecis, post Platonem, uti diximus in *Introduct. ad Philosoph.*, scientia *rationalis* dicta fuit, utpote quae, quemadmodum de Platone Eusebius scripsit, *conformandae rationi* destinatur. Quam sententiam a Clemente Alex., Origene, s. Augustino, aliisque Ecclesiae Scriptoribus propugnatam s. Thomas amplexus est: « Et haec « est ars logica, idest, rationalis scientia: quae non so- « lum rationalis est ex eo quod est secundum rationem, « sed etiam ex eo quod est circa ipsum actum rationis, « sicut circa propriam materiam ».

At vero, disputatum a Philosophis est non solum de modo, quo tres actiones intellectus, sive rationis, circa quas logicam versari omnes consentiunt, a Logico considerandae sunt, sed etiam, utrum duae priores actiones, nempe notio, et iudicium, non solum prout clementa tertiae, nempe syllogismi, sunt, sed etiam per se, et seorsum consideratae, an vero dumtaxat, prout sunt elementa syllogismi, obiectum proprium logices sint. Primam opinionem post quosdam antiquos, quo-

---

[1]) *In lib. I Post. Analyt.*, lect. X.
[2]) *In lib. IV Met.*, lect. IV.

rum Albertus M. mentionem fecit [1], et non paucos sequentium aetatum Scholasticos, Hamiltonus, Scotiae philosophus, probavit, illa permotus ratione, quod notio, et iudicium non solum, prout ad syllogismum efficiendum concurrunt, sed etiam per se quidam modi, seu instrumenta sciendi sunt [2]. Alii vero, in quorum censum s. Augustinus venit [3], ratiocinationem esse verum, et proprium obiectum logicae putarunt. At, quoniam syllogismus secundum materiam consideratus triplex, uti antea innuimus, est, scilicet *demonstrativus*, *dialecticus*, et *sophisticus*, inter posterioris sententiae fautores altera lis exarsit, num omnes tres illae species syllogismi, an demonstrativus tantum, sint obiectum Logicae. Themistius [4], Philoponus [5], aliique veteres, quos Scotus secutus est [6], in ea sententia versati sunt, unum syllogismum demonstrativum esse proprium obiectum logicae, quia unus syllogismus demonstrativus scientiam, cuius instrumentum logica est, gignere valet. Verum, Albertus M. contendit ratiocinationem, cuiuscumque naturae sit, et quamcumque formam induat, non vero dumtaxat *demonstrativam*, sive, ut ipse loquitur, *argumentationem*, non vero *syllogismum* esse obiectum proprium logicae, quippe quod, uti alias dicemus, non omnes scientiae [7], immo non semper eadem scientia eamdem naturam, eamdemque formam ratiocinationis expostulat [7]. Huic sententiae post Wathelyum [8], aliosque nuperos Galluppius [9] noster adhaesisse videtur; si quidem ipsi ratio-

---

[1]) *Op. cit.*, tract. I, c. 4.

[2]) *Fragmens* etc., *Logique*, p. 208, 209.

[3]) *De Civ. Dei*, lib. II, c. 7; *De Doctr. christ.*, lib. II, c. 37; *De Ord.*, lib. II, c. 13.

[4]) *Comment. in Arist. Poster. Analyt.*, c. 24, Venetiis 1481.

[5]) *Comment. ad Prior. Analyt.* fol. 4 recto, et verso, Venetiis 1536. — [6]) *De univers.*, q. 3. — [7]) *Op. cit.*, ibid.

[8]) *Op. cit.* p. 1, 13, et 140, ed. cit. Ipse autem non semper sibi constitit, si quidem alibi, ut paulo ante diximus, sermonem esse obiectum proprium Logicae scripsit.

[9]) *Lezioni di Filosofia*, lez. X, vol. I, p. 56-58, Napoli 1853.

cinationem pro obiecto logices in universum statuerunt, quin discrimen inter syllogismum demonstrativum, et dialecticum inuuerent.

Nos, secundum Albertum M., arbitramur materiam logicae non esse nec cunctas tres actiones mentis, ex quibus ratiocinatio constat, nec *syllogismum*, sive ratiocinationem demonstrativam, sed *argumentationem*, hoc est, ut secundum recentes loquamur, non solum ratiocinationem, quae ex principiis necessariis necessariam conclusionem deducit, sed ratiocinationem universe consideratam, quaecumque eius natura, et quaecumque eius forma sit. Enimvero, quod ad primam sententiam ab Hamiltono propugnatam attinet, Logicus notionis, et iudicii naturas non in se ipsis, sed prout elementa ratiocinationis sunt, scrutatur. Namque, cum finis logicae sit viam tradere, qua e notis ad ignotum progressio fit, obiectum proprium logicae non alia actio cognitrix animae esse potest, quam quae vim progrediendi de noto ad ignotum tradit, quaeque ratiocinationis nomen habet. At vero, quandoquidem logicus perfectam notitiam ratiocinationis sibi comparare non potest, nisi elementa, ex quibus ipsa constat, seorsum intelligat, necesse est, ut logicus non modo ratiocinationi, sed etiam notioni, et iudicio cognoscendis incumbat. Quamobrem notio, et iudicium, uti haec res ab eodem Alberto definita fuit, sunt obiectum logicae, non *per se*, sive, uti aiunt, *absolute* considerata, sed *propter aliud*, hoc est, prout elementa ratiocinationis sunt. « De argumentatione, ait, « vel syllogismo est tota logica, ut de subiecto. De aliis « autem vocibus incomplexis est propter illam [1] ». Iam, obiectum proprium cuiuslibet scientiae est illud, quod ad ipsam *per se*, seu *absolute*, non vero *propter aliud*, seu *per accidens* pertinet. Ergo ex tribus actionibus mentis, circa quas logica versatur, ratiocinatio, aut, si dicere mavis, argumentatio proprium obiectum eius est.

---

[1]) *Loc. cit.*

Quod vero ad duas alias sententias spectat, advertendum est syllogismum, seu ratiocinationem demonstrativam non esse unicum instrumentum, quo cunctae scientiae utuntur. Etenim scientiarum aliae, puta mathematicae, syllogismo comparantur, aliae, cuiusmodi sunt omnes experimentales, inductione maxime innituntur, neque in cunctis scientiis omnia, quae tractantur, perfectae argumentationis vim, quae syllogismi demonstrativi propria est, assequuntur. Atqui logica cunctis generibus scientiarum modum e notis ad ignota progrediendi suppeditare debet. Ergo materia logices quaelibet argumentatio, non solum demonstrativa, est. « Non enim, Beatus Doctor scribit, de « omnibus fides esse poterit per syllogismum propter hoc « quod discursus syllogisticus non est nisi ab universali « universaliter accepto, quod in multis scientiis esse non « poterit... Cum igitur logica, ut dicit Aristoteles, det omni « scientiae modum disserendi, et inveniendi, et diiudicandi quod quaesitum est: oportet, quod de tali sit ut « de subiecto, quod omnibus in omni aequaliter applicabile est. Sunt autem adhuc quaedam, in quibus ex singularibus quaerimus invenire quod ignotum est, sicut « in experimentalibus, in quibus utimur vel syllogismo, « vel inductione ad universale accipiendum, et non possumus uti syllogismo perfecto. Propter quod syllogi- « smus commune subiectum logicae esse non potest [1] ». Nihilominus, duce eodem B. Alberto, inficias non imus syllogismum demonstrativum esse praecipuum obiectum logicae. Nam, si non omnes scientiae circa materiam necessariam versantur, certe nulla scientia, quaecumque eius materia sit, existere potest sine quibusdam principiis necessariis, et certis. Iamvero cognitiones necessariae, et certae, ex quibus solis quaelibet scientia constituitur, uno syllogismo demonstrativo comparantur, quia, uti suo loco dicemus, non alia cognitio nomen scientiae meretur, quam quae ex principiis ipsius rei, circa quam ver-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

satur, proindeque necessariis, et certis eruitur. Quocirca idem Albertus M. iure optimo auctores contrariae sententiae redarguit, quod definiverint « commune subiectum logicae secundum id, quod est principale [1] ». Si haec attente consideraveris, haud aegre tibi persuadebis duas postremas Philosophorum sententias, quas retulimus, secum quodammodo componi posse. Nam, si nomine scientiae perfectam, absolutamque notitiam veri intellexeris, hanc procul dubio nonnisi syllogismus demonstrativus parere potest: sin systema cognitionum, quae ad certum genus rerum spectant, hoc saepe non solum syllogismo demonstrativo, sed etiam probabili, nec syllogismo tantum, sed etiam inductione comparatur.

Ex iis, quae de obiecto logices hactenus diximus, facile intelligitur duos quoque hac in re cavendos esse errores, quorum prior a Baconis, Cartesii, et Lockii discipulis, atque alter ab Hamiltono propugnati sunt. Et quod ad primum spectat, quisquis *Novum Organum* Baconis [2], dissertationem Cartesii *de Methodo* [3], et *Specimen de intellectu humano* Lockii [4] vel leviter perlegit, compertum procul dubio habet, antesignanos istos recentis philosophiae ita logicae controversias tractasse, ut eius ambitu non solum leges, quibus actiones cognitrices animae ad scientiae adeptionem diriguntur, sed etiam multa ad naturam facultatum cognoscendi, ad originem idearum, et ad criterium veri spectantia, comprehenderent, eidemque methodo primos eorum sectatores, uti Spinozam, Malebranchium, aliosque non paucos, instituisse. Hinc factum est, ut eorum discipuli, quorum agmen Arnaldus, vel quisquis sit auctor *Artis cogitandi* ducit, controversias ad originem idearum, aliasque id genus in suis Logicae Institutionibus tractarent. Inter hos, speciminis loco, recensere licet innumeros sectatores Auctoris *Artis cogitan-*

---

[1]) *Ibid.* — [2]) *Opp.* t. II, Amstelodami 1694.
[3]) *Oeuvr. phil.* ed. Garnier, t. I, Paris 1835.
[4]) *Essai de l' entendement hum.* trad. Cost. Paris 1758.

di, Condillachum, eiusque discipulos, qui philosophiam Baconis, et Lockii evolverunt, et nuperos Eclecticos e Cousinii schola, uti prae ceteris Damironum [1], Duval-Iove [2], et Waddingthonum [3]. Contra ea, Hamiltonus, Kantium secutus, contendit obiectum logicae esse solas leges, quae ad formam syllogismi *puri* pertinent, proindeque non solum quaestiones dynamilogicas, et idealogicas, sed etiam leges syllogismi, quae ad materiam eius pertinent, e logices ambitu disterminavit. Quamobrem ipse contendit veros logicae fines, nedum a Cartesianis, aliisque recentibus, ab ipso Aristotele in cunctis libris logicis praeteritos fuisse, quia in illis ratiocinationem non modo quod ad formam, in qua logicus duntaxat versari debet, sed etiam, quod ad materiam, expendit. Re vera, Stagirita in illis non solum leges syllogismi *puri*, hoc est ab omni materia, circa quam versatur, abstracti, sed etiam leges syllogismi, prout materia eius est vel necessaria, vel contingens, exposuit, diversosque modos eius, qui ad materiam quoque pertinent, inquisivit [4]. Quin immo ne ipsi Kantio quidem pepercit, quippe qui in sua *Critica rationis purae* de diversis modis enunciationis, et syllogismo tractavit [5].

Iamvero, necesse non est, ut in harum duarum opinionum confutatione immoremur, cum ex iis, quae diximus, ipsarum falsitas facillime patescat. Enimvero, Baco, Cartesius, Lockius, eorumque sectatores obiectum logices ita dilatarunt, ut logicam cum ceteris philosophiae partibus confunderent. Cum enim logicus sibi proponat leges investigare, quibus intellectus actiones suas ad veri assecutionem in quolibet ordine cognitionum dirigere debet, opus ei non est nosse aut facultates, quae sunt principia proxima ipsarum actionum, aut ideas, quas per ipsas actiones adquirere nobis licet, aut

---

[1]) *Cours de phil.*, part. 3, *Logique*, Paris 1836.
[2]) *Traitè de Logique*, Paris 1844.
[3]) *Essais de Logique*, Ess. II, p. 44 sqq, Paris 1857.
[4]) *Op. cit.* p. 217-219.—[5]) *Ibid.* p. 225, 226.

demum, quid vis ipsis ad rerum obiectivam realitatem aperiendam insit, sed satis est ratiocinationis, quam naturaliter exercet, naturam, et leges contemplari, ut, quomodo intellectus illa ad verum facilius, tutiusque cognoscendum uti queat, addiscat. Quocirca omnes ii, qui quaestiones ad dynamilogiam, aliasque partes philosophiae spectantes in logicam induxere, verum, germanumque obiectum logicae omnino ignorarunt. Nec temerarium est, uti Waddingthonus putavit, asserere Baconi, Cartesio, ceterisque recentis philosophiae principibus verum obiectum logicae latuisse [1]; si enim ab ipsis haec iniuria propulsetur, necesse est, ut in Platonem, Aristotelem, et plerosque veteres, nec non in cunctos mediae aetatis Doctores retorqueatur, qui certe et vi ingenii, et mentis exercitatione, et lectionis assiduitate cunctis recentibus antecellunt. Quantum vero detrimenti ex hac praeposteria recentium methodo in universam Philosophiam redundaverit, ex iis, quae mox dicemus, luculenter patescet.

Hamiltonus quoque vehementer falsus est. Si enim scientiae necessario circa aliquam materiam, eamque vel necessariam, vel contingentem, versantur, oportet, ut logica leges syllogismi non solum prout est *purus*, nempe ab omni materia seiunctus, sed etiam prout circa diversas materias versatur, inquirat; alioquin ipsa ad nullum genus cognitionum, ad nullamque scientiam adquirendam idoneum instrumentum foret. Hinc Remusatius [2], atque ipse Waddingthonus [3] iure optimo asseruerunt, opinionem Hamiltoni de obiecto logicae esse valde abnormem, et cl. Philosophum Scotiae illam laudem, quod primus omnium germanum obiectum logicae noverit, veramque definitionem eius concinnaverit, immerito sibi tribuisse.

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.
[2]) *Revue des Deux mondes*, 1 avril 1856, p. 449-501.
[3]) *Op. cit.*, ibid.

At enim, estne *logice* aliqua scientia, uti a nobis modo sumta est ? an ars ? an neutrum horum , sed dumtaxat scientiarum instrumentum ? Hac de re etiam Philosophorum variae sententiae sunt. Vt harum differentiae perspiciantur , sciendum est priscos Interpretes Aristotelis logicam duobus modis considerasse, nempe vel prout in se est , et seiuncta a rebus , διαλεκτικὴ χωρὶς πραγμάτων, vel prout cognitioni rerum applicatur, διαλεκτικὴ ἐν χρήσει, eorumque exemplo Scholasticos logicam in *docentem*, et *utentem* divisisse [1]. Iamvero , nonnulli Interpretes graeci, uti prae reliquis Alexander Aphrodisiensis [2], Themistius [3], et Philoponus [4], opinati sunt logicam, prout in se, et a rebus seiuncta spectatur , non esse scientiam, aut artem, sed instrumentum utriusque, propterea quod singulae scientiae, et artes, illa, tanquam instrumento, utuntur; applicatam vero rebus esse scientiam , sed haud distinctam a scientiis rerum , quibus applicatur , si quidem quaelibet scientia non aliud est, quam logica alicui obiecto cognoscendo applicata. Latinis e contrario post Boëthium [5] visum est logicam , si priori modo spectetur , esse scientiam , quia in ipsa , uti mox dicemus, nihil eorum desideratur , quod notio scientiae expostulat , sin posteriori modo , esse instrumentum scientiae, quippe quod in singulis scientiis instrumenti munere ad rerum cognitionem capessendam fungitur. A Platone, Stagiritae praeceptore, et deinceps a Stoicis , uti ex iis, quae in *Introd. ad Philos.* diximus, perspicitur pro scientia in universum habita fuerat , quin ullum laudati discriminis rationem haberent , eorumque opinio , ut ibidem etiam innuimus , s. Augustino [6] , aliisque pri-

---

[1]) Cons. Hamilton, *Op. cit.*, *Log.* p. 207, n. 1.

[2]) *Comment. ad Anal. Prior.* fol. 2, Florentiae 1521.

[3]) *Op. cit.*, ibid. — [4]) *Op. cit.*, ibid.

[5]) *Comment. in Porphyrium a se translatum*, lib. I, p. 47, 48, Basileae 1546.

[6]) En pauca verba sancti Doctoris: « Quae (*pars rationalis qua « verum disterminatur a falso*) licet utrique, actioni, et contempla-

scis Ecclesiae Scriptoribus probata fuit. In media aetate B. Albertus M. [1], s. Thomas [2], Scotus [3], et cum his plerique Philosophi in latinorum Interpretum Stagiritae sententiam concesserunt, atque hanc esse germanam Aristotelis sententiam contenderunt. Recentes, cum logicam a rebus, ad quarum cognitionem assequendam in singulis scientiis adhibetur, avulsam considerassent, unicam hanc quaestionem instituerunt, utrum logica ars, an scientia sit. Eorum aliis, uti praeter ceteros Leibnitio [4], Wolfio [5], et Kantio [6], visum est esse scientiam, quia ipsa naturam, et modum demonstrationis ex principiis ipsius demonstrationis investigat; aliis vero, uti post P. Ramum [7], eiusque sectatores labente saec. XVI [8], plerisque Cartesianis, et Eclecticis saec. XVII, et XVIII, quorum agmen Auctor *artis cogitandi* duxit, esse artem, utpote quae in quibusdam regulis tradendis versatur; aliis denique, in quorum censum Buffierius [9], Rich. Kirwan [10], Wathelyus [11], Georg. Benthamus [12] aliique nuperi Angli veniunt, esse artem, et scientiam, quippe quod non solum regulas ad verum assequendum opportunas investigat, sed etiam modum, quo illis utendum sit, tradit.

Nobis has discrepantes Philosophorum opiniones ani-

« tioni, sit necessaria, maxime tamen contemplatio perspectionem « sibi vindicat veritatis »; *De Civ. Dei*, lib. VIII, c. 4.

[1]) *De Praedicab.*, t. I, c. 1.

[2]) *In lib. IV Met.*, lect. 4.

[3]) *Super universalia Porphyrii*, q. III, n. 7.

[4]) *De styl. phil. Nizolii*, n. XXI, *Op. phil.* ed. Erdmann, p. 65, Berolini 1840.

[5]) *Log.* Discurs. praelim., c. 3, § 61, Francof. 1740.

[6]) *Critique de la raison pure*, trad. par Tissot, Prèf. Paris.

[7]) *Dialectique*, p. 1, Paris 1555.

[8]) De Ramo, eiusque discipulis legere licet Car. Waddington, *Ramus, sa vie, ses ècrits, et ses opinions*, Paris 1855.

[9]) *Cours des sciences, Logique*, p. 887, Paris 1732.

[10]) *Opp.* (angl.) vol. I, p. 1, Lond. 1807.

[11]) *Op.* cit. p. 1, et 56, ed. cit.

[12]) *Compendium novi systematis Logicae*, et *Examen criticum Elementorum Wathelyi*, p. 12, Londini 1827.

mo reputantibus logicam esse scientiam proprie sumtam, eamque a reliquis, quae in ipsa utuntur, seiunctam, sive esse quamdam peculiarem scientiam a ceteris distinctam indubium videtur. In primis, logica est scientia stricte sumta. Nam, si scientia ea est, et nuncupatur, quae ex principiis propriis subiecti affectiones, et naturam eius colligit, logica procul dubio scientia dicenda est, propterea quod ipsa ex principiis ratiocinationem constituentibus colligere studet, quomodo mens humana actiones suas cognoscendi ad inventionem veri dirigere debeat. Quapropter in logica tria occurrunt, quae, ut suo loco dicemus, ad scientiam constituendam expostulantur, eaque sunt subiectum, nempe ratiocinatio, accidentia subiecti, nempe affectiones ratiocinationis, et principia, per quae affectiones revera subiecto inhaerere patescit. Accedit his, quod si logica non esset scientia, nulla alia scientia existere posset, quippe quod logica illud in universum tradit, per quod quaelibet scientia speciatim, hoc est secundum modum rebus, circa quas versatur, consentaneum, constituitur. Enimvero quaelibet scientia ex eo constituitur, quod in peculiari genere rerum, circa quas versatur, e noto ad ignotum gradatim progreditur. Atqui logica modum universe tradit, per quem in cunctis scientiis a noto ad ignotum progredi licet. Ergo logica illud in universum tradit, per quod quaelibet scientia speciatim constituitur. « Ex quo, Albertus M. subdit, « . . . logica docet, qualiter ignotum fiat notum, pa- « tet quod in nulla philosophia aliquid notum fieri pot- « est, nisi per logicae doctrinae facultatem [1] ».

Praeterea, logica non est scientia, quae cum singulis scientiis specialibus confunditur, sed est ipsa per se scientia specialis, seu, ut Scholae aiebant, non est concreta rebus, circa quas singulae scientiae versantur, sed ab ipsis avulsa. Nam, quamvis omnes scientiae, quae circa res versantur, a notis ad ignota progrediantur; tamen

[1]) *Op. cit.*, ibid., c. 3.

investigatio ignoti per notum non est ipsa per se illarum obiectum. Atqui obiectum logicae est investigatio ignoti per notum ipsa per se; nam logica, uti diximus, in id intendit, ut modum progrediendi e noto ad ignotum tradat. Ergo obiectum logicae ab obiectis reliquarum scientiarum distinguitur. Ex quo argumento perspicitur obiectum logicae esse aliquid speciale, eo quod logica investigationem ignoti per notum, quae eius obiectum est, non prout in singulis scientiis occurrit, sed ipsam in se, seu, ut Scholastici aiebant, a rebus, circa quas singulae scientiae versantur, avulsam considerat. At vero, quandoquidem quaelibet scientia e noto ad ignotum progrediendo obiectum suum consequitur, liquet logicam, etsi sit scientia specialis, tamen communem reliquis scientiis quodammodo dici posse, quia reliquae scientiae logica utuntur. E re est rursus audire Albertum M. qui hanc rem luculenter definivit. « Quamvis, « scribit, scientiae sint multae, et quaelibet scientia ha- « beat modum, qui differt a modo alterius, sicut et « unaquaeque scientia differt ab altera; est tamen u- « nus communis modus scientiae per quoddam com- « mune, quod est in omni scientia. Et hoc est, quod « per investigationem rationis ex cognito devenitur ad « cognitionem incogniti; hoc enim fit in omni scientia « quocumque modo dicta, sive sit demonstrativa, sive « non demonstrativa. Et gratia illius communis est in « omni scientia modus unus communis omnis scien- « tiae. Et hic modus est per actum rationis, qui ratio- « cinatio, sive argumentatio est, de cognitione cogniti « procedens in scientiam eius, quod erat incognitum. « . . . Hic autem modus, quamvis communis sit per « hoc, quod in qualibet scientia, tamen secundum se « consideratus, et non immixtus scientiis, est quoddam « per se distinctum ab omnibus aliis. Et hoc modo « consideratus hic modus potest esse subiectum scien- « tiae, et scientia specialis de ipso est ». Et, paucis interiectis, concludit hoc modo: « Patet igitur, quod lo-

« gica una est specialium scientiarum, sicut fabrilis, in « qua specialis est ars fabricandi malleum: cuius tamen « usus omnibus adhibetur, quae arte fabrili fabricantur. « Investigatio enim, sive ratio investigans ignotum per « notum, speciale quoddam est, quod passiones habet, « et differentias, et partes, et principia: quae dum de ipso probantur, ars, et scientia efficitur specialis, cuius usus postea omnibus adhibetur scientiis. Sic igitur patet, quod logica generaliter dicta, scientia est specialis [1] ». Hinc scite Scotus hanc controversiam dirimens scripsit logicam posse tamquam scientiam communem considerari non eo sensu, quod subiectum eius ad subiecta reliquarum scientiarum pertinet, sed eo sensu, quod reliquae scientiae illa utuntur. « Potest igitur, subdit, intelligi communis, vel quia subiectum eius « est praedicabile de subiectis aliarum scientiarum; vel « quia eius subiectum cadit in usum omnium aliarum « scientiarum. Primo modo non est communis logica « per se, nisi forte per accidens. Si autem subiectum « eius sit applicabile omnibus aliis scientiis, secundo « modo logica est communis, quia omnes scientiae u« tuntur syllogismo [2] ».

Vt luculentius intelligas logicam non confundi cum reliquis scientiis, sed esse specialem scientiam, advertito logicam non esse instrumentum proprium, et proximum, sed commune, et remotum scientiarum. Ipsa enim non conficit syllogismos, quorum ope quaelibet scientia circa propriam materiam e noto ad ignotum progreditur, sed dumtaxat modum illos conficiendi tradit. At, si logica non esset scientia distincta a reliquis scientiis, sed his immixta, ipsa proximum, et proprium instrumentum omnium scientiarum foret, quia syllogismos, per quos singulae scientiae progrediuntur, conficere deberet. Rursus igitur liquet logicam, quamvis sit instrumentum scientiarum, tamen ipsam quoque esse

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., c. 1. — [2]) *Op. cit.*, q. II, n. 2.

specialem scientiam, et potius scientiam instrumentorum sciendi, quam instrumentum scientiarum esse dicendam.

Denique vehementer ii recentes Philosophi falluntur, qui docent logicam in se spectatam esse scientiam, et artem, prout ipsa diversis modis consideratur. Id ex iis, quae de scientiae, et artis differentiis alias disseremus, luculenter patescet; si quidem notiones scientiae, et artis adeo abs se dissociatae sunt, ut quae scientia est, simul esse artem omnino repugnet. In praesentia satis sit duo innuisse, quae notionem artis cum notione logicae pugnare demonstrant. Primo, materia, in qua artes versantur, est contingens, quia opera artis humanae esse, aut non esse possunt [1]; materia logicae autem est necessaria, quia, uti videbimus, leges, secundum quas actiones cognitrices mentis humanae fiunt, cum naturam intellectus consequantur, naturales, proindeque necessariae sunt. Secundo, artes, cum ad exteriora opera perficienda destinentur, actiones hominis, quarum termini extra ipsum sunt, dirigunt; verum, logica ad actiones animae dirigendas spectat, quarum termini in ipsa anima sunt, quia cognoscere est perfectio interior mentis humanae. Illud tacendum non est, logicam, quemadmodum s. Thomas monuit, ad artem quodammodo accedere, quippe quod, cum ipsa modos conficiendi enunciationem, syllogismum, aliasque, quae ab his oriuntur, et pendent, cogitationis formas, secus ac ceterae scientiae, tradat, quodammodo circa opus versatur [2].

---

[1]) « Ea, quae fiunt per artem humanam, sunt contingentia esse, « et non esse; quod patet ex hoc, quod, quando fiunt, incipiunt « esse de novo »; *In lib. VI Ethic.*, lect. 3.

[2]) En locum, in quo sanctus Doctor logicae addidit mathematicam: « Ideo hae inter ceteras scientias artes dicuntur, quia non « solum habent cognitionem, sed opus aliquid, quod est imme« diate ipsius rationis, ut constructionem, syllogismum, et o« rationem formare, numerare, mensurare . . . Aliae vero scien« tiae vel non habent opus, sed cognitionem tantum, sicut scientia « divina, et naturalis; unde nomen artis habere non possunt. . .

Ex iis, quae hactenus statuimus, in promptu est dirimere alteram litem inter veteres, recentesque Philosophos agitatam, utrum logica pars philosophiae, an manuductio, seu apparatus ad philosophiam sit. Cum veteres nomine Philosophiae cunctas scientias significarent, illa quaestio huc redit, utrum logica sit aliqua scientia specialis, an manuductio, seu introductio ad ceteras scientias. Inter Graecos, teste Ammonio filio Hermiae [1], Stoici aiebant esse partem; Peripatetici autem instrumentum, ὀργανὸν [2]; Plato in *Phaedro* partem, in *Parmenide* instrumentum dixit [3]. E Scholasticis ii, qui negabant logicam esse scientiam, illam non esse partem, sed introductionem, ἀγώγην, ad philosophiam contendebant; ii vero, qui logicam esse scientiam existimabant, cum s. Augustino [4] ipsam esse partem philosophiae, eamque rationalem aiebant. Inter recentes autem, quibus philosophia specialis quaedam scientia est, nonnulli putant logicam esse organum, et introductionem ad omnes scientias. Hos Kantius secutus scripsit, logicam, utpote quae propedeutica est, vestibulum esse scientiarum [5]. Secundum plerosque autem pars philosophiae est. Herbartius, qui magnum sibi nomen in Germania comparavit, sensit logicam esse partem potiorem philosophiae, simulque « necessarium apparatum ad « omnes scientias, hasque iure culpari, quotiescumque « in vitia logicae, quae vitari possunt, incurrant [6] ».

« vel habent opus corporale, sicut Medicina; unde non possunt « dici artes liberales, quia huiusmodi actus sunt hominis ex parte « illa, qua non est liber, scilicet ex parte corporis »; *Super Boëthium, de Trinitate.*, lect. II, q. 1, a. 1 ad 3.

[1]) *Comm.* in *Arist. Categ.* fol. 1, Venetiis 1545; Cf Alex. Aphrodis. *ad Prior. anal.* fol. 2; Philop. *ibid.* fol. 4.

[2]) Aristoteles id non obscure innuit *Top.*, lib. I, c. 13; VIII, 14; *De Anim.*, lib. III, 8; *Probl.* lib. XXX, q. 5.

[3]) Vid. de hac re *Scholia in Arist.* apud Brandis ex Cod. reg. Parisiensi 2061, ad calc. *Opp.* Arist. vol. IV, Berolini 1836.

[4]) *De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 4.

[5]) *Op. cit.*, Pref. vol. I, p. 3, Paris 1835.

[6]) *Institutiones introductionis ad philosophiam* (germ.), p. 194, Conisbergae 1837.

Nos, quandoquidem logicam esse scientiam specialem, simulque instrumentum reliquarum scientiarum tuiti sumus, illud quoque tuemur, ipsam esse partem philosophiae, sive hoc nomine complexum omnium scientiarum, uti ab antiquae, et mediae aetatis Philosophis, sive peculiarem scientiam, uti a recentibus factitatum est, intelligas. Si nomine philosophiae cunctas scientias complexus fueris, necesse est, ut logicam esse partem philosophiae fatearis, quia logica et ipsa, uti ostendimus, quaedam scientia est. Praeter hoc generale argumentum alia duo nobis Albertus M. suppeditavit ex natura ipsius logicae petita. Primum ita se habet: Philosophia universe considerata ad id spectat, ut omnium entium, quocumque modo haec considerentur, veritatem assequatur. « Hanc, inquit, opinionem (*quae logicam esse partem philosophiae negat*) alii quidem impugnantes dicunt philosophiae generalis esse intentionem omnem omnium quocumque modo entium comprehendere veritatem, quantum homini possibile est, comprehendere eam secundum rationem, et intellectum [1] ». Atqui logica versatur circa ea, quae animo praesto sunt, ut a notis ad ignota progredi valeat. Ergo obiectum logicae obiecto philosophiae, tamquam pars toto, continetur: quocirca illa huius pars est. « Similiter igitur, ait, alicuius philosophiae erit intentio comprehendere veritatem eius, quod in nobis est, secundum rationem, qua nititur comprehendere veritatem eius, quod rationis ductu via est in omnem cognitionem omnium eorum, quorum cognitio fit in nobis per ea, quae cognita sunt apud nos, ex quibus nos proficiscimur ad scientiam incognitorum. Erit igitur de intentione philosophiae etiam logica scientia, quae est rationalis [2] ». Alterum argumentum ex eo Albertus M. petivit, quod si nullus in ulla philosophiae parte sine logica progredi potest, ipsa logica philosophiae ambitu contineatur ne-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. — [2]) *Ibid.*

esse est. « Adhuc autem, inquit, si aliquid est de in-
« tentione philosophiae, tunc hoc maxime de intentione
« philosophiae erit, sine quo nullus in philosophia in
« aliquam devenire potest cognitionem. Ignorans autem
« logicam nullus ignoti perfectam adquirere potest co-
« gnitionem: eo quod ignorat modum, per quem deve-
« nire oportet de noto ad ignoti notitiam. Videtur ergo
« logicam praecipue esse de intentione philosophiae [1] ».
Sin voce philosophiae specialem scientiam, quam dixi-
mus, designaveris, logica etiam pars eius est; si qui-
dem ea, de quibus tractat, specialis huius scientiae ob-
iecto contineri ex iis, quae cum in *Introd. ad Philos.*
tum paulo ante diximus, luculenter patescit.

Quandoquidem autem logica simul est specialis scien-
tia, et instrumentum reliquarum scientiarum, consequi-
tur ipsam esse simul partem philosophiae, et instrumen-
tum reliquarum partium eius, vel, si vocem philoso-
phiae strictiori sensu cum recentibus acceperis, esse par-
tem illius specialis scientiae, quae philosophia nuncu-
patur, et ad ceteras partes eius, nec non ad cunctas
scientias necessariam introductionem.

At, si certum est logicam esse quamdam partem phi-
losophiae, ab errore Herbartii cavendum est, qui illam
potiorem huius partem esse contendit. Nam, cum logi-
ca non propter se ipsam, sed ad reliquarum scientia-
rum commodum, uti ex dictis patet, excolatur, princi-
palis pars philosophiae dici nequit, quia finis dignitate
antecellit rei, cuius est finis. Audire praestat s. Thomam,
qui opinionem Herbartii iam confutaverat. « Dicendum,
« sanctus Doctor ait, quod scientiae speculativae, ut pa-
« tet in principio *Metaph.*, sunt de illis, quorum cogni-
« tio quaeritur propter seipsa. Res autem, de quibus est
« Logica, non quaeruntur ad cognoscendum propter se-
« ipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias.
« Et ideo Logica non continetur sub Philosophia spe-

[1] *Op. cit.*, ibid., p. 48.

« culativa, quasi principalis pars, sed quasi quiddam « reductum ad eam, prout ministrat speculationi sua « instrumenta, scilicet syllogismos, et diffinitiones, et « alia huiusmodi, quibus in speculativis scientiis indi- « gemus. Vnde et secundum Boethium in Comment. « super Porphyrium non tam est scientia, quam scien- « tiae instrumentum [1] ».

Si omnia, quae de natura, et obiecto logices hactenus dicta sunt, animo recolueris, nullo negotio intelliges logicam proprie definiendam esse, uti a Galluppio, aliisque paucis recentibus post s. Augustinum, et Albertum M. reapse definita fuit, *scientia ratiocinationis*, quippe quod ratiocinatio in universum spectata proprium obiectum eius est. At vero, quandoquidem ratiocinatio, uti ante observavimus, plane cognosci non potest, nisi notio, et iudicium, quae eius elementa sunt, quoque cognoscantur, sequitur logicam definiri etiam posse secundum s. Thomam, et non paucos recentes, *scientiam, quae actiones cognitrices animae ad veri adeptionem dirigit*. Denique, si officium, quo ipsa erga alias scientias fungitur, consideretur, potest etiam dici, quemadmodum ab Aristotele interdum dicta fuit, *modus sciendi* τρὸπος τῆς ἐπιστήμης [2], seu *instrumentum omnium scientiarum*, vel *introductio ad scientias*.

Logicae notione perspecta, necesse est, ut fontes, ex quibus ipsa petenda est, exploremus. Ad hanc rem definiendam liceat nobis logicae historiam quam brevissime persequi.

Logicam a Zenone profectam, a Megaricis ex parte excultam, pulcris praeceptis a Platone ditatam Aristoteles adeo excoluit, ut ab omnibus logicae auctor nullo non tempore habitus fuerit. Revera, ea, quae Zeno reliquit, pauca sunt [3]. A Megaricis pars logicae

---

[1]) *Super Boethium, de Trinit.*, lect. II, q. 1, a. 1 ad 2.

[2]) *Met.*, lib. I min. c. 3, ed. cit.

[3]) « Inventorem dialecticae (*Zenonem*). . . fuisse Aristoteles au-

contentiosa, ἐριστική, nimirum quae ad refellendum pertinet, exculta sit; unde Euclides Megareus, qui sectae megaricae nomen dedit, eiusque discipuli, ἐριστικοί, *contentiosi*, appellati fuere [1]. Plato autem non pauca, eaque magni momenti in suis *Dialogis* tradidit; sed ea semper quibusdam metaphysicis, physicis, ethicis disserendis accommodavit, numquam per se explicuit, singillatimque indicavit, neque ad scientiam composuit [2]. Aristoteles autem iis, quae ab eis excepit, quamplurima adiecit, omniaque ad scientiae normam digessit. Qui circa logicam exarati ab eo sunt libri, omnes sub unico *Organi* nomine [3] circum-

---

ctor est »; Laert., lib. IX, segm. 25; cf ipsum Laertium, *Prooem.*, segm. 18, et Sext. Emp., *Advers. Logicos*, lib. VII, sect. 7. De Zenone videsis Cousin, *Fragments de phil. ancien.*, *Oeuvr.* vol. II, p. 299 sqq, Bruxelles 1841.

[1]) Laert., lib. II, segm. 106-120. De Megaricis digni sunt, qui legantur Deychs, *De Megaricorum doctrina* etc., Bonnae 1827, et Mallet, *Histoire de l' école de Mégare, et des écoles d' Elis, et d' Erètrie*, Paris 1845.

[2]) Platonis merita in logicam exposuit, et fortasse exaggeravit Tennemannus, *Hist. phil.* (germ.), t. II, p. 176 sqq, Lipsiae 1799.

[3]) Quis omnium primus libros logicos Aristotelis sub *Organi* nomine evulgaverit, inter eruditos non convenit. Philippus Melanchthonus in sua *Dialectica* (lib. I, p. 3, Argentorati 1545) ipsum Stagiritam illius inscriptionis auctorem fecit, et ob magnam, quam apud Pseudoreformatos habuit auctoritatem, multos in suam sententiam pertraxit. Nuper Biese ad id evincendum duo ex Aristotele loca attulit; unum ex lib. XXX Probl. q. 5, ubi dixit scientias esse *instrumentum intellectus*, alterum ex libro III *de Anim.*, c. 8, in quo manum *instrumentum instrumentorum* nuncupavit (*Exposit. phil. Arist.* (germ.), vol. I, p. 45, Berol. 1835). Verum, ex his, aliisque eiusmodi locis, quae afferri possent, puta *Topic.* lib. I, c. 13, et lib. VIII, c. 14, monentibus Neldelio (*De usu organi Arist.*, part. I, c. 1, Helmestadii 1666), et Gher. Vossio (*Op. cit.*, c. 6, § 4), non aliud elici potest, quam quod inscriptio *Organi* ex aristotelicae doctrinae fontibus deducta est. Hanc inscriptionem autem ab aliquo antiquo interprete, aut collectore librorum Aristotelis repetendam esse communis nuperorum Eruditorum opinio est; seu quisnam hic fuerit, plerique ignorare fatentur. At, quandoquidem nomen *Organi* apud vetustiores interpretes graecos Aristotelis non occurrit, et ad interpretibus exeuntis V, et ineuntis VI saec., qui opera aristo-

feruntur. Iamvero in his Stagirita omnia ad constructionem syllogismi demonstrativi, hoc est demonstrationis, declarandam revocavit, propterea quod hic syllogismus dumtaxat scientiam progignit. Vt id assequeretur, in eo formam, et materiam spectavit. Quod attinet ad formam, syllogismum in elementa, ex quibus constat, dissolvens, ea primum in seipsis expendit, deinde quomodo ex illis syllogismus conficiatur, exposuit. Quod attinet ad materiam, syllogismum, secundum id, quod ante diximus, in sophisticum, dialecticum et apodicticum divisit; verum duos priores nonnisi veluti vias ad tertium ducentes consideravit, propterea quod sophisticus ad cavendos errores, qui in demonstrationem irrepere possunt, spectat, dialecticus vero circa probabile, per quod ad certum pervenitur, versatur [1]. Ex quibus perspicis universam logicam Aristotelis in eo versari, ut modum sciendi tradat, sive ut instrumenta explicet, quibus in unaquaque re verum capessere, tradere, tuerique licet.

Ab Aristotele ad recentem aetatem fere nihil novi occurrit. Namque Epicurus, cum logicam supervacaneam, καρέλκουσαν, existimasset, ipsam ad paucas, et breves regulas κανὸνας coëgit: unde *canonica*, κανονικὸν, ab eo dicta fuit [2].

---

telea ad aliquem ordinem revocare studuerunt, vulgo adhibitum fuit, probabilis est opinio Rubi (Leroux, *Arist. Organon* interp. I. Rubo Hannonio, Praef., 1564), quam Micheletus amplexus esse videtur (*Examen critiq. de la Mètaphys. d' Arist.*, p. 17, Paris 1836), auctorem vocis Organi fuisse Andronicum Rhodium, qui primus omnium libros Aristotelis in ordinem digessit, et evulgavit. Vid. hac de re Saint-Hilaire, *De la log. d' Arist.*, part. I, c. 2, vol. II, p. 15 sqq, Paris 1838.

[1]) Haec, quae in his Institutionibus logicae fuse explicabimus, breviter, luculenterque exposita legere licet apud Ad. Franck in suo opere, *Histoire de la logique*, Paris 1838.

[2]) Laert., lib. X, segm. 30, et 31. Audiatur s. Augustinus: « Epicurei, quos imperitia liberalium disciplinarum non solum « non pudebat, verum etiam delectabat, quasdam disputandi re« gulas, se tenere et docere iactabant »; *Cont. Cresc.*, lib. I, c. 13, n. 16. De logica Epicuri prae ceteris videatur Gassendi, *De origine, et varietate logicae*, c. 7, p. 46-49 *Opp.* vol. I, Florentiae 1727.

A Stoicis, auctore Zenone Cittieio, pars dialectica potissimum exculta, et copiose tractata fuit, ut solus Chrysippus, teste Laertio, CCCXI volumina logica scripserit[1]. Apud Neoplatonicos praecepta logicae cum quaestionibus metaphysicae permixta occurrunt, nec quidquam prae se ferunt, quod dignum notatu sit. Prisci Scriptores Christiani, licet nulli sectae Philosophorum addicti, in re logica a Stagiritae vestigiis minime recesserunt. Enimvero logica aristotelea vel data opera compendiose ab eis exposita fuit, uti praesertim apud Clem. Alex.[2], s. Ioan. Damasc.[3], et Isidorum Hispalensem[4] videre est, vel, prout occasio eis se tulit, eius praecepta usurpata, et defensa, quemadmodum praeter multos s. Augustinus factitavit. Arabes denique, et Scholastici Stagiritam religiose secuti sunt, licet eius de logica libros, uti passim videbimus, varie explicarent. Itaque « per quindecim, ut nuper Mussmannus scripsit, « circiter saecula, post conclusam antiquorum philoso- « phorum scientiam omnes fere, qui cum philosophiae, « tum logicae opera exarabant, Aristotelis organum tam- « quam firmum et constans logicae exemplum agnovere, « quod cum ipsi superare vel emendare desperarent, in « suum et proprium vertere, caeteris scientiis applicare, « aliisque tradere conabantur[5] ». Quin immo in ipsis

---

[1]) Laert. lib. VII, segm. 198. Breviter s. Augustinus scripsit: « Nosti quam maxime apud Stoicos viguisse dialecticam »; *Op. cit.*, ibid. Praeter Adamum Bursium (*Dialectice Ciceronis stoica*, Zamosci 1604) legendi sunt Gassendius (*Op. cit.*, c. VI, p. 43-46) et Stanleius (*Hist. phil.*, Doct. Stoic. part. I, c. 1-33, Lipsiae 1701, p. 554-590), necnon inter nuperos Kuehnerus (*De Ciceronis in philosophiam meritis*, Amburgi 1825) et prae reliquis Petersen, *Philosophiae Chrysyppeae fundamenta*, Hamburgi 1827.

[2]) Vid. *Stromata* passim, et praesertim fragmentum libri VIII.

[3]) *Dialectica*, inter eius *Opera* ed. Lequien, t. I, p. 4 sqq, Parisiis 1712.

[4]) *Ethimologiarum* lib. II, c. 9 sqq, *Opp.*, ed. Arevalus, p. 82 sqq, Romae 1798.

[5]) *De logicae ac dialecticae notione historica*, part. I, p. 14, Berolini 1828.

Protestantium Vniversitatibus, uti erudite Herm. ab Eschlevig ostendit, logica Aristotelis secundum compendium, quod Philip. Melanchthonus exaravit [1], usque ad Leibnitii aetatem obtinuit.

At, postquam Cartesius, et Baco, ducibus Nizolio, Vivesio, Valla, Patritio, aliisque philosophis saec. XV et XVI philosophiae Aristotelico-Scholasticae acre bellum indixerunt, logica a Stagiritae vestigiis discedere coepit. Nam Baco, reiecto syllogismo, unam inductionem, quae naturae observatione nititur, esse instrumentum scientiae dixit, atque in regulis ad naturae observationem opportunis tradendis totus fuit. Cartesius ratus est se non posse germanas cogitandi leges nancisci, nisi, anteceptis animi opinionibus in dubium revocatis, quid animi nostri vires ad verum capessendum valeant, exploraret [2]. Inde factum est, quemadmodum ante innuimus, ut multa, quae ad dynamilogiam, ad criteriologiam, et ad idealogiam pertinent, logicam pedetentim ingrederentur; id quod, ne multos commemoremus, apud Spinozam [3], Malebranchium [4], et Lockium [5] videre licet. Logicae fines longius, quam Cartesius, dilatavit Emm. Kantius. Hic enim leges formales cogitationis, ad quas solas obiectum logicae revocavit, nonnisi e rationis critica patescere arbitratus, praeter problemata de facultatibus animae, de criterio veri, et de origine idearum, etiam quaestiones de natura animi humani, de mundo et de Deo intra pomeria logicae conclusit. Revera Kantius in Praef. ad suam *Criticen rationis purae*, in qua de cunctis hisce rebus quaesivit, se non aliud, quam lo-

---

[1]) *De varia Aristotelis in Scholis Protestantium fortuna*, Vitembergae 1720.

[2]) Videsis eius *Opera phil.*, quae nuper a Garnierio edita fuisse diximus, et praecipue *De Methodo*, *Principia phil.*, et *Meditationes*.

[3]) Cons. *Ethicam*, et *De emendatione intellectus*, *Opp.* ed. Paulus vol. II, Ienae 1803.

[4]) *De inquirenda veritate*, Genevae 1753. — [5]) *Op. cit.*

gicam, tradere professus est [1]. Kantii viam ingressus Heghelius eo usque pervenit, ut non modo universam encyclopaediam in logicam introduceret, sed etiam scientiam rerum cum scientia cogitationis eamdem esse contenderet. Ipse enim, cum persuasum haberet ideam, et ens sive ideale, et reale, esse unum, idemque, et quidquid existit, esse Ideae-Entis evolutionem, et quasi propaginem, statuit leges cogitationis non esse aliud, nisi leges, secundum quas res ab Idea, sive Ente derivantur. Ex quo confecit scientias rerum non distingui ab ipsis rebus, proindeque modum, quo scientia rerum comparatur, esse ipsissimum modum, quo ipsae res gignuntur[2].

Ex hoc perbrevi historiae logices specimine facile perspicitur quatuor esse fontes, ex quibus celebriores recentium Philosophorum scholae logicam petendam esse putarunt. Revera, Cartesius censuit fontem logices esse observationem propriae cogitationis, si quidem paucas, quas exposuit logicae regulas a clara, et distincta perceptione rei derivavit. Leibnitius autem principia Cartesii evolvens logicam in abstractis enunciatis contradictionis, et rationis sufficientis fundavit, eiusque doctrinam fuse Wolfius exposuit. Hinc conficitur Cartesium viam logicae *idealisticae* stravisse, quam Leibnitius manifeste tradidit, cum hic logicam e pura ratione deduxerit. Contra ea, Baco non rationem puram, sed unam contemplationem naturae esse fontem logicae autumavit; unde *logicae realisticae* fundamenta iecit. Re sane vera eius *Novum Organum* non aliud complectitur, nisi seriem quamdam regularum, quas ipse, natura inspecta, et diversis experimentis institutis, collegit et exposuit, quin ullo modo illarum cum humanae mentis actionibus con-

---

[1]) Hoc ipse manifeste exposuit in Praef. ad suam *Criticen rationis purae*: *Critiq. de la raison pure*, trad. Tissot, Prèf. p. 2, Paris 1835.

[2]) Vid. *Encyclopaediam* (germ.) et alia eius opera, quae passim citabimus.

nexionem comprobaret. Verum Kantius, Cartesii, et Leibnitii principia exaggerans, neque ab analysi cogitationis, neque a naturae contemplatione, sed a *critica*, nempe ab examine facultatum cognoscendi, logicam derivavit; si quidem ratus est mentem humanam nonnisi ex hocce examine posse cognoscere diversos modos, quibus in unaquaque re verum scite assequi valet. Quamobrem logicam suam *criticam*, et *transcendentalem* dixit, eo quod illam in *critice* facultatum posuit, in eaque instituenda omnem experientiam cum internam, tum externam *transcendit*. Heghelius vero, eo quod docuit logicam esse demonstrationem, nempe rationalem expositionem evolutionis Entis, sive Ideae, sive Absoluti, non alium fontem logicae statuere potuit, nisi *conscientiam* sui, quam Absolutum in spiritu humano adquirit. Hinc logica hegheliana *absoluta* dicta est, utpote quae in evolutione Absoluti, seu Ideae, consistit.

Iamvero, in promptu est intelligere quatuor hosce logicae fontes, quos recentes Philosophi indigitarunt, falsos esse, ob idque absurdas etiam esse quatuor formas, quas logica in recenti aetate prae se tulit, sive dicere malis, quatuor methodos, quas logica sectata est. Et sane, logica, uti diximus, neque actiones mentis, tamquam res considerat, neque res, ad quas actiones mentis referuntur, in seipsis spectat; sed actiones mentis, prout hae sunt instrumenta scientiam rerum acquirendi, et res, prout ad vires sciendi animae referuntur, expendit. Quocirca nec analysis ratiocinationis seiuncta a contemplatione naturae, nec contemplatio naturae seiuncta ab analysi ratiocinationis pro huius scientiae fonte sumenda est; si quidem sola analysi ratiocinationis actiones non cognoscuntur, prout ad res, ad quarum cognitionem spectant, referuntur, et sola contemplatione naturae res in seipsis, non vero, prout ad actiones cognitrices animae spectant, cognoscuntur. Quam absurdum sit alterutrum fontem ab altero seiunctum in logica conficienda sectari, historia recentis philosophiae luculenter

patefacit; hac enim, ut hoc in opere patebit, edocemur ex logica Cartesii ortum esse idealismum, qui ullam naturam sensilem esse negat, ex logica Baconis sensismum, qui omnem cognitionem intellectilem tollit, atque ex logica Kantii scepticismum, quo nihil certi de animi humani, et mundi natura, nihilque de existentia Dei statui posse asseritur. De Heghelio nihil est, quod dicamus, quia eius logica pantheismo innititur, nempe illo philosophiae systemate, quo statuitur nihil, praeter Absolutum, sive Deum, esse, et quidquid est, quamdam formam esse, sub qua Absolutum se evolvit.

Quamobrem nos, recentium de logices fontibus placitis reiectis, in Scholasticorum sententiam concedimus, qui, duce Aristotele, in logica construenda, criticen actionum mentis humanae cum naturae contemplatione, et cum analysi sermonis coniunxerunt. Enimvero Stagirita, quemadmodum Trendelenburgius [1], Kuhnius [2], Rossewovius [3], Saint-Hilaireus [4], Franckius [5] et Gastmannus [6] eum interpretati sunt, logicas doctrinas e duplici fonte, uno interno, altero externo, derivavit. Internus est examen ratiocinationis spectatae cum in se, tum in elementis, ex quibus ipsa conflatur; externus autem sunt natura ipsa rerum, et sermo. Iamvero, hos esse veros, germanosque fontes logices aristoteleae, neque alios, quam ipsos, admittendos esse tota logicae nostrae Institutio patefaciet. Nihilominus iuvabit in hoc ipso logicae vestibulo breviter demonstrare, quomodo res ita vere se habeat, uti Stagiritae visum fuit. Quod ad primum fontem per-

---

[1]) *Elementa logices Aristoteleae*, § 3, p. 54 et 55, et § 63, p. 143, not. 1, Berolini 1852.

[2]) *De notionis definitione, qualem Aristoteles constituerit*, Introd. p. 1-3, Halis 1844.

[3]) *Aristotelis de notionis definitione doctrina*, part. 2, col. 1, p. 47-49, Berolini 1843.

[4]) *Logiq. d' Arist.*, trad. Prèf. p. XXX sqq, Paris 1844.

[5]) *Hist. de la logiq.*, p. 84-86, ed. cit.

[6]) *De methodo philosophandi aristotelica*, c. 2, p. 59, et 60, Groningae 1845.

tinet, res per se manifesta est, quia anima modum, quo actiones suas ad investigationem veri dirigere debet, cognoscere non potest, nisi examen ipsarum actionum instituat. Quod vero ad externum spectat, in primis illud advertendum est, quod alias fuse exponemus, scilicet maximam esse necessitudinem inter res, conceptiones, et voces, quia nos voces ad res significandas adhibemus, et res nominamus, sicut illas intelligimus. Ex quo patet cogitationem esse imaginem rerum, et sermonem imaginem cogitationis, adeo ut cogitatio inter res, ex quarum circumspectione mens illam efformat, et voces, per quas significatur, locum teneat. Iam, quoniam cogitatio est imago rerum, perspicuum est mentem humanam non posse ordinem, quo cogitationes continentur, legesque, quibus reguntur, perspicere sine aliqua saltem imperfecta rerum notitia, proindeque Logico in investigationibus suis naturas rerum prae oculis habendas esse. Neque inde sequitur metaphysicam, quae de summis principiis rerum tractat, logicae praemittendam esse, atque idcirco sine ulla logicae notitia perfici posse. Nam Logico suppetere non debent perfectae, et exquisitae conceptiones rerum, quales exquisita, et studiosa naturae contemplatione comparantur, sed sufficiunt rudes, et imperfectae, quales cuilibet naturam vel leviter observanti patescunt. Quamobrem notitia rerum, qua Logico opus est, ea non est, quae in metaphysica non sine logicae subsidio traditur.

Clarior de sermone res est Nam, quandoquidem nos, uti modo dictum est, ita res nominamus, ut illas intelligimus, structura sermonis ordinem, et leges intelligentiae humanae prae se ferre debet. At, si haec convenientia existit sermonis cum intelligentia, liquet analysin sermonis maximo adiumento esse menti oportere, ut leges cogitationum suarum, et ordinem, quo ipsae continentur, detegat, sciteque cognoscat. Id certe negari non potest, sive sermo a Deo homini revelatus, sive ab ipsis hominibus inventus fuisse dicatur. Non e-

quidem, si homini divinitus datum dixeris. Etenim, cum sermo ad cogitationes mentis manifestandas destinetur, Deus non alium sermonem hominibus dare potuit, quam qui cogitationes mentis adamussim manifestare valet. Nec, si ab hominibus inventum contenderis. Nam linguae, quae penes diversas gentes vigent, vel viguere, etsi ob quaedam accidentia varient, tamen in elementis, quae earum essentiam constituunt, et in ordine, quo eae continentur, mirifice consentiunt; adeo ut ipsas, quotquot sunt, specie vel diversissimas esse unius primaevae linguae variationes fere omnium nuperrimorum Philologorum sententia sit [1]. Iam, ex eo quod omnes linguae in elementis, quae essentiam sermonis constituunt, mirifice consentiunt, tuto colligi potest sermonem esse perfectam imaginem, seu manifestationem cogitationis, etiamsi ab hominibus inventus dicatur; si quidem sermo, qui cogitationem adamussim non manifestat, falsus est, et error, uti suo loco ostendemus, in totum genus humanum cadere nequit.

At enim, cum significatio cogitationis cognitionem cogitationis expostulet, logica, quae ordinem cogitationis inquirit, grammaticae, quae illum ordinem significat, praecedere debet; tantum abest, ut illius subsidio confici queat. Verum inscite. Nam, cum homines sine ullo studio sermonem addiscerent, eoque uterentur, effectum est, ut ipsi prius grammaticam naturali rationis usu sibi conficerent, deinde ex accurata analysi grammaticae ad scientiam eiusdem rationis, qua grammaticam sibi confecerunt, nempe logicam, instruendam adiuvarentur. Praestat in re tanti momenti s. Augustinum audire: « Illa igitur ratio, perfecta, dispositaque grammatica, « admonita est quaerere, et attendere hanc ipsam vim, « qua peperit artem: nam eam definiendo, distribuendo, colligendo, non solum digesserat, atque ordinave-

[1] Cf hac de re Wiseman, *Conferenze su la connessione delle scienze con la Religione rivelata*, Conf. 2, vol. I, p. 55 sqq, Napoli 1841.

« rat, verum ab omni etiam falsitatis irreptione defen-
« derat [1] ».

Ex his facile intelligis 1° Aristotelem iure, meritoque in suis libris logicis analysi sermonis adeo institisse, ut interdum non actuum rationis, sed sermonis scientiam tradidisse videretur, illosque libros non circa notiones, sed circa voces versari nonnulli cum antiquae, tum mediae aetatis Interpretes perperam existimarent; 2° scientiam, seu introductionem ad scientiam, de qua agimus, a Stoicis *logicam* scitissime nuncupatam fuisse, quippe quod vox λογὸς, *sermo*, a qua *logicae* nomen derivatum ab eis fuit, sive pro *verbo interiori*, nempe *mentis*, λὸγος ἐνδίαθετος, sive pro *verbo exteriori*, sive *vocis*, λὸγος προφορικός, intelligatur, illius scientiae naturam perbelle significat [2].

Ex his, quae de fontibus scientiae logicae hactenus disseruimus, patescit hos fontes esse tres, nimirum examen actionum mentis humanae, prout hae sunt instrumenta sciendi, observationem naturae, et analysim sermonis. At vero, sedulo animadvertendum hic est trium illorum fontium primum, nempe examen actionum mentis, esse praecipuum, et proprium, aliaque duo esse illius veluti instrumenta, et praesidia; si quidem, cum scientia cuiuslibet rei ex principiis, quae ipsam rem constituunt, efficiatur, logica, quae circa actiones rationis humanae versatur, non ex aliis principiis, quam quae ipsarum actionum natura nobis suppeditat, constitui potest. Exscribere hic lubet pauca verba eruditissi-

---

[1]) *De ordine*, lib. II, c. 13, n. 38.

[2]) Aristoteles in *Analyt. post.*, lib. I, c. 8, distinctionem sermonis innuit in *exteriorem*, τὸν ἔξω λογὸν, et in *interiorem*, τὸν ἐν τῃ ψυχῃ, vel τὸν ἔσω. Verum nomen *logicae* neque a Platone, neque ab Aristotele ad universam scientiam ratiocinationis designandam, quemadmodum a recentibus post Stoicos appellitatur, adhibitum fuit. Aristoteles nomine logicae plerumque designavit *dialecticam*, nempe illam partem *Organi*, quae de syllogismo probabili tractat. Hinc λογικῶς, et διαλεκτικῶς in eius libris saepe idem, ac δοξαστῶς, *probabiliter*, valent. Erudite de hac re Rassowius disseruit, *Op. cit.*, part. I, c. 2, p. 19, not. 1.

mi Vossii, qui controversiam, num logica circa conceptus, an circa res versetur, expendens, illud sancivit: « Certe « de οὐσία (*essentia*) logicae est ratiocinari : et non utitur « necessario oratione, verum κατὰ συμβεβηκός, quia ratiocinamur saepe nobiscum cum nullo verba facientes [1] ».

Quod cum ita se habeat , visum est nobis logicam intra terminos ab Aristotele statutos cogere, neque alios in ea tractanda, quam quos ipse indigitavit, fontes sectari. Nisi quod ea resecanda curabimus, quae vel ad logicae intelligentiam omnino necessaria non sunt, vel, uti non pauca ad dialecticen spectantia, in nostrae aetatis mores haud quadrant [2] , et potiora eorum adiiciemus , quae ab Arabibus , et Scholasticis ad Organi explanationem observata sunt. Ne quis vero nobis tamquam recentis sapientiae contemptoribus succenseat , sciendum est non paucos esse inter hodiernos Philosophos, qui logicae studium ad libros Aristotelis revocandum esse contendunt. Vt Waitzium, aliosque permultos in praesentia praetereamus, qui vel totam, vel partem , vel caput aliquod logices aristoteleae exposuerunt , aut commentariis illustrarunt [3], nemo certe ignorat Adolph. Trendeleburgium Protestantem *Elementa logices aristoteleae* [4] brevissime qui-

---

[1]) *Op. cit.*, lib. IV, p. 206 sqq, ed. cit. Nec quemquam pigeat legere id, quod ad eamdem rem Zabarella scripsit: « Grammati- « cus, ait,. . . partes orationis tractat, ut partes locutionis, con- « ceptum autem significatum non considerat, nisi propter vocem « significantem;logicus vero conceptus ab eis significatos contem- « platur, ipsas autem voces significantes non considerat, nisi pro- « pter conceptus significatos. . . . Logicus enim primario conce- « ptus respicit, secundario voces: contra Grammaticus primario « voces, conceptus secundario »; *De natura logicae*, c. 10, p. 16, Tarvisii 1604.

[2]) Hoc a Bartholom. Kekermanno scite observatum fuit: « Multa « sunt in Aristotelis Organo propria eius temporis, et non ad no- « stra, sed ad Graecorum discipulorum, quos tum habuit,ingenia « pertinentia »; *Syst. system.*, *Praecognitorum logicorum*, tract. II, n. 6, t. I, Hanov. 1614.

[3]) Horum opera in hisce voluminibus passim commemorabimus.

[4]) Ed .quarta, Berolini 1852.

dem, sed admodum concinne elucubrasse, quae in scholis Germaniae prevulgata sunt. Praestat referre ea, quae ad hanc rem in *Praef.* scripsit: « Quae (Arist.) exposuit, « ea quoniam non dies commentus est, nec dies delebit, « valuerunt per duo millia annorum; agnoscuntur, suspiciuntur vel ab iis hodie philosophis, qui ab Aristotelis logica quam longissime recessisse videantur. « Haec igitur sunt, quae tamquam rata et certa gymnasiis commendentur. Vt in geometria Euclides, sic in « logicis Aristoteles saeculorum vicissitudines ita superavit, ut uterque exemplar sit, in quod intueantur et « aequales et posteri. Qui geometriae elementa petit, ad « Euclidis et evidentiam et elegantiam, qui logices, ad « Aristotelis et sublimitatem et simplicitatem redire iubeatur [1] ». Huic logices aristoteleae iudicio fortasse Kantius praelusit, quippe qui scripsit logicam post Aristotelem ne hilum quidem progressam fuisse [2].

Restat, ut nonnihil de praestantia logices dicamus. Sunt, qui illam ad scientiarum adeptionem supervacaneam, sunt, qui utilem, sunt denique, qui omnino necessariam putant. Vt haec lis facile dirimatur, mente reputandum est 1° homines, utpote qui instrumenta cognoscendi non ipsi sibi effingunt, sed a natura habent, posse illis sine ullo studio, aut arte uti; 2° quandoquidem per intellectum animus in se ipsum retorquetur, inde effici, ut instrumenta, quibus res intelligit, cognoscere queat. Iamvero, si homo naturaliter cognoscit instrumenta, quibus res intelligit, sequitur eum etiam sine ullo studio quamdam habere notitiam legum, secundum quas illis instrumentis utitur, proindeque posse in harum legum studium incumbere, ipsarumque scientiam adipisci. Hinc perspicis duplicem logicam, uti monuit s. Augustinus [3], existere; unam *naturalem*, alteram *artificiosam*, sive *scientificam*. Naturalis est inchoata, et im-

---

[1]) P. VI. — [2]) *Op. cit.*, Prèf. ed. cit.
[3]) *De Civ. Dei*, lib. II, c. 7.

perfecta notitia instrumentorum sciendi, quam s. Augustinus scite dixit « innatam vim naturae, per quam per« ficit ea quae sunt [1] »; artificiosa vero est perfecta, et absoluta notitia instrumentorum, quam ante declaravimus. Logicam naturalem autem in iis, qui alicuius generis rerum studio vacant, magis evolutam, explicatamque esse oportet. Nam, quoniam mens non solum res intelligit, sed etiam actiones intelligit, quibus res intelligit, efficitur, ut ii, qui rationem in alicuius generis rerum cognitione impense exercent, ipsos actus rationis melius, quam ceteri homines, cognoscant, licet horum speciale studium minime susceperint.

His praestitutis, neminem posse sine logica naturali satis exercita scientiam ullius rei assequi explorata res est. Etenim fieri nequit, ut quispiam in aliqua scientia, vel arte vere proficiat, nisi instrumenta illius scientiae, aut artis rite adhibeat. Iamvero, instrumenta ullius scientiae, aut artis nonnisi is rite adhibere potest, qui inchoatam illorum scientiam callet. Cum autem inchoata scientia instrumentorum sciendi sit logica naturalis, neminem posse sine logica naturali quodammodo exculta ullam rerum scientiam sibi comparare certum est.

At estne tanta vis logices naturalis, ut unico illius subsidio liceat homini scientias rerum capessere? Quin haec vis ei quodammodo insit, et historia scientiarum, et ratio ipsa nos dubitare non sinunt. Non quidem historia. Namque ex huius monumentis constat non modo ante Stagiritam, qui integram, atque omnibus numeris absolutam logicam elucubravit, sed etiam ante ipsum Zenonem, qui primus huius scientiae auctor fuisse perhibetur, non paucos, in quibusdam scientiis, ingenuisque artibus haud parum profecisse [2]. Non ratio. Etenim ad scientiae adeptionem duo nosse oportet, scilicet prin-

---

[1]) *Quaest. octogintatres*, q. XXI.

[2]) Vid. I. G. Buhle, *De Philosophorum graecorum ante Aristotelem de arte logica invenienda, et perficienda conaminibus*, inter *Comm. Societ. Gotting.*, t. XI, p. 234 sqq, Gottingae 1781.

cipia, ex quibus conclusiones ducuntur, et regulas, secundum quas deductio facienda est. Iamvero, principia homo naturaliter cognoscit ; sunt enim, ut suo loco videbimus, quaedam, quae mens, statim ac apprehendit, vera esse comperit ; regularum autem, secundum quas a principiis ad conclusiones progressio fit, naturalem quamdam, uti iam vidimus, notitiam, inchoatamque scientiam habet. Perspicuum igitur est unius logicae naturalis subsidio licere nobis scientiam rerum consequi.

Verum, historia, et ratio nos etiam edocent logicam artificiosam ad scientiarum augmentum, et perfectionem immane quantum conferre. Historia enim testis est, antequam logicae praecepta existerent, atque unum in corpus redigerentur, nullum integrum, et absolutum systema philosophiae extitisse, atque insuper naturalium rerum studiosos, ut saepe Stagirita animadvertit, ob logicae ignorationem saepe in errores ruisse. « Propter hoc, Albertus « M. inquit, Aristoteles frequenter dicit in diversis li« bris suis, quod causa erroris antiquorum fuit, quia « scientiam logicam non invenerunt, sive habuerunt [1] ». Nec secus fieri potuisse ratio nobis suadet. Nam, quemadmodum artifex, qui modum, quo instrumenta artis suae adhibere debet, ignorat, opera affabre construere non valet; ita quisquis aliquam scientiam assequi vult, nec tamen logicam, quae modum illam facile, et sine errore assequendi tradit, novit, in illa scientia multum proficere non potest, atque aegre errores cavere valet. Ex quo conficitur logicam, cum perfectam suppeditet notitiam instrumentorum, quibus omnes scientiae, ingenuaeque artes utuntur, ad illarum augmentum, et perfectionem magno esse adiumento [2].

---

[1]) *De praedicab.*, tract. I, c. 2.

[2]) Videndus est Albertus M., *Op. cit.*, tract. I, c. 3, quod hunc in modum conclusit: « Haec autem scientia a phantasiis (quae viden« tur et non sunt) liberat, errores damnat, et ostendit falsitates, et « lumen dat rectae contemplationi in omnibus. Prae omnibus igi« tur consideranda est haec scientia ».

Itaque statuimus logicam artificiosam non esse adeo necessariam, ut sine ea nihil in rerum cognitione proficere liceat, sed necessariam quidem, ut scientiae speciales facile, et perfecte adquirantur. Apposite ad rem nostram Vossius : « Nec diffiteor multum nos absque hoc artis « praesidio posse solo lumine naturae: sed, ut Albertus « M. dicebat, similes tum sumus igni, qui, qua data porta ruit, nec attendit, sitne materies flammae, an secus. « Itidem anima sine logicis fortuito rem propositam amplectitur, unde a recto saepe aberratur [1] ». Hocce iudicium, quod omnes politiores antiqui de logica tulerunt, s. Augustinus in multis locis inculcavit. Re vera, sanctus Doctor, etsi aliquando dixerit homines interdum facilius cognoscere res, quam praecepta logicae, quibus illas cognoscunt [2], tamen manifeste asseruit sapientem a logica plurimum adiuvari [3], neque sine illa posse unquam perfectam scientiam sibi comparare [4]. Hanc autem necessitatem probavit ex eo quod qui illam ignorant, in errores facile labuntur [5], atque a Sophistarum captiosis cavillationibus cavere non possunt [6]. Ante s. Augustinum Clemens Alex. logicam sepi comparavit, « qua licet arbores fructusque non egeant, ut sint, per illam tamen « tuti sunt [7] ». Nec solum scientiis, quae ratione comparantur, sed scientiis etiam, quae divina revelatione innituntur, logica plurimum adiumenti affert. Quae enim Revelatio divina complectitur, haud possibile est sine logicae subsidiis contra hostes fidei tueri, et ad scientiae formam revocare. Quod praeter Clem. Alex., Origenem, s. Hieronymum, aliosque permultos s. Augustinus tum saepe alibi, cum maxime in Libris contra Cresconium copiose asseruit. Omnium instar sunto pauca haec verba : « Disputationis disciplina ad omnia genera

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., c. 5, § 2, p. 209.
[2]) *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 37.
[3]) *Op. cit.*, ibid. — [4]) *De Ordine*, lib. II, c. 13.
[5]) *Contra Crescon.*, lib. II, c. 3. — [6]) *Ibid.*, lib. I, c. 15.
[7]) *Strom.*, lib. I, c. 20.

« quaestionum, quae in Litteris sanctis sunt penetranda, « et dissolvenda, plurimum valet [1] ». Quae autem post Cresconium contra usum logicae in rebus Fidei nuper Buchezius obiecit, alibi excutiemus.

Postquam naturam, seu, ut Scholae aiebant, definitionem logices novimus, haud difficile nobis erit investigare, quot, et quaenam partes eius sint. Quandoquidem logica modum tradere debet, per quem e noto ignotum cognosci potest, consequens est duo a logica praestanda esse, scilicet ut et modum aperiat, per quem ignotum e noto inferri potest, et media suppeditet, per quae de veritate ignoti, quod e noto intulimus, certi efficiamur, propterea quod dici nequit nos ullius rei scientiam adeptos fuisse, nisi non modo veram notionem eius nacti simus, sed etiam veram notionem eius nactos esse cognoscamus. Postremum, quemadmodum inferius dicemus, tum consequimur, cum a noto illatum, quod Logici *conclusionem* vocant, ad notum, ex quo illatum est, sive, ut iidem Logici aiunt, ad *principium* revocantes, ignotum, quod invenimus, noto contineri comperimus. Hinc ab antiquis Logicis scite observatum est logicam versari circa inventionem veri, et circa iudicium de vero invento, seu, ut Boëthii verbis utamur, continere in se *inveniendi*, *iudicandique peritiam* [2], eamque idcirco partim esse *inventricem*, partim *iudicatricem*. Cicero utriusque partis meminit, atque in utraque exponenda Stagiritam omnibus palmam praeripuisse auctor fuit. « Cum omnis, « ait, ratio disserendi duas habeat partes, unam in- « veniendi, alteram iudicandi, utriusque princeps, ut « mihi quidem videtur, Aristoteles fuit [3] ».

Vt circa quae pars inventrix logicae versetur, patescat, sciendum est duas praecipuas quaestiones logicas

---

[1]) *De Doctr. Christ.*, lib. II, c. 31.
[2]) *In Cicer. Topic.*, c. 1, p. 25, Lugd. 1545.
[3]) *Top.*, c. 1; cf Boëthium in h. l. p. 26, ed. cit.

de qualibet re institui posse, nimirum quid eius essentiam constituat, et quaenam ad eius essentiam pertineant, si quidem non aliud in unaquaque re, quam essentia, et qualitates eius esse, et excogitari possunt. Quapropter logica inventrix tradere debet modum, quo essentia, et modum, quo qualitates eius inveniuntur, sive, ut secundum Scholam loquamur, modum solvendi duas quaestiones, *quid res sit*, τί ἐστιν, *et qualis sit*, τὸ ποιόν τι ἐστιν, cum ceterae, ut alibi videbimus, ad illas duas revocentur. Iamvero, logica, ut modum inveniendi essentiam uniuscuiusque rei, et conficiendi definitionem eius nos doceat, exponere debet *categorias*, seu, vertente Boëthio, *praedicamenta* [1], hoc est omnes conceptus abstractos, et universales, sub quibus conceptus uniuscuiusque rei continetur. Namque is, qui conceptus universales rerum compertos habet, conceptus essentiarum specialium ad ipsos revocare potest, atque hoc pacto cognoscere, quid rei, de qua agitur, cum aliis rebus commune, quidque ab ipsis differens sit. Atqui quisquis cognoscit, quid res cum aliis commune, quidque proprium sui habet, essentiam eius perspectam habet, quia definitionem realem eius cognoscit. Re vera, definitio realis rei, quae essentiam ipsius rei denotat, uti suo loco videbimus, constat ex *genere*, nempe ex eo quod res cum aliis rebus commune habet, et ex *differentia*, nempe ex eo, per quod ab aliis rebus differt. Logica igitur de categoriis agere debet, ut modum inveniendi essentiam nos doceat.

At logica non solum *praedicamenta*, sed etiam *praedicabilia*, seu, ut graeca voce designantur, *categoremata*, scilicet diversos modos, quibus conceptus speciales essentiarum ad conceptus abstractos, et universales ipsarum reduci possunt, exponat necesse est. Etenim non licet nobis aliquem conceptum universalem conceptui speciali tribuere, nisi modus, quo unus de altero

---

[1]) *In lib. I Praedicam.*, Praef. ed. cit.

praedicari potest, nobis innotescat, atque hic modus innotescere nobis non potest, nisi omnes modos, quibus conceptus universales de conceptibus specialibus praedicari queunt, cognoscamus.

Itaque logica de categoriis, et categorematis in primis tractare debet. Hae duae tractationes, uti a s. Thoma observatum fuit [1], ad primam actionem mentis humanae in cognitione veri moderandam spectant, quia per ipsas essentiam rei apprehendimus *simpliciter*, ἁπλῶς, hoc est, quin aliquid de illa asseramus, vel negemus. Advertendum quoque est mentem humanam, si per categorias, et categoremata essentiam, seu definitionem realem rei, cognoscit, a definitione nominali rei proficisci, ut ipsas categorias, et categoremata inveniat. Ipsa enim notiones, quae de rebus vulgo habentur, in elementa sua resolvens, usque eo progreditur, ut ad ultimas, et supremas notiones, a quibus ceterae pendent, et ad quas referuntur, perveniat [2].

Aristoteles summas notiones rerum, seu praedicamenta, in eo libro exposuit, quem de Categoriis Interpretes eius inscripsere, et primum Organi librum fecerunt. De praedicabilibus autem speciale opus non exaravit, sed Porphyrius ea, quae in cunctis Stagiritae libris, et praesertim in *Topicis*, et in *Metaphysicis* dispersa sunt, in unum corpus collegit, ut Categoriarum Aristotelis intelligentiam faciliorem, et promptiorem redderet [3].

Quod si logica examen definitionis instituens modum investigat, quo essentiae rerum inveniri queunt, ab examine, seu analysi enunciationis, proficisci debet, ut mo-

---

[1]) *Periherm.*, lect. I, et *Analyt. poster.*, lect. I.

[2]) Videsis Sebastianum Erizzo, *Dell' istrumento, e via inventrice degli antichi*, p. 12 et 13, Venezia 1554. Sed de hoc gravissimo logicae capite inferius.

[3]) Huius libelli variae inscriptiones feruntur; sed illa, tanquam genuina, Criticis maxime probata est, εἰσαγωγὴ πρὸς χρυσαόριον, *Introductio ad Chrysaorium*, quia huius Patricii Romani discipuli sui gratia Porphyrius illum elucubravit. Vid. vitam Porphyrii quam Lucas Holstenius scripsit.

dum, quo qualitates essentiae inhaerentes invenire licet, comperiat, propterea quod, quemadmodum definitio denotat essentiam, ita enunciatio significat iudicium, quo aliqua qualitas de essentia iam comperta asseritur, aut negatur. Quocirca illi parti logicae, quae *de Praedicamentis*, et *de Praedicabilibus* tractat, altera succedere debet, quae circa enunciationem versatur. Aristoteles hanc logices partem Περὶ ἑρμηνείας, nempe *De interpretatione*, inscripsit; si quidem hoc in libro veritatem, et falsitatem orationis expendit, ut veritatem, et falsitatem iudicii, quod ipsa significatur, cognosceret, atque hoc pacto modum investigaret, quo, num aliqua qualitas subiecto inhaereat, cognosci possit. Itaque haec altera pars logicae inventricis, quam nos, recentium Logicorum more, *De enunciatione* inscribemus, ad secundae actionis mentis, nempe iudicii, moderationem pertinet.

Praeterea, ad scientiam alicuius rei adquirendam satis non est invenire essentiam, et qualitates, quae ipsi inhaerent, sed oportet etiam cognoscere rationes, ob quas qualitates essentiae inhaerent: scientia enim, ut saepe innuimus, non in simplici cognitione rerum, sed in cognitione causarum, quibus res continentur, posita est. Hinc logica, postquam exposuit modum, quo essentiae rerum inveniuntur, et modum, quo qualitates essentiae inesse cognosci potest, tradat quoque necesse est modum, quo rationes, ob quas qualitates essentiae insunt, perspici possunt. Iamvero, ad hunc modum inveniendum opus ei est analysim syllogismi, quo ratiocinatio denotatur, instituere. Nam rationes rerum cognoscuntur, quoties res non *simpliciter*, ἁπλῶς, sed per causas suas cognoscuntur, et res cognoscuntur per causas suas, cum illarum cognitio a principiis, ex quibus pendent, deducitur, sive, cum res *ratiocinatione* cognoscuntur. Ratiocinatio igitur est medium, per quod rationes rerum cognosci possunt. Quapropter logica, ut modum scientiae tradat, postquam de iudicio egit, de *ratiocinatione*, quae est tertia actio mentis, disserere debet.

At, quandoquidem in syllogismo *forma*, nempe structura iudiciorum, ex quibus conflatur, et *materia*, nempe res, circa quas versatur, occurrunt, necesse est, ut logica utramque consideret. Iam, quod ad formam spectat, perspicuum est logicam leges exponere debere, secundum quas ratiocinatio comparanda est, ut per illam ignotum ex noto inferri queat. Quod vero ad materiam attinet, ipsa expendat necesse est, quotuplicis naturae sint principia, in quibus syllogismus versari potest, ut quem gradum cognitionis in mente humana gignere valet, patescat. Itaque sciendum est principia, quorum ope rationes rerum cognoscantur, non alia esse posse, quam eadem principia, ex quibus res constituuntur, alioquin res non ita cognoscerentur, uti re ipsa in se sunt. « Dicendum, « ad rem s. Thomás ait, quod illud, quod est principium « essendi, est etiam principium cognoscendi ex parte rei « cognitae, quia per sua principia res cognoscibilis est [1] ». Ex quo perspicitur mentem erga veritatem rei ex principiis suis deductam ita se habere, ut ipsa res se habet ad principia, ex quibus constituitur. Iam, principia rerum, prout principia sunt, considerata, triplicis sunt generis. Alia enim principia effectus suos *necessario*, ob idque *semper*, alia *contingenter*, atque idcirco *plerumque*, non semper effectus suos producunt, et ea, quae contingenter effectus suos producunt, interdum illos aliter producunt, quam illorum natura expostulat. Cum tres sint modi, secundum quos natura effectus suos producere potest, mens humana in tribus diversis statibus circa veritatem rei, quam cognoscere studet, versari potest. Nam, si principium, ex quo veritatem deducit, necessarium esse cognoscit, certam cognitionem rei adquirit, quia, cum veritatem rei a principio necessario deduxerit, dubitare non potest, quin ipsa aliter, quam ab ea cognita est, unquam se habeat. Sin principium, ex quo veritatem rei deducit, contingens esse cognoscit, vel probabilem

---

[1]) *Qq. dispp., De Ver.*, q. II, a. 3 ad 8.

dumtaxat, vel falsam quoque cognitionem rei adquirit. Etenim, cum principium, ex quo veritas rei deducta est, non semper, et constanter, immo, quandoque aliter etiam, quam natura eius expostulat, effectum producat, mens certa esse nequit huiusmodi principium effectum suum reapse produxisse, aut ita produxisse, uti natura eius expostulat. Hinc triplex syllogismus, quatenus ad materiam attinet, secundum Stagiritae doctrinam, uti diximus, a Scholasticis admissus fuit, nimirum, *demonstrativus*, quia demonstratio certam notitiam, seu scientiam gignit, *dialecticus*, sive probabilis a disserendo, ἀπό τοῦ διαλέγεσθαι, quia utramque in partem disputando probabile invenitur, *sophisticus*, quia eo Sophistae ad fallendum utebantur.

Operae pretium est audire s. Thomam, qui totam hanc doctrinam quam lucidissime exposuit. « Oportet igitur, ait, Logicae partes accipere secundum diversitatem actuum rationis. Sunt autem rationis tres actus, quorum primi duo sunt rationis secundum quod est intellectus quidam. Vna enim actio intellectus est intelligentia indivisibilium, sive incomplexorum, secundum quam concipit quid est res . . . Et ad hanc operationem rationis ordinatur doctrina, quam tradit Aristoteles in libr. *Praedicamentorum*. Secunda vero intellectus est compositio, vel divisio intellectus, in qua est iam verum, vel falsum. Et huic rationis actui deservit doctrina, quam tradit Aristoteles in lib. Perihermenias. Tertius vero actus rationis est secundum id, quod est proprium rationis, scilicet discurrere de uno in aliud, ut per id, quod est notum, deveniat in cognitionem ignoti. Et huic actui deserviunt reliqui libri Logicae. Attendendum est autem, quod actus rationis sunt similes quantum ad aliquid actibus naturae, unde et ars imitatur naturam inquantum potest. In actibus autem naturae invenitur triplex diversitas. In quibusdam enim natura de necessitate agit, ita quod non potest deficere. In quibusdam ve-

« ro natura ut frequentius operatur, licet quandoque « possit deficere a proprio actu . . . Et haec etiam tria « inveniuntur in actibus rationis. Est enim aliquis ra- « tionis processus necessitatem inducens, in quo non « est possibile esse veritatis defectum, et per huius ra- « tionis processum scientiae certitudo adquiritur. Est au- « tem alius rationis processus, in quo ut in pluribus « verum concluditur, nec tamen necessitatem habens. « Tertius vero rationis processus est, in quo ratio a « vero deficit propter alicuius principii defectum, quod « in ratiocinando erat observandum [1] ».

Itaque logica post iudicium de syllogismo agere, eumque cum quod ad formam, tum quod ad materiam eius expendere debet. Aristoteles de syllogismo utraque ex parte considerato tractavit in libris, quos *Analytica*, seu, uti in Scholis dicebatur, *Resolutoria Priora*, et *Posteriora*, *Topica*, et *Sophisticos Elenchos* nuncupavit. In *Analyticis Prioribus* doctrinam syllogismi in se spectati, proindeque generalem, atque in *Posterioribus* doctrinam specialem syllogismi demonstrativi, seu *scientifici*, συλλογισμὸν ἐπιστημονικὸν [2], exposuit. Hos libros *analyticos*, seu *resolutorios* dixit, quippe quod in his syllogismum in elementa, ex quibus constat, resolvens leges syllogismi non solum generales, nempe quae ad formam eius pertinent, sed etiam speciales et proprias syllogismi καθ' ἑξοχὴν, nimirum *necessarii*, inquisivit. De syllogismo dialectico egit in *Topicis*, quos hoc nomine donavit, quia in eis *locos*, τόπους, recensuit, ex quibus argumenta probabilia ad disputandum de unaquaque re in utramque partem peti possunt. Denique de syllogismo fallaci, seu sophystico, in libro de *Elenchis Sophisticis* egit, in quibus diversas *redargutiones*, ἐλέγχους, enumeravit, quibus Sophistae adversarios suos irretire studebant,

---

[1]) *I Poster. anal.*, lect. I.
[2]) *Analyt. poster.*, lib. I, c. 2.

diversosque modos, quibus Sophistae fallaciarum suarum convinci facile poterant, tradidit [1].

Nos, ne a recentium Logicorum consuetudine multum discedamus, universam logicam tres in partes distribuemus: In prima ea omnia complectemur, quae ad formam, seu ad structuram syllogismi intelligendam expostulantur, proindeque primum elementa, quae syllogismum constituunt, expendemus, deinde quibus legibus ipsa ad syllogismum efficiendum concurrunt, investigabimus. In altera autem, primum redargutiones *sophismatum*, seu fallaciarum, exponemus, ut a quibus erroribus in syllogismo sive demonstrativo, sive dialectico cavendum nobis sit, edoceamur; tum *locos*, τόπους, ad syllogismi dialectici constructionem, nempe ad probabilium argumentorum inventionem, ex quibus via ad syllogismum demonstrativum conficiendum nobis paratur, recensebimus; tum denique de demonstratione, sive de syllogismo demonstrativo, et de scientia, quam demonstratio parit, eiusque partitionibus disseremus. In postrema denique, de via, per quam mens humana a notis ad ignota in cunctis scientiis pervenire potest, agendum nobis erit. Etenim, cum omnis scientia ex ratiocinationum serie, et continuatione constet, cuiuslibet scientiae studioso opus est nosse, a quibusnam principiis proficiscendum ei sit, et quonam ordine in suis argumentationibus progrediendum, ut obiectum scientiae suae consequi pos-

---

[1]) Praestat audire, quomodo s. Bonaventura has diversas partes logicae, quae ad syllogismum pertinent, secundum Stagiritam explicuit: « Est analysis de syllogismo necessario, idest resolutorio « in causam inferend, ut in prima analysi, idest resolutione, et « secunda analysi, idest resolutione in causam inferendi, et essen- « di, et quia semper non potest esse inductio per necessariam ar- « gumentationem, ideo inveniuntur loci, et habitudo localis, quae « procedit per probabilia, ut loci topici, et quia in his cadit dece- « ptio, adduntur loci sophistici, ut sciat homo dissolvere. Vnde « dissolvens non est sophisticus, sed verus respondens, quia et isti « modi trahunt originem a natura rerum, ut patet, fumus est, ergo « ignis fuit, locus ab effectu »; *Lumin. Eccl.*, Serm. 4.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

sit. Hanc logicae partem *methodologiam* cum recentibus inscribemus, quia ipsa *methodum*, seu, *viam*, ὁδόν, commonstrat, qua ad veri inventionem incedendum est. Aristoteles fortasse de hac logicae parte in opere deperdito, quod Μεθοδικὰ inscripsit [1], tractavit. In libris eius, qui extant, *methodi* vocem interdum usurpavit, sed illam non eodem modo accepit; modo enim *doctrinam*, *scientiam*, *disciplinam*, modo *viam*, et *rationem* designavit [2]. Nihilominus in eis multa, quae ad methodologiam pertinent, inveniuntur, et vocabula ὁδός [3], et τρόπος [4], quae cum methodi notione congruunt, saepe occurrunt. Doctores mediae aetatis, cum in Aristotelis libris logicis interpretandis se continuissent, de methodo, tamquam speciali parte logicae, minime disseruere; verum tot, tantaque praecepta de methodo, Aristotele duce, proposita, explicataque ab eis sunt, ut fere nihil, quod ad absolutam methodologiam requiratur, in eorum libris logicis desideratur. Quocirca non omnino secundum veritatem rei Gastmannus scripsit expositionem methodi aristotelicae apud Scholasticos frustra quaeri, quippe qui de ea vix cogitare potuerunt [5]. Nam, quamvis Scholastici pronuntiata methodologica Stagiritae in unum corpus minime congessissent; tamen nihil eis magis cordi fuit, quam ut ea in medium proferrent, diligenterque explicarent.

---

[1]) Huius operis Stagirita meminit *Rethoric.* lib. I, c. 2.

[2]) Cf Biese, *Op. cit.*, vol. I, p. 170, not. 2.

[3]) *Analyt. poster.*, lib. I, c. 30.

[4]) *Meteor.*, lib. I, c. 1; *Ethic. Nicom.*, lib. II, c. 7; *Politic.*, lib. I, c. 8.

[5]) *Op. cit.*, Introitus, p. 20, ed. cit.

LOGICAE

PARS PRIMA

CAPVT PRIMVM

De Praedicamentis, et Praedicabilibus

PROOEMIVM

QVANDOQVIDEM omnis syllogismus ex iudiciis, et omne iudicium ex notionibus conflatur, necesse est, ut in hac priori parte Logicae, quae syllogismum in eo, quod ad formam attinet, considerat, tria inquiramus, scilicet quot sint notiones communes, et generales, quibus notiones propriae singularum naturarum continentur; deinde, quomodo eae in iudicio componantur; tum denique, quot, et quibus modis ex iudiciis syllogismus conficiatur, quo per unum notum alterum ignotum cognoscitur. « Ratio, B. Albertus M. inquit, non potest « devenire ad instrumentum, quo cognitionem incogniti « eliciat ex cognito, nisi tribus actibus, qui sunt ordi- « nare unum ad alterum, componere unum cum altero, « et colligere composita secundum discursum, qui fit ex « uno in alterum. Sic enim et non aliter accipiet cogni- « tionem incogniti per id quod est cognitum [1] ». Itaque prior pars logicae complectitur tres quaestiones, quarum una circa notiones, altera circa iudicium, et tertia circa ratiocinationem *formaliter* sumtam versatur, ob idque in tria capita rursus dividitur.

Atque ut a primo capite ordiamur, animo reputandum est, ea, quae in rerum natura sunt, secundum quaedam

---

[1]) *De Praedicam.*, lib. II, tract. I, c. 1.

abs se differre, secundum alia autem inter se aut omnia, aut plura convenire. Vt pauca exempla afferamus, cuncta, quae existunt, in eo consentiunt, quod sunt substantiae aliquibus modis, licet diversis, affectae; plura in eo, quod aliquam quantitatem habent, uti corporea; alia plura in eo, quod sunt omnis quantitatis expertia, uti simplicia; ea vero, quae quantitatem habent, cuncta figuram aliquam habent, itemque de aliis. Cum res ita se habeat, nemo non videt mentem humanam posse sibi conficere non solum notiones, quae vel singulas res, vel singulas naturas rerum repraesentant, sed etiam notiones cunctis vel pluribus naturis communes, puta substantiae, quantitatis, figurae, aliasque eiusmodi, ad quas cunctae notiones naturarum revocantur.

Iamvero, quoniam Logica neque cunctis generibus rerum, neque ulli horum speciali studet, sed modum investigat, et tradit, quo singulis rerum generibus studere menti humanae datur, ipsa profecto non inquirit omnes, quotquot esse possunt, rerum notiones, sed dumtaxat quasdam generalissimas, puta substantiae, quantitatis, qualitatis, relationis, aliasque id genus, quibus opus iis est, qui aliquod naturarum genus nosse affectant.

Porro hisce generalissimis notionibus, uti hactenus dicta satis ostendunt, communes quaedam rerum naturae, et differentiae continentur. Quocirca ipsas duplici modo spectare oportet, scilicet et prout quasdam naturas exhibent, et principia diversitatis rerum sunt, et prout sunt summae quaedam notiones, quarum ope res ad se invicem referri, atque inter se quodam ordine contineri patescit. Ita notio generalissima substantiae et complectitur omnes res, quae per se sunt, easque ab iis discriminat, quae in alio sunt, quaeque *accidentis* notione includuntur, et mens per illam cognoscit aliquid ad aliquid, tamquam substantiam, non tamquam accidens, ordinem habere. Perspicuum est notiones, uti s. Bonaventura monuit, non priori, sed posteriori modo spectatas ad Logicam pertinere. « Aut illuminat, inquit, (*illuminatio philosophica*)

« ad cognoscendas causas essendi , et sic est physica; « aut rationes intelligendi, et sic est logica [1] ». S. Thomas id fusius explicans , « Est, subdit , quidam ordo, « quem ratio non facit, sed solum considerat ; sicut est « ordo rerum naturalium ; alius ordo est , quem ratio « considerando facit in proprio actu , ut cum ordinat « conceptus suos ad invicem. Ordo , quem ratio con- « siderat, non facit , pertinet ad philosophiam natura- « lem ; ordo , quem ratio considerando facit in pro- « prio actu , pertinet ad philosophiam rationalem [2] ». Re sane vera , logicus notiones considerare debet , pro eo ut in iudicio coniunguntur, aut dirimuntur. Atqui notiones coniunguntur, et dirimuntur ex eo quod ordinem ad se invicem habent. Notiones igitur , prout ordinem inter se habent, nimirum secundo, quem diximus , modo ad logicam pertinent.

Iamvero, Logicus duobus muniis circa notiones fungi debet , ut modum illas in iudiciorum constructione adhibendi inveniat. Ipse enim debet in primis inquirere diversas rationes ordinis , quae inter notiones existere possunt ; deinde enumerare , et explicare supremas notiones , quae secundum diversas rationes iam perspectas inter se ordinem quemdam habent. Nam quisquis omnes supremas notiones enumeratas , et explicatas non habet , nosse nequit , ad quamnam illarum notio aliqua particularis revocanda sit , et quisquis diversos modos ordinis, qui inter illas existere possunt, ignorat, ignorare debet , quemnam ordinem aliqua notio suprema inter reliquas habeat. Iam , ille , qui utrumque , vel utrumlibet ignorat , supremas rei, cui studet , causas investigare non potest. Logica igitur , nisi duplici illo officio circa notiones fungatur , aptum scientiarum instrumentum non est. Praeterea , quoniam id , quod

---

[1]) *De reduct. art. ad Theol.*

[2]) *In lib. I Ethic.*, Prooem. Sanctus Doctor, uti antea (pp. 168, 170) monuimus; nomine philosophiae rationalis *logicam* designavit.

cum alio coniungitur, aut ab alio separatur, de illo *praedicari* dicitur, liquet notiones a Logico sub ratione *praedicabilium*, ut Scholae aiunt, considerandas esse, ideoque ad Logicam non pertinere, nisi prout secundum diversos modos de rebus praedicantur. Hinc supremae notiones, de quibus in Logica tractatur, κατηγοριαί, sive *praedicamenta*; diversi autem modi, secundum quos praedicantur, κατηγορήματα, seu κατηγορούμενα, latine *praedicabilia*, ab Aristotelicis dicta sunt. Quibus vocibus utraque a *praedicato* distinguuntur. Praedicatum enim in universum illud dicitur, quod quolibet modo de altero enuntiatur, oppositumque habet id, de quo praedicatur, et quod *subiectum* nuncupatur, quia ei, quod de ipso praedicatur, subiicitur, et quasi substerni intelligitur. Itaque notiones supremae suprema genera praedicationis sunt, et diversae rationes, secundum quas illarum alia de alia praedicatur, atque alia alii subiicitur, sunt diversi modi praedicationis. Quandoquidem vero quidquid de alio praedicatur, secundum aliquem modum de eo praedicetur oportet, perspicuum est praedicabilia non esse aliud, quam affectiones quasdam notionum, sive praedicamentorum, eaque efficere, ut notiones illae supremae praedicamenta sint. Ex quo perspicitur materiam huius tractationis esse notiones supremas, prout secundum diversos modos alia de alia praedicatur, aliaque alii subiicitur: unde breviter aiebat Albertus M. materiam primae huius tractationis Logicae esse « subiectum ordinabile in ratione praedicabilis, vel « subiicibilis [1] ».

Supremae istae notiones, de quibus Logica tractat, *secundae* in Scholis dictae sunt, quippe quod notiones rerum iam in mente formatas expostulant, eisque succedunt. Ad quam rem advertendum est notionem, quae *a noscendo*, ἀπὸ τοῦ νοεῖν, derivatur, proprie esse conceptum, qui rem repraesentat, eamque dictam fuisse in Scholis *in-*

[1] *Lib De Praedicam.*, tract. I, c. 1.

tentionem, quia intellectus, vim suam in rem *intendendo*, rei notionem adquirit. Iam, cum intellectus supra se ipsum reflectendi vi polleat, efficitur, ut ipse, postquam in res vim intendens harum notiones adeptus est, in ipsas notiones vim suam retorquere, atque ita ipsarum notionum notiones adquirere valeat [1]. Id revera, uti diximus, intellectus per praedicabilia praestat; si quidem per ea ordinem quemdam in notionibus rerum adhibet, resque cognoscit, non prout in se sunt, sed secundum ordinem, quo illas cognoscit. Istae notiones, utpote quae primas iam formatas expostulant, iisque succedunt, *secundae* dicuntur; notiones autem, quae res repraesentant, prout hae in se sunt, notiones *primae* audiunt, quia illis praecedunt. S. Thomas notiones, seu intentiones primas *intellecta prima*, et secundas *intellecta secunda* nuncupavit, atque haec utraque explicuit his verbis: « Prima intellecta sunt res extra a-« nimam, in qua primo intellectus intelligenda fertur. « Secunda autem intellecta dicuntur intentiones conse-« quentes modum intelligendi; hoc enim secundo intel-« lectus intelligit, in quantum reflectitur supra seipsum, « intelligens se intelligere, et modum, quo intelligit [2] ». Itaque notio prima est notio rei spectatae in se; notio secunda est notio rei non in se spectatae, sed relatae ad modum, quo ab intellectu cognoscitur. Illa est *realis*, quia, cum circa id, quod in natura rerum existit, versetur, rem in se ipsa, sive *ens* rei, spectat; haec autem *logica*, quia rem, prout ad rationem, τὸν λογὸν, refertur, seu *ens rationis*, spectat [3]. Prima dicitur quoque *immediata*, quia sine ulla notione media a mente conficitur, et *directa* quia mens ad illam recta fertur: altera autem

---

[1]) Hinc a Scholasticis duplex rerum esse distinctum fuit, scilicet *reale*, et *intentionale*. Reale est illud *esse*, quod res habet in se, et non prout ad intellectum refertur; *intentionale* autem est illud *esse*, quod habet relatum ad intellectum, nempe prout in intellectu repraesentatur.

[2]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 9 c. — [3]) *Ibid.*

mediata, eo quod media notione prima conficitur, et *reflexa*, eo quod intellectus, supra se reflectendo, illam efformat [1]. Eamdem ob rationem, quoniam mens vim suam primo in res, quae extra illam sunt, tum in notiones rerum, quas in se habet, intendit, notiones primae vocantur etiam *intentiones primae*, et notiones secundae *intentiones secundae*. Iamvero, cum supremae notiones, de quibus Logica tractat, reflexae, et logicae sint, utpote quae, aiente Alb. M., non sunt in rebus, sed ab intellectu efficiuntur [2], ipsas esse notiones, seu intentiones secundas manifestum est. Hinc illud quoque dici potest materiam huiusce tractatus Logicae esse notiones, seu intentiones secundas.

Ad haec, advertendum est materiam logicam esse omne id, quod est universale. Enimvero, notiones supremae ad logicam pertinent, prout alia de alia praedicatur. Iam, nihil quemadmodum scite Albertus M. docuit, nisi id, quod est universale, de alio praedicari potest. Nam, ut Beatus Doctor argumentatus est, praedicare aliquid de alio idem est, ac unum cum altero componere. Iam nequit cum re aliqua componi, nisi illud, quod in ea inesse perspicitur. Id autem, quod alicui rei inest, a re, cui inest, distinguatur oportet; fieri enim nequit, ut aliquid ipsum sibi insit. Quod si id, quod alicui inest, distinguitur ab eo, cui inest, non repugnat id, quod alicui inest, aliis multis inesse. Atqui id, quod multis inesse aptum est, ut paulo post dicemus, universale est. Li-

---

[1]) Audiatur rursus s. Thomas: « Ex hoc quod intellectus in sei-
« psum reflectitur, sicut intelligit res existentes extra animam, ita
« intelligit eas esse intellectas; et sic, sicut est quaedam conce-
« ptio intellectus, vel ratio, cui respondet res ipsa, quae est extra
« animam, ita est quaedam conceptio, vel ratio, cui respondet
« res intellecta, secundum quod huiusmodi; sicuti rationi homi-
« nis, vel conceptioni hominis respondet res extra animam; ra-
« tioni vero, vel conceptioni generis, aut speciei respondet solum
« res intellecta »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 7 c.

[2]) « Per hoc enim quod universale est in multis et de multis, ra-
« tio ordinis accipitur praedicati ad subiectum»; *Lib. de Praedicam.*

quet igitur universale esse materiam huius primae Logicae tractationis [1]. Ex his, quae modo diximus, patescit hanc primam tractationem logicae duas in partes dividendam esse, quarum una diversos modos praedicationis, altera autem notiones supremas, quae de rebus praedicari queunt, enumerare debet.

Quin autem haec tractatio ad primam actionem mentis rite exercendam multum utilitatis conferat, nemini dubitandum est. Dubitatio ex eo oriri posset, quod, uti alio loco videbimus, vero, et falso in notione locus esse nequit. Nam, cum notione essentia rei simpliciter exhibeatur, nihil de ea affirmatur, aut negatur, atque, uti inferius ostendemus, circa ea, in quibus affirmatio, et negatio locum non habent, error existere nequit. Iam, si haud possibile est intellectum in notionibus rerum simplicibus efficiendis falli, supervacaneum est leges expendere, quas ipse in illis efficiendis tenere debet. At, quamvis id verum sit, tamen exinde adversus huius tractatus utilitatem nihil erui potest. Nam Logicus de notionibus tractare debet, prout eae ad iudicium efformandum concurrunt. Iamvero, ad cognoscendum, quomodo notiones ad iudicium concurrant, non expostulatur, ut leges inquirat, secundum quas intellectus notiones conficit, sed ut cognoscat quot sunt supremae notiones, quibus omnes notiones particulares continentur, et secundum quemnam ordinem de ipsis praedicantur. Certe, haec duo nosse Logici valde interest, nam, si ea ignoraret, notiones in iudicio inter se recte, et scite coniungere non posset. Patet igitur, si non notionibus, certe illarum usui in iudicio errorem subesse posse, ob idque valde utilem esse illam Logicae tractationem, quae ad illos errores cavendos spectat. Praeterea, Logica non tantum in illud intendit, ut ratio actiones suas sine errore dirigat, sed etiam ut sine difficultate, et certo ordine illas exerceat. Iam menti

---

[1]) *De Praedicab.*, tract. III, c. 4, atque *ibid.* tract. II, c. 1.

humanae ad actiones suas sine difficultate, et certo ordine exercendas hanc tractationem utilem, immo necessariam esse luce meridiana clarius est. Perspicuum enim est, neminem posse sine difficultate, et ex ordine notiones in iudicio dividere et componere, nisi quot modis illae ad se invicem referuntur, quibusque modis alia de alia praedicatur, aliaque alii subiicitur, cognoscat. Atqui ad horum cognitionem arripiendam universa doctrina *praedicamentorum*, et *praedicabilium* destinatur. Ergo, quin haec tractatio, quae de praedicamentis, et de praedicabilibus tractat, utilis sit, nullus sanae frugis Philosophus dubitare potest. Quantum utilitatis vero ipsa ad quaestiones circa rerum naturas solvendas, et ad ipsa dogmata Fidei tuenda, et, quoad fieri potest, intelligenda, conferat, ex iis omnibus, quae in hoc opere dicturi sumus, abunde patebit.

Quae cum ita se habeant, nemo non videt audiendos non esse Philosophos e Cartesii, Lockii, et Condillachi scholis, qui hanc tractationeam a Logica exterminandam esse censuerunt, et Scholasticos, eo quod sedulam operam in illius studio navarunt, putidis conviciis onerarunt. Admiranda potius est Melancthoni sagacia, qui, quo tempore Lutheri, eiusque gregalium odium in Aristotelem, et Scholasticos vehementer exardebat, hanc doctrinam logicam veterum sapientium dignam dixit [1], eamque in sua dialectica tradidit. Nimirum Protestantes, ut ex Keckermanno videre licet [2], fassi sunt se sine penita categoriarum cognitione, qualis a Peripateticis tradita fuerat, non posse de rebus theologicis ullo modo tractare. Ex quo, quemadmodum ante monuimus, factum est, ut usque ad Leibnitii aetatem dialectica peripatetica a Melancthono exarata in fere cunctis Protestantium Acade-

---

[1]) *Dialect.*, lib. I, p. 39, ed. cit. Ipse logicae aristotelicae studium iuvenibus commendavit. « Et Aristotelem, scribit, maxime « velim omnibus studiosis in omnibus esse »; *ibid.* Praef.

[2]) *System. Logicae*, lib. I, c. 2, p. 31, Lugduni 1607.

miis traderetur. Laus ideo danda est nuperis Philosophis, a quibus tractatio categoriarum instaurata est, quorumque studio ipsa ad philosophiam tractandam valde utilis ab omnibus hodie existimatur. Re vera inter omnes constat plures Philosophos Germaniae in quodam conventu Gothae habito an. MDCCCXLIV in eo consensisse, quod doctrina categoriarum universae philosophiae fundamentum est.

ARTICVLVS PRIMVS

De Praedicabilibus in universum consideratis

De notionibus, prout ad logicam pertinent, acturi a praedicabilibus initium ducamus oportet. Nam, cum praedicamenta rationem, secundum quam praedicantur, a praedicabilibus sumant, nobis haud licet illa enumerare, et explanare, nisi de his ante dictum sit. Aristoteles de praedicabilibus non egit data opera, neque uno in loco, sed huc illuc, prout occasio ei se obtulit. Verum, Porphyrius neoplatonicus saec. secundo, primus omnium, ut diximus, libellum exaravit, in quo ea, quae Aristoteles in suis libris de praedicabilibus sparserat, in ordinem digessit. Philosophi post Porphyrium, si paucos praesertim nuperos exceperis, nihil circa numerum praedicabilium, quem Porphyrius secundum Stagiritam definivit, immutarunt, sed dumtaxat quasdam circa illorum naturam, et ordinem quaestiones ventilarunt. Quamobrem Porphyrii vestigiis insistemus, ita tamen, ut controversiarum, quae post eum a Philosophis agitatae sunt, rationem habeamus.

Vt autem haec doctrina facile perspiciatur, procedere iuvabit in hunc modum: In unaquaque rerum, quae in hoc mundo nobis occurrunt, aliquid est, quod ipsi cum aliis commune esse, aliquid vero, quod ipsi proprium esse, nullisque aliis praeter ipsam convenire intelligitur. Ita nos intelligimus Socratem commune habere cum Platone, esse animal ratione praeditum, sed

ab eo distingui aetate, forma corporis, ingenio, aliisque multis. Hoc, uti s. Bonaventura advertit, ex eo fit, quod esse uniuscuiusque rei limitibus circumscribitur. « Omne individuum, inquit, habet esse limitatum, et « ideo in aliquo convenit, in aliquo differt cum alio [1] ». Iamvero, si intellectus in re illud dumtaxat consideret, quod ipsi cum aliis multis commune esse, aut esse posse intelligit, notionem universalem adquirit; sin illud ipsum commune, prout determinatur ab iis, per quae a caeteris distinguitur, notionem singularem, sive individuam habet.

Praeterea, si in qualibet re est aliquid, quod cum ceteris rebus commune esse intelligitur, hoc, quod tanquam commune intelligitur, non est in omnibus rebus idem; si quidem quamlibet rem cum quibusdam per pauciora, cum aliis per plura convenire intelligimus. E. g. nos intelligimus belluam cum homine convenire, quod, perinde atque hic, vim vegetandi, et vim sentiendi habet, sed plantam cum homine ex eo tantum, quod habet vim vegetandi. Hinc intellectus in qualibet re non solum id, quod ipsi cum ceteris rebus est commune, sed etiam id, quod magis, minusve commune est, intelligit; ex quo fit, ut notiones magis, minusve universales sibi comparet.

Iamvero, quandoquidem aliquid ex eo, quod universale est, praedicabile efficitur, liquet diversos modos praedicationis non esse aliud, quam diversas notiones universales, secundum quas categorias ad se invicem referri intelligitur. Hos modos facile investigare licet, si animo recolantur nonnulla, quae inferius a nobis exponenda erunt, scilicet illud, quod est in re, aut esse *essentiam*, sive id, quo res est id, quod est, aut *accidens*, nempe aliud, quod cum essentia coniungitur. Iamvero, illud, quod essentiam complectitur, vel totum illud complectitur, quod ipsam totam prorsus constituit, vel aliquid eorum, ex quibus ipsa constat. Eorum, quibus essentia constat, aliquid in-

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. 2, a. 1, q. 2 *resol.*

choat quodammodo essentiam rei, aliud autem ipsam perficit, et complet. Hoc postremum essentiam rei ab omnibus aliis discriminat, cum illud sit, quod essentiam rei perfecte constituit. Primum vero tanquam essentiae cum aliis commune intelligitur, si quidem essentia inchoata pluribus modis perfici potest. Ita in homine *animalitas*, et *ratio* totam illius essentiam, nempe *humanitatem*, efficiunt; animalitas autem est id, quod essentiam eius inchoat, quodque ei cum brutis commune esse intelligitur, et ratio est pars essentiae, quae humanitatem perficit, quia per illam homo revera constituitur, atque a belluis distinguitur.

Quod ad accidens attinet, animadvertendum est in qualibet re esse non modo principium formale, sive essentiale, quod essentia rei dicitur, sed etiam aliquid aliud, quod habenti essentiam advenit, aut advenire potest. Nam, quoniam in qualibet re creata, uti alias ostendemus, essentia, et *esse* differunt, efficitur, ut quamvis nihil essentiam ingredi possit, quod praeter ipsam sit, tamen id, quod essentiam habet, aliquid praeter ipsam habere queat. « Nulli naturae, s. Thomas scribit, vel essentiae, « vel formae aliquid extraneum adiungitur, licet id, quod « habet naturam, vel formam, vel essentiam, possit aliquid « extraneum in se habere; humanitas enim non recipit « in se nisi quod est de ratione humanitatis. . . . Homo « autem, qui habet humanitatem, potest aliquid aliud « habere, quod non sit de ratione humanitatis, sicut al- « bedinem, et huiusmodi, quae non insunt humanitati, « sed homini [1] ». Iamvero, eorum quae res praeter essentiam habet, alia eiusmodi sunt, ut res illis carere nequeat, alia autem eiusmodi, ut illis carere possit. Priora vocantur accidentia *necessaria*, posteriora autem *fortuita*. Ita, ut exemplum iam propositum urgeamus, *risibilitas* in homine est accidens necessarium, quia essentiam rei non ingreditur, sed illam necessario con-

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 4 c.

sequitur; esse autem *medicum*, aut *philosophum* est accidens fortuitum hominis, quia non modo essentiam eius non ingreditur, sed etiam fortuito consequitur.

Itaque perspicuum est 1° quidquid in re est, nonnisi secundum quinque modos ipsi inesse posse, quia vel inest ei secundum totam essentiam, vel secundum illam partem essentiae, quam cum aliis communem habere intelligitur, vel secundum illam partem, per quam una natura ab aliis distinguitur, vel secundum aliquid, quod aut necessario, aut fortuito ipsi adiungitur. 2° Secundum illos quinque modos res secum consentire, aut aliam ab alia discriminari. Ex. gr. homo discriminatur a planta secundum totam essentiam suam, quia planta caret tum *animalitate*, tum *ratione*. Ipsemet homo vero cum bellua consentit secundum essentiam eius *inchoatam*, nempe *animalitatem*, sed differt ab ea secundum illud, quod essentiam perficit, nempe *rationem*. Denique, inter ipsos homines Socrates convenit cum Platone secundum essentiam perfectam, et constitutam, et secundum ea, quae ab essentia necessario dimanant, puta *libertatem*; differt autem ab ipso secundum ea, quae fortuito essentiae adiunguntur, puta *ingenio*, *forma corporis*, aliisque id genus.

Iam, quamvis in qualibet re neque modi ab essentia, neque pars aliqua essentiae a tota essentia seorsum existat; tamen intellectus, ut suo loco dicemus, potest aliquid in ea ab aliis seiunctum considerare, et potest etiam intelligere hoc aliquid posse inesse multis aliis rebus praeter illam, ex qua seiunctum ab eo consideratur. Quocirca, quemadmodum intellectus decem primas notiones sibi conficit ex eo, quod intelligit decem esse, quae circa unamquamque rem occurrere possunt; ita decem illas notiones ad quinque alias revocat, quia quinque esse modos, quibus aliquid de aliquo enunciari potest, perspicit.

Hos modos Porphyrius, duce Aristotele, secundum ordinem, quo illos exposuimus, *genus*, γένος, *differentiam*, διαφορά, *speciem*, εἶδος, *proprium*, ἴδιον, et *accidens*,

συμβεβηκὸς, dixit. Vti *genus*, de re praedicatur illud essentiale, quod est inchoatio, et fundamentum totius essentiae rei ; uti *differentia*, illud essentiale, quo essentiale genere contentum determinatur, et species efficitur ; uti *species*, illud, quod totam essentiam rei perfectae complectitur ; uti *proprium*, id, quod essentiam necessario consequitur ; uti *accidens*, id, quod essentiam fortuito concomitatur. Ne ab allato exemplo abscedamus, Socratem dicimus esse *genere* animal, *specie* hominem, *differentia* ratione praeditum, *proprio* risibile, *accidenti* philosophum. Itaque genus, differentia, species, proprium, et accidens sunt quinque praedicabilia. « Omne, « s. Thomas ait, quod de pluribus univoce praedicatur, « vel est genus, vel est species, vel differentia, vel ac- « cidens, aut proprium [1] ».

Monendum hic est praedicabilia etiam *quinque universalium* nomine designata fuisse, propterea quod per illa notiones quodam ordine universales fiunt [2] ; et quinque *voces* quoque dicta esse, quia Peripatetici, uti diximus, duce Aristotele, in logica construenda ab analysi vocum, seu sermonum, proficiscebantur. Haec diversa nomina, uti Gher. Vossius monuit, ex diversis modis, quibus praedicabilia considerantur, originem ducunt. Nam, prout significant diversos modos, quibus categoriae, seu supremae notiones de subiecto praedicantur, *voces*, φωναί, vocantur; prout vero sunt diversi modi, quibus supremas notiones subiecto inhaerere intelligitur, *universalia*, τὰ καθόλου, dicuntur; prout denique sunt diversi modi, quibus supremae notiones subiecto tribuuntur, seu de subiecto praedicantur, *praedicabilia*, κατηγορήματα, nuncupantur. « Porphyrius, scribit laudatus Au- « ctor, laxo nimis vocabulo πέντε φωνὰς appellavit, atque ab « inhaerendo τὰ καθόλου, sive universalia; a praedicando au-

---

[1]) *Contr. Gent.*, lib. I, c. 32, n. 2.

[2]) « Forma universalis, s. Bonaventura inquit, dicitur proprie « secundum quod res est ordinabilis in genere »; *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, a. 1, q. 3 *resol.*

« tem κατηγορούμενα, vel κατηγορήματα, sive praedicabilia ap-
« pellantur [1] ».

Antequam ad singulorum explicationem accedamus, investigemus oportet, quomodo praedicabilia in Logica consideranda sint.

Iam ipsa, uti ex dictis facile patescit, referuntur tum ad res, ex quarum observatione intellectus ea sibi efformat, tum ad intellectum, cuius opus ea sunt, tum denique ad voces, quibus ea significantur, quia intellectus praedicabilia, perinde ac reliquas logicae doctrinas, e rerum contemplatione sermonis auxilio adiutus adinvenit, sermonisque ope significat. Iamvero praedicabilia, prout ad res referuntur, ordinem inter notiones, quae communes naturas rerum repraesentant, intercedentem designant. Revera, genus designat id, quod est commune uni speciei cum aliis, differentia autem id, quod speciem ab aliis, illo communi contentis, distinguit, species autem utrumque, atque ita deinceps. Prout autem referuntur ad intellectum, ordinem denotant, quem ipsa inter decem supremas notiones statuunt, prout has vel ad genus, vel ad speciem reducunt. Prout denique sunt voces, signa sunt diversorum modorum, secundum quos categoriae ad se invicem referuntur. Iamvero, ex iis, quae ante diximus, perspicitur praedicabilia nonnisi secundo modo spectata ad logicam pertinere. Etenim ipsa ad Logicam pertinent, prout diversos modos praedicandi, sive mutuas praedicamentorum relationes, prae se ferunt. Atqui nihil, nisi id, quod universale est, praedicari potest. Ergo praedicabilia, quatenus universalia sunt, ad Logicam pertinent. Vniversalia autem sunt, quatenus ad intellectum referuntur, quia intellectus, ut ante innuimus, et alibi ostendemus, universale efficit. Praedicabilia igitur, prout ad intellectum referuntur, sive prout notiones secundae sunt, in Logica considerantur.

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. c. 10, § 4, p. 222, ed. cit.

Quandoquidem autem aliquid ex eo est praedicabile, quod est universale, illud quoque explicemus necesse est, quid universale sit, quidque a particulari, et singulari differat; alioquin, quomodo praedicabile ad Logicam pertinet, non omnino intelligeretur. Ex iis, quae hactenus exposuimus, colligitur tria ad efficiendum universale expostulari. Primo enim necesse est, ut sit unum non nomine tantum, sed essentia; si quidem id, quod est unum aut nomine, uti *pes*, qui ad infimam partem montis, et ad infimam partem hominis significandam usurpatur, aut quadam proportione, uti sanitas, cum de corpore, et medicina praedicatur, reapse unum non est in iis, quae praedicantur, et praedicatio, uti diximus, fundamentum habere debet in rebus, de quibus ipsa fit. Secundo, oportet, ut id unum aptum sit, quod praedicetur de multis, etiamsi in multis revera actu non sit. Hinc Stagirita scite sanxit universale illud esse, quod, cum unum sit, natura aptum est, quod de multis praedicetur [6]. Tertio, requiritur, ut referatur ad plura, quia nulla res de se proprie praedicari potest.

Notione universali perspecta, in promptu est intelligere, quid ipsa a notione *singulari*, et *particulari* differat. In primis, notio singularis, aut individualis ab universali differt, quia essentiam rei cum cunctis principiis, ex quibus in ipsa re determinatur, coniunctam, non vero, uti universalis, ab ipsis abstractam considerat. Ita notio Socratis est singularis, seu individualis, quia humanitatem non prout haec est in se, sed prout determinata, et concreta in Socrate est, denotat. Praeterea, notio singularis ex eo, quod essentiam concretam significat, ita uni individuo propria est, ut de nullo alio

---

[1]) *De interpr.* c. 7. Aristoteles hoc in loco universale ad intellectum relatum consideravit, sed, cum illud ad naturam relatum expendit, illud esse dixit, « quod natum est pluribus inesse »; *Met.* lib. IV, c. 3. Hic fundamentum, illic rationem universalitatis exposuit, quia aliquid, ex eo quod aptum est multis inesse, aptum quoque est de multis praedicari.

eiusdem essentiae praedicari queat. Hinc intelligere licet, cur haec notio *individualis*, τό ἄτομον, aut *singularis*, τὸ καθ' ἕκαστον, dicta sit. Nam pro eo quod dicitur individualis, significatur ipsam neque actu, neque potestate in plura dividi posse, eo modo, quo universalis divisibilis intelligitur. « De ratione individui, s. Thomas ait, duo « sunt, scilicet quod sit ens actu vel in se, vel in alio, « et quod sit divisum ab aliis, quae sunt, vel possunt esse « in eadem specie, in se indivisum existens [1] ». Pro eo autem, quod dicitur singularis, illam, secus ac universalem, non posse tanquam pluribus communem intelligi denotatur. « Illud, idem sanctus Doctor inquit, quod nec actu, « nec intellectu de pluribus dici potest, est singulare [2] ».

Particularis autem aliqua notio dicitur, non prout per se, et absolute, sed prout universali subiecta consideratur, quia omnis notio, quae alicui universali subiicitur, de ipso universali non *universe*, μὴ καθόλου [3], sed *ex parte*, ἐν μέρει, vel κατὰ μέρος [4], praedicatur. Iam, quandoquidem tanquam universali subiectum considerari potest tum aliquid minus universale, uti species generi, puta homo animali, tum aliqua collectio individuorum speciei, puta Socrates, Plato, Aristoteles homini, liquet particulare esse quandoque collectionem individuorum relatam ad speciem, cui individua subiiciuntur, quandoque autem universale, quod aliud universale supra se habet. Ex. gr. particularis est non solum notio aliquorum hominum iustorum relata ad notionem hominis, sed etiam aliquorum animalium rationalium relata ad notionem animalis. Nec repugnat eamdem notionem esse universalem, et particularem, quia diversi sunt termini, ad quos ipsa sub alterutro respectu refertur. Revera, eadem notio est universalis, prout de individuis, aut de aliqua notione minus universali praedicatur, et

---

[1]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, *sol.* 3 ad 3.
[2]) *In lib. III Sent.*, Dist. II, *Expos. text.*
[3]) *De interpr.*, c. 7, p. 17.—[4]) *Anal. Post.*, I, p. 24, a. 8.

est particularis, prout alii notioni magis universali subiecta consideratur. « Nihil prohibet, Aquinas noster scribit, « unam, et eamdem causam esse universalem respectu « inferiorum, et particularem respectu superiorum, sicut « et in praedicabilibus accidit: nam animal, quod est « universale respectu hominis, est particulare respectu « substantiae [1] ». Perspicuum autem est notionem particularem et quae speciem, tamquam subiectam generi, et quae collectionem individuorum, tamquam subiectam speciei, denotat, ab universali differre, quia species est quoddam universale, non prout generi subiicitur, sed prout de individuis praedicatur, et notio, quae plura individua complectitur, etiamsi omnia individua eiusdem speciei, quae sunt, complectatur, ad individua, quae esse possunt, non porrigitur.

Ex iis, quae de natura notionis universalis, et de discrimine, quod inter ipsam, et notiones singularem, et particularem intercedit, diximus, haud difficulter intelligitur notionem universalem confundendam non esse neque cum collectiva, quemadmodum ab Ockamo [2] inter Scholasticos, et a Nizolio [3], Robineto [4], Smitho [5] aliisque factitatum est, neque cum notione typica, uti Rosminio [6], post Condillacum [7], placuit.

Quod ad priorem sententiam attinet, notandum est in

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VI, a. 1 ad 1. Qui plura cupit, adeat Albertum M., *De praedicabilibus*, tract. 3, c. 4.

[2]) *Summa totius logices*, c. 15, 16, 20, Venetiis 1591; *Quodlib.* III, q. 6; Parisiis 1487; *Super libros Sent.*, Dist. II, q. 7 et 8, Lugduni 1495.

[3]) *Antibarbarus, seu De variis principiis, et vera ratione philosophandi*, lib. III, c. 7, ed. Leibnitius, Francofurti 1674.

[4]) *De la nature*, part. V, § 15, vol. II, p. 56 sqq, Amsterdam 1763.

[5]) *De l' origine des langues* apud Dugald-Stewart, *Élemens de phil.* trad. Peisse, c. 4, sect. I, t. I, p. 113, Paris 1845.

[6]) *Nuovo Saggio sull'origine delle idee*, sez. III, c. 2, a. 10, et sez. V, part. 2, c. 3, Napoli 1842.

[7]) *Traité des sensat.*, p. IV, c. 6, § 4, *Oeuvr.* t. III, p. 387.

primis notionem collectivam eam esse, quae plures res singulares aliquo ordine comprehensas complectitur, puta populum, exercitum et caetera id genus. Vnde s. Thomas docuit duo in qualibet collectione occurrere, eaque esse pluralitatem rerum singularium, et ordinem ipsis comprehensum. « Nomen collectivum, scribit, duo impor- « tat, scilicet pluralitatem suppositorum, et unitatem « quandam, scilicet ordinis alicuius. Populus enim est « multitudo hominum sub aliquo ordine comprehenso- « rum [1] ». Iamvero, notio collectiva, et notio universalis prima fronte secum consentire videntur, quia ambae quamdam communitatem, et unitatem habent; sed, si penitus inspiciantur, ipsas valde inter sese differre patescet. Discriminis ratio cum Alberto M. ex eo petenda est, quod in notione universali unitas est principium multitudinis, et in notione collectiva multitudo est principium unitatis. « Collectio, inquit, incipit a multis, et ter- « minatur ad unum. Adunatio incipit ab uno, et termi- « natur ad plura, quae in uno uniuntur [2] ». Nam, cum intelligimus ex uno multa oriri, unum secundum totum se in singulis esse intelligimus, quia multa unum secundum plures modos determinatum exhibent. Sed, cum multa efficiunt unum, hoc unum secundum aliquam partem dumtaxat in unoquoque multorum est. Ex his perspicitur illud potissimum inter universale, et collectivum differre, quod universale est totum in singulis, quae ipsi subiecta sunt, collectivum autem in singulis, ex quibus efficitur, partim inest, in omnibus simul sumtis totum. Ex. gr. Socrates est homo, itemque Plato; at non singuli milites, sed omnes sunt exercitus, neque singuli cives populus, sed omnes. Namque in notione universali, ut inferius videbimus, illud unum, ad quod plura revocantur, omnibus, et

---

[1]) I, q. XXXI, a. 1 ad 2; cf *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. II, a. 2 ad 3. *Suppositum*, ὑπόστασις, uti alibi videbimus, dicitur individuum, quatenus omne individuum per se est, sive *subsistit*.

[2]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 1.

singulis, ad quae ipsa notio porrigitur, commune est; sed in notione collectiva unum, ad quod plura revocantur, non est aliquid, quod singulis, quae ipsa notione continentur, inest, sed aliquid, per quod plura ordinem quemdam inter se habent. Itaque scite Albertus M. duplex discriminis caput inter utriusque generis notiones statuit. Primum est, quod notio universalis est totum logicum, quia illud repraesentat, quod intellectus in pluribus deprehendit, notio collectiva vero est totum integrale, quia ex pluribus, tamquam ex partibus ipsum componentibus, efficitur. Alterum est, quod notio universalis secundum totam suam essentiam singulis pluribus convenit, quia illud, quod singulis commune est, repraesentat; notio collectiva vero non singulis pluribus, sed pluribus simul sumptis convenit, quia, cum vis totius integralis ex viribus singularum partium efficiatur, nequit uni parti convenire id, quod toti convenit [1]. Hoc secundum discriminis caput manifeste s. Thomas innuit hoc in loco: « Vniversale est secundum « essentiam, et completam virtutem in qualibet sua « parte, unde de omnibus aequaliter praedicatur, sed « integrale nec est secundum essentiam, nec secundum « virtutem totam in unaquaque suarum partium; et id- « eo nullo modo de parte praedicatur [2] ».

Quod ad alteram sententiam attinet, Rosminius contendit notionem universalem non esse aliud, quam notionem rei singularis ab existentia ipsius rei seiunctam, seu rei, prout possibilis est. Enimvero, quaelibet res considerata, prout est possibilis, est typus, secundum quem cunctae res eiusdem naturae existere possunt, ob idque in cunctis individuis eiusdem naturae inveniri quit. Atqui notio illius, quod in pluribus inveniri potest, est universalis. Ergo *universalis* est notio cuiuslibet rei, prout ab existentia eius seiuncta consideratur, sive prout

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.
[2]) *In lib. II Sent.*, Dist. IX, q. I, a. 3 ad 1.

possibilis est. Ex quo patescit notionem, Rosminii iudicio, ex eo esse universalem, quod est typica, scilicet quod mens intelligit posse existere plures res singulares, quae illi respondent, et quamlibet notionem rei singularis esse typicam, prout res ab existentia seiuncta, hoc est, tamquam possibilis, consideratur. Quocirca universalitas notionis repetenda est a possibilitate rei notione repraesentatae, per quam ipsa res, tamquam typus omnium rerum existentium eiusdem naturae, intelligitur.

At vero, opinio Rosminii de natura notionis universalis in primis falso fundamento innititur. Et sane, Rosminius, cum asseruit notionem universalem esse ipsam notionem rei singularis, prout res possibilis est, sumsit notionem universalem aliquid exhibere, cui existentia relative opponitur, quippe quod existentia, et possibilitas sibi invicem opponuntur. At notioni universalitatis notio existentiae relate non opponitur. Etenim, universale, quocumque modo explicetur, ad aliquid, prout singulare est, tanquam sibi oppositum, refertur. « Est, s. Tho« mas subdit, de ratione individui, quod non possit in « pluribus esse [1] »; atque alibi: « Vniversale, et singu« lare sunt differentiae . . entis [2] ». Hinc, si notioni universalitatis notio existentiae relate opponeretur, notionem existentiae eamdem esse, ac notionem singularitatis, dicendum foret. Atqui notiones singularitatis, atque existentiae sunt diversae; si quidem existentia, eodem Rosminio consentiente, est id, per quod essentia *actu* est, seu, ut Scholae aiunt, est *complementum*, et *actualitas* essentiae, singularitas autem est id, per quod essentia una, et incommunicabilis fit. Ergo notioni universalitatis notio existentiae relate non opponitur. At, si notiones universalitatis, et existentiae sibi relate non opponuntur, liquet notionem possibilitatis, quae notioni existentiae relate opponitur, cum notione universalitatis unam, eamdemque non esse. Idem argumentum contrahi potest ad

---

[1]) 3, q. LXXVII, a. 2 c.—[2]) *Contr. Gent.*, lib. I, c. 65, n. 3.

hanc breviorem formam: Vniversale non innuit aliquid, quod existentiae opponitur, quia « commune, ut s. Bona- « ventura advertit, quantum est de se, indifferenter se « habet ad actum, et ad potentiam [1] ». Atqui possibile, cum sit id, quod *in potentia* est, aliquid innuit, quod existentiae opponitur. Ergo universale, et possibile unum, idemque non sunt. Quod si universale, et possibile unum, idemque non sunt, concludendum adversus Rosminium est notionem alicuius rei non esse universalem ex eo quod res, prout possibilis est, consideratur. Ex quo vides Rosminium notionem universalem perperam definivisse. eo quod singularitatem possibilitati, et universalitatem existentiae relative opponi existimavit, cum reapse possibilitati existentia, et universalitati singularitas opponatur. Cl. Philosophus vero, uti alibi videbimus, in hunc errorem lapsus est, quia sensit existentiam esse principium, per quod essentia individua, et singularis fit. Quapropter ad absolutam sententiae rosminianae confutationem ostendendum nobis esset existentiam non esse verum principium individuationis; sed de abstruso hoc Philosophiae capite alibi disserendum nobis erit.

Praeterea, opinio Rosminii de natura notionis universalis absurda in se est. Nam, si notio, seu idea ex eo universalis dicatur, quod plura repraesentare potest, tenendum est universalem esse non solum ideam, quae essentiam rei ab omni principio ipsam individuante seiunctam, sed etiam ideam, quae eamdem essentiam, prout a principiis quibusdam individualibus determinatur, repraesentat, propterea quod, quemadmodum essentiam, priori modo consideratam, pluribus inesse intelligi potest, ita essentiam, posteriori modo consideratam, tanquam plurium individuorum exemplar, intelligere licet. At vero, si essentiam priori modo consideratam, posse esse universalem indubium est, quia ipsa, tanquam

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. V, a. 11, q. 2 *resol.*.

apta multis inesse, intelligi potest, omnino falsum est universalem quoque esse posse essentiam posteriori modo consideratam, eo quod ipsa, tanquam plurium individuorum exemplar, intelligi quit. Re vera, essentia, prout a principiis ipsam individuantibus determinatur, nempe prout individua, et singularis est, cum tanquam exemplar plurium individuorum intelligitur, principiis, per quae individua, et singularis est, minime expoliatur, quia ipsa non potest esse exemplar, vel typus plurium individuorum, nisi prout ab illis principiis determinatur, nempe prout individua, et singularis est. Quamobrem, si individuum ex eo, quod plurium individuorum exemplar esse potest, universale esse dicatur, procul dubio ipsum per illud, quod est individuum, esse etiam universale dicendum est; id quod apertissimam contradictionem continet.

Accedit, quod, si universale non aliud esset, quam ipsum singulare, prout plurium aliorum singularium exemplar est, Nominalium sententia de vi universalium tenenda nobis foret. Enimvero, Nominales, uti alibi videbimus, autumabant universale non esse aliud, nisi conceptionem animi, quae plures res singulares repraesentat [1], quia mens humana, postquam plures res singulares similes novit, conceptionem sibi efformat, quae singulis illis individuis similibus convenit, simulque vocem adhibet, quae illas perinde significat. Atqui, si notio universalis, uti Rosminius contendit, esset notio singularis, prout est typus, seu exemplar plurium rerum singularium, ipsa, uti per se patet, non aliud esse posset, quam conceptus singularis, qui plures res singulares repraesentat. Ergo, admissa sententia Rosminii de natura notionis universalis, sententia Nominalium de vi universalium admittenda etiam foret. Iamvero, haec sen-

[1]) Re vera, ab Ockamo qui ceteris fusius, et explicatius hanc sententiam exposuit, et propugnavit, universale definitum fuit: *Conceptus, sive vox plura significans.* Vid. *Summa totius logices*, c. 15, 16, et 20, ed. cit. Sed de hac controversia alias.

tentia Nominalium, eodem Rosminio docente, et absurda in se est, et ad exitiales errores ducit. Necesse est igitur absurdam quoque esse sententiam Rosminii, qua ideae universales cum ideis typicis confunduntur.

Denique, ut notionis universalis explicationem absolvamus, cum Aristotele admonemus in qualibet notione distingui oportere, et ea, quae *ipsi insunt*, puta *trigono lineam*, *et lineae punctum*, et ea, quae ipsi *subiecta sunt*, puta *lineam rectam*, *aut curvam* [1], si quidem omnis notio habet aliquid, ex quo ipsa efficitur, et aliqua, ad quae porrigitur. A Scholasticis, quos Trendelenburgius, aliique nuperi secuti sunt, primum *complexus*, alterum *ambitus* notionis nuncupata fuerunt, propterea quod ipsa quodammodo *complectitur* ea, quae ipsi insunt, et ea, quibus convenit, *ambit*; Cartesiani, et Wolfiani pro complexu *comprehensionem*, et pro ambitu *extensionem* dixere.

Iamvero, complexus, et ambitus notionis contrarie se habent, quia, quo maior est eius complexus, eo minor est ambitus, et contra ea, quo maior est ambitus, eo minor est complexus. « In quolibet genere, ait s. Tho- « mas, quanto aliquid est prius, tanto est simplicius, et « in paucioribus consistens [2] ». Cuius rei ratio, ut inferius dicemus, est, quod differentia, eo ipso quod essentiam in genere inchoatam perficiens constituit speciem, ipsum genus dividit, ex quo efficitur, ut quaelibet specierum, in quas genus dividitur, habeat aliquid, quod generi non inest, scilicet differentiam, sed non ambiat, uti genus, speciem contrariam. Hinc cuilibet speciei aliquid inest, quod

---

[1]) Vtrumque videre licet in duabus primis significationibus τοῦ καθ' αὑτό, quas Aristoteles in *Anal. Post.* lib. I, c. 4 explicuit, atque in *Met.* lib. V, c. 8 rursus inculcavit. Nam κατ' αὑτό significat tum ea, quae notioni insunt, nempe *complexum*, tum ea, quae notioni subiecta sunt, nempe *ambitum*. Idem innuisse visus est, ubi ea, quae insunt, ἐνυπάρχειν, et ea, quae notioni subiiciuntur, ἐνυπάρχεσθαι dixit; *Anal. Post.*, l. c. et c. 22. Cf Trendelenburg, *Elem.* § 58, p. 134, n. 1, et Kuhn, *Comment.* cit. § 6, p. 26, 27.

[2]) 1ª 2ªe, q. XIX, a. 2 c.; cf *Quodlib.* III, a. 6 c.

non inest generi, scilicet differentia, sed quaelibet species pauciora, quam genus, sibi subiecta habet. Ex. gr. complexus hominis maior, quam animalis, est, quia homini animal per rationem perfectum inest, sed minor est ambitus, quia animal non solum notionem hominis, sed etiam belluae ambit. Ex his intelligere potest in generibus, et speciebus id evenire, ut universale, prout per differentias, alias aliis succedentes, magis contrahitur, eius ambitus minuatur, et complexus augeatur, et, prout differentiae, quae universale dividunt, ab eo separantur, crescat ambitus, et decrescat complexus. His in antecessum notatis, ad singulorum universalium explicationem accedamus.

ARTICVLVS SECVNDVS

De genere, et specie

A genere, et specie incipientibus [1] illud principio nobis monendum est, haec duo universalia eiusmodi esse, ut nonnisi aliud ex alio intelligi, et explicari, sive, ut logica voce utamur, *definiri* [2] possit. Namque, uti scite Alb. M. argumentatus est, genus, et species ad se invicem referuntur; non enim est genus, nisi cui species subiiciuntur, neque species est, nisi quae genere continetur: unde genus, et species non absolute, sed genus specierum, et species generis dicuntur. Atqui illa, quae ad se invicem referuntur, nonnisi ex se invicem intelligi possunt; quia horum relatorum essentia in mutua relatione

---

[1]) De his duobus universalibus Porphyrius disseruit in c. 2 suae *Introductionis*, quam ut de ceteris taceamus, Theoph. Buhle evulgavit hoc titulo, *Introductio de quinque vocibus*, inter *Opp.* Arist. t. I, p. 369 sqq, Biponti 1791.

[2]) Cum definitio explicet, uti alibi dicemus, quid res sit, et, cum quaelibet res non intelligatur, nisi cum, quid ipsa sit, cognoscitur, perspicuum est quamlibet rem per illud ipsum, per quod definitur, intelligi.

sui consistit, et nihil intelligitur, nisi eius essentia intellecta. Genus igitur, et species eiusmodi sunt, ut unum ex altero, et vicissim explicanda sint: « . . . genus relativum vere est: est enim genus alicuius genus, et species alicuius species: est enim genus speciei genus, et species generis species: et ideo relativorum, quae sunt simul natura, unum diffinitur per reliquum, quorum utrumque dependentiam habet ad alterum: necesse est in utroque relativorum rationibus uti, nominibus, et diffinitionibus utrorumque. Non enim est inconveniens, quod unum relativorum ponatur in diffinitione alterius, et e converso . . . quia relativorum est esse hoc ipsum quod est ad aliquid se habere, et quod ad aliud se habet secundum esse quod est: et, cum diffinitio dicat esse rei, non potest diffinite sciri res, nisi per id, ad quod se habet, et sic oportet utrumque definiri per reliquum [1] ».

Neque id, ut Ferrariensis advertit, mirum videri debet. Nam, si quidquam tum intelligitur, cum intelligitur, prout in se est, liquet ea, quae non sunt per se, sed per aliud, non ex se, sed ex alio, per quod sunt, intelligi oportere. Iamvero, quandoquidem relata, cuiusmodi sunt genus, et species, non sunt per se, sed unum per aliud, unum nonnisi per aliud intelligi potest [2]. S. Ioannes Damascenus, Porphyrii vestigiis insistens [3], id egregie declaraverat: « Scire operae pretium est, ut, quemadmodum loquentes de patre, necessario quoque de filio sermonem habemus, nam ille dicitur pater, qui filium habet, itemque de filio verba facientes, quia filius dicitur, qui patrem habet, eodem modo hic quoque fieri non potest, ut quispiam de genere sine specie, aut de specie sine genere pertractet. Genus enim in species di-

[1]) *Op.cit.*, tract. IV, c. 1.

[2]) *Annott. in lib. Post. Analyt. Arist. et s. Thom.*, p. 4, col. 2, Venetiis 1517.

[3]) *Op. cit.*, c. 2, § 20.

« vidatur necesse est, et quod species ex se divisas « non habet, genus non est. Consimili quoque ratione « species ex genere dividuntur; et quae carent genere, « non sunt species [1] ».

Audiendi vero non sunt, qui putant id omnino repugnare, propterea quod, cum necesse sit minus notum ex magis noto explicari, sumitur genus esse specie notius, et ignotius, et vicissim: quod certe absurdum, et repugnans est. At perperam. Etenim, repugnat unum esse notius, et ignotius altero eadem, sed non diversa ratione, qua id, quod secundum plures rationes considerari potest, non est unum, sed multiplex. Iamvero, relatorum, quae ex se invicem explicantur, eodem Alberto M. monente, unum est altero notius, et ignotius non eadem, sed diversa ratione. Nam, cum relata ex se invicem cognoscantur, prout unum est terminus alterius, et vicissim, liquet unum relatorum esse altero notius, prout est terminus, ex quo alterum cognoscitur, ignotius vero, prout est principium illius termini, per quem cognoscitur. Quamobrem, cum genus explicatur ex specie, tamquam ex termino, cuius ipsa principium est, ignotius est specie; cum vero species explicatur ex genere, tamquam ex termino, ad quem referri intelligitur, genus est notius specie. « Idem « autem, Beatus Doctor concludit, prius, et notius « esse reliquo, et e converso non est inconveniens, non « secundum idem; sed secundum diversa: habito enim « respectu generis ad speciem, species genere notior est. « Si autem habetur respectus speciei ad genus, nihil « prohibet genus, quam species, notius esse, et sic « utrumque per reliquum definiri [2] ».

Bene habet. Genus non potest esse, nisi relatum ad speciem, ita ut essentia generis in sua relatione ad spe-

---

[1]) *Dialectica*, c. 10.

[2]) *Op. cit.*, ibid. Legere iuvabit Ferrariensem, *Op. cit.*, p. 4 sqq, ex quo haec pauca: « . . . utrumque correlativorum est no- « tius altero, ut terminus, ignotius, ut terminatur, ideo non est « inconveniens unum ad aliud definiri »; *Ibid.*, p. 5, col. 1.

ciem consistat. At quaestio inter Philosophos existit, utrum genus necessario ad plures species relatum intelligendum sit, an ad unicam speciem relatum etiam intelligi queat. De hac re non convenit inter omnes Scholasticos. Nos Alberti M., s. Thomae, et Scoti opinioni adstipulamur, qui secundum Stagiritam [1] docuerunt non posse intelligi genus, nisi ad plures species referri intelligatur. Re sane vera, genus ad speciem, tamquam superius ad inferius, referri intelligitur. Superius autem ad inferius contractum intelligi non potest, nisi per aliquod principium, quod *actu* in inferiori est. Iam, principium, quod genus ad speciem contrahit, quodque *differentia specifica* vocatur, cum genus ad speciem contrahit, genus dividit, quia essentiam generis simpliciter consideratam ab essentia per aliquam qualitatem determinata dividit. Puta, ratio animali addita, eo ipso, quod speciem hominis constituit, animal irrationale a rationali distinguit. Quod, si speciem ex genere per differentiam constitui nonnisi ex eo intelligi potest, quod genus in plures species divisum intelligitur, consequens est genus non posse intelligi, nisi ipsum ad plures species referri intelligatur. Albertus M. argumentum, quod modo confecimus, concinnavit in hunc modum: Genus non refertur ad speciem, nisi determinetur per differentiam, namque differentia, prout addita generi intelligitur, genus dividere, speciemque efficere intelligitur. At vero, differentiam genus dividere intelligi nequit, nisi tamquam *multiplex*, et *opposita* intelligatur; multiplex, quia unam speciem ab alia per propriam differentiam determinata distinguere debet, opposita autem, quia, eo ipso quod unam speciem ab alia dividit, opposita evadit. Genus igitur non refertur ad speciem, nisi divisum per differentias sibi invicem oppositas. Quandoquidem vero

---

[1]) « Si generis non sit altera species (*idest si genus non habeat « duas saltem species*), manifestum est quod omnino non erit ge« nus »; *Top.*, lib. IV, c. 3.

plures differentiae plures species efficiunt, consequitur genus non posse intelligi, nisi ipsum per plures species dividi, proindeque ad plures species referri intelligatur. « Genus, Beatus Doctor scribit, ad speciem non « deducitur, nisi divisum per differentias : quae, cum op- « positae sint, et divisivae respectu generis, constituti- « vae autem respectu speciei, oportet plures esse. Dif- « ferentia divisiva, dicit Damascenus, est causa mate- « riei formarum, sicut divisio per materiam est causa « numeri individuorum. Et ideo communitas generis « ambit species constitutas oppositis differentiis [1] ».

Assertores contrariae sententiae argumentatione usi sunt, quae huc redit : Non repugnat aliquid intelligere secundum illum modum, quem non repugnat ipsum habere in rerum natura. Atqui non repugnat esse in natura genus, quod unicam speciem actu habet. Ergo non repugnat intelligere genus relatum ad unicam speciem. Ast, hoc argumentum futile est. Primo enim, etiamsi demus esse posse in rerum natura genus, quod unicam speciem habet, certe hac unica specie totum ambitum eius exhauriri intelligi nequit. Hinc, si non repugnat intelligere genus, quod unicam habet speciem, repugnat intelligere genus, cuius ambitum unica species exhaurit. At, si id repugnat, repugnat quoque intelligere genus ita ad unicam speciem relatum, ut non intelligatur ad alias referri, proindeque repugnat intelligere genus, quin plures species ei subiici intelligatur. Itaque ad notionem generis constituendam, si necesse non est, ut intelligatur genus actu esse in pluribus, necesse est, ut genus posse de pluribus praedicari, simulque plures species ei subiici actu intelligatur. Hoc modo post Albertum M. [2] adver-

---

[1]) *Op. cit.*, tract. III, c. 3; cf *ibid.*, c. 2. Damascenum, tamquam huius sententiae fautorem, merito Albertus laudavit. Ipse enim praeter alia, quae praeterimus, hoc quoque scripsit: « Ne- « que enim fieri potest ut differentiae constituentes, per opposi- « tum modum divisae, in uno, ac eodem simul existant » (*Dialectica*, c. 41).

[2]) En verba Beati Doctoris: « Quod etiamsi poneretur, quod

sariis Scotus respondit : « Si aliquid est aptum na-
« tum dici de pluribus differentibus specie ; ergo plura
« differentia specie sunt apta recipere praedicationem il-
« lius ; igitur, si illa aptitudo sufficit ad genus , consi-
« milis aptitudo participandi sufficit ex parte speciei ;
« igitur si aliquid sit genus actu propter talem apti-
« tudinem, illa multa , quae participant ipsum aptitu-
« dinaliter, erunt actu species. Ergo omne genus habet
« multas actu species [1] ». Secundo , falsum est posse esse in rerum natura genus , quod unicam speciem habet. Nam, cum genus, per oppositas differentias in species dividatur , species , tamquam *contraria* , se invicem habent , puta animal *irrationale* et *rationale* , ob idque una imperfectum , altera perfectum in quolibet genere exhibet. Atqui ordo naturae , quemadmodum saepe observandum nobis erit, expostulat , ut , si unum contrariorum est, sit quoque alterum, ideoque, si in unoquoque genere est perfectum, sit etiam imperfectum, et vicissim. Ergo fieri nequit , ut in natura rerum una alicuius generis sit species. Hoc altero modo argumentum adversariorum s. Thomas reiecit : « Non est possibile inveni-
« re aliquod genus, cuius una tantum sit species. Genus
« enim dividitur in species per oppositas differentias.
« Oportet autem , si unum contrariorum inveniatur in
« natura , et reliquum inveniri , contraria enim simul
« innotescunt, ut perfectum , et imperfectum. Et ideo ,
« si una species invenitur, invenitur et alia [2] ». « Vni-
« versale, alibi idem sanctus Doctor ait, exigit pluralita-
« tem in his, quae sub ipso continentur vel in actu, vel

« non esset nisi una species, ut diceremus non esse nisi hominem,
« et nullam aliam speciem animalis, adhuc praedicaretur animal
« de homine, ut genus: quia de potestate et ambitu naturali ani-
« malis est, et de aptitudine generis, quod dividatur oppositis
« differentiis. Non enim solum universale est quod praedicatur,
« sed quod aptum natura est praedicari de multis »; *Op. cit.*, tract. III, c. 3.

[1]) *Super Vnivers. Porphyr.*, c. XVIII, n. 4.

[2]) *In lib. I Poster. Analyt.* lect. XII.

« in potentia ; in actu, sicut est in genere , quod sem-
« per habet actu plures species [1] ».

Quae cum ita sint, quisquis facile videt genus *logice*, nempe prout notio intellectus est , consideratum illud essentia sua expostulare, ut ad plures species relatum intelligatur. Quocirca essentia generis , prout notio est , de qua logicus agit , in sui relatione ad plures species consistit.

Ex his , quae hactenus diximus , facile conficitur genus esse « *quod de pluribus specie differentibus , se-*
« *cundum essentiam simpliciter sumptam, praedicatur* ». Re vera, hoc modo genus cum ab individuo, tum a reliquis universalibus discriminatur. Et primum, ab individuo differt, quia hoc, cum unicam rem singularem denotet, de uno tantum praedicatur , uti hic homo Socrates appellatur [2] ; genus autem de pluribus, uti animal de homine, de bove, de equo, aliisque. A specie autem, et proprio differt, quia genus praedicatur de pluribus specie differentibus, cum species, et proprium praedicentur de pluribus numero differentibus, licet diversis modis, uti esse hominem , et esse risibilem de singularibus his et aliis hominibus. Sunt , qui genus etiam de individuis praedicari posse sibi persuadent ex eo quod , cum praedicetur de specie, potest etiam praedicari de individuis , in quibus species existit. At perperam. Namque , uti Albertus M. post Damascenum advertit, differentia genus non in individua, sed in *formas* , seu species , dividit, quia ipsa genus per qualitatem essentialem , quae *potestate* in eo est, determinat , species autem , uti alias ostendemus , fit individuum , ex eo quod per principia quaedam materialia determinatur. Quocirca genus proprie praedicatur de specie, quia, cum sit principium im-

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. IV, a. 2 c.

[2]) Haec praedicatio, etsi sit vera, est tamen impropria, quia nihil de se ipso praedicari proprie dici potest. « Quod praedica-
« tur, ait s. Thomas, . . . propter rei identitatem, non praedica-
« tur per se »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VIII, a. 2 ad 6.

mediatum speciei, species immediate sub ipso ponitur; sed proprie non praedicatur de individuo, quia, cum non ipsum, sed materia sit principium, per quod species individua fit, individuum per speciem, non per se, proindeque mediate sub genere collocatur [1]. E. g. Socrates dicitur hic homo, non quia est animal, sed quia est animal ratione praeditum, quod habet hanc carnem, et haec ossa; unde generi animalis subiicitur non ex eo, quod est hic homo, nempe quod hanc carnem, et haec ossa habet, sed ex eo quod ad speciem hominis pertinet, nempe quod est animal ratione praeditum [2]. Inde sane fit, ut nos possimus nobis notionem generis conficere sine notione individui, sed non sine notione speciei. Praeterea, genus a differentia distinguitur, quia genus essentiam, sive naturam rei simpliciter innuit, puta hominem esse animal; differentia autem qualitatem essentialem, quia differentia essentiam, quae in genere simpliciter est, determinat, speciemque efficit. Ita interroganti simpliciter, quid sit homo, respondetur esse animal, et interroganti ulterius, quale sit animal, respondetur esse animal ratione praeditum. Hinc s. Ioan. Da-

---

1) « Propter quod, ait B. Doctor, aliter dici oportet, quod est « positio, quae tota principiatur ex genere secundum id, quod « est in eius potestate; et sic species ponitur sub genere, ita quod « genus est principium suae positionis. Et est positio, quae non « causatur a genere, sed potius ex materia: et haec est individui « positio, et ideo haec non sic ponitur sub genere, quod genus « sit illius positionis principium ». Haec ipse exposuit, ut illud demonstraret, quod proposuerat, nempe « quod individuum non « ponitur sub genere positione immediata. Species autem imme« diata positione ponitur sub genere »; *Op. cit.*, tract. IV, c. 1.

2) De hac re, quae alibi copiose nobis explicanda erit, iuvat in praesentia s. Thomam audire: « Inter individua eiusdem spe« ciei hoc modo consideranda est diversitas secundum Philoso« phum *VII Met.*, quia, sicut partes generis, et speciei sunt ma« teria, et forma; ita individui sunt haec materia, et haec for« ma. Vnde sicut diversitatem in genere, vel specie facit diver« sitas materiae, vel formae absolute; ita diversitatem in numero « facit haec forma, et haec materia »; *Super Boeth. De Trin.*, lect. I, q. II, a. 2 c.

mascenus maiorem esse ambitum generis, quam differentiae, statuit : « Genus latius patet , quam subiectae illi « differentiae [1] ». Denique genus ab accidente etiam differt , quia hoc aliquid , quod essentiae adventitium est, ὡς ἐπουσιῶδες, ut Damascenus scribit [2], significat.

Vt quid discriminis inter genus , et reliqua universalia sit , facilius intelligatur , nosse iuvat, quomodo alii Logici istud discrimen exposuerint. Hi nimirum docuere genus 1° differre a differentia, proprio, et accidente, eo quod genus essentiam, οὐσίαν, subiecti , differentia autem, proprium , et accidens qualitatem, ποιότητα , quae essentiam generis vel determinat, vel determinatam aliquo modo afficit, denotant, seu, ut Scholae post Graecos aiebant, eo quod illud praedicatur *in quid est*, ἐν τῷ τί ἐστι, haec autem *in quale est* , ἐν τῷ ὁποῖόν ἐστι [3] ; 2° differre a specie, quia haec essentiam aliter , ac genus, denotat. Re vera , differentia significat , *qualis* est essentia, quae genere continetur ; puta interroganti quale animal homo sit, respondetur esse *animal rationale*. *Proprium*, et *accidens* qualitatem exhibent, quae extra essentiam est, et quidem proprium *necessariam*, puta hominem esse *risibilem*, et accidens *fortuitam*, puta hominem esse *sagacem*. Species autem essentiam subiecti *determinatam*, ob idque totam essentiam eius exhibet, ex. gr. hominem esse *animal rationale*, cum genus partem eius denotet, puta hominem esse *animal* [4].

---

[1]) *Dialect.*, c. 19. — [2]) *Ibid.*, c. 18.

[3]) Fuerunt, qui contenderent differentiam, secundum Porphyrium, non in *quale est*, uti proprium, et accidens, sed in *quale quid est* ἐν τῷ ὁποῖόν τί ἐστι, praedicari. Ast oppido falsi sunt; si quidem Porphyrius eamdem formulam usurpavit, et cum de accidenti, et cum de differentia locutus est (*Op. cit.* c. 2). Quocirca particulam *quid*, τί, ad elegantiam, non ad aliquod discrimen significandum, ab eo additam fuisse tenendum est. Certe, Damascenus in eodem loco, in quo universalia in universum ex eo discriminavit, quod alia in *quid est*, alia in *quale quid est* praedicantur, asseruit differentiam significare *quale sit*. « Omnis vero differentia quale est, ὁποῖόν ἐστιν »; *Op. cit.* c. 17, et 18.

[4]) Vid. s. Ioan. Damasc., *Op. cit.* c. 17, et 18, in quibus hanc rem

Illud quoque monendum cum sancto Damasceno est, genus, eo quod de pluribus specie differentibus praedicatur, definiri etiam posse illud, *cui species subiicitur*, vel quoque illud, *quod dividitur in species*. E re est afferre locum, in quo eruditissimus hic Pater varias definitiones generis tradidit: « Genus rursus id dicitur, cui species « subiicitur, v. gr. sub animali sunt homo, equus, et « aliae species. Itaque animal genus est.... Quod etiam « ad hunc modum definimus: genus est, quod de plu- « ribus specie differentibus in quid est praedicatur, ut « animal genus est, quod de homine, equo, et bove, « aliisque pluribus in quid est praedicatur, quae qui- « dem inter se specie discrepant. Alia enim hominis « species, et alia equi, et alia bovis. In quid est au- « tem praedicatur. Nam, cum ex nobis quaeritur quid « sit homo, dicimus, Animal. Simili etiam modo, cum « quaeritur quid est equus? Animal, dicimus. Itaque ge- « nus est id, cui species subiicitur. (Est item genus, quod

---

luculenter exposuit. Hinc Scholae docebant omnem praedicationem esse vel *in quid*, vel *in quale*, quia genus et species *in quid*, et differentia, proprium et accidens *in quale* praedicantur. Sanctus Damascenus in cap. XVII *Dial.*, quod *De praedicationibus in quid est, et in quale quid est* inscripsit, ait: « Itaque genus et « species in quid est praedicantur: differentia autem tam sub- « stantialis, quam accidentalis, hoc est accidens, et proprium, in « quale quid est praedicantur ». Scholastici addebant genus, et speciem ab se differre, quod illud *in quid incomplete*, haec autem *in quid complete* praedicatur, et tria alia universalia inter se distingui, quod differentia praedicatur *in quale essentiale*, proprium *in quale accidentale necessarium*, et accidens *in quale accidentale contingens*, nempe fortuitum. Quocirca Albertus M. tria *qualia* recensuit, quorum unum differentiae, alterum proprii, postremum accidentis est. Horum discrimina ab ipso B. Doctore discere iuvabit: « Vnde logice loquendo tria qualia sunt composita. Spe- « cies cum differentia est quale essentiale, et dicitur quale secun- « dum differentiam, et non secundum se, et quale ipsum diffe- « rentia in subiecto existens. Secundum autem quale est pro- « prium, quod quale secundum, qualitatem dicitur proprietatis, « id est proprii. Tertium est quale accidentis, quod quale dici- « tur secundum qualitatem accidentis »; *Op. cit.*, tract. V, c. 5.

« dividitur in species.) Nam genus in species dividitur, « latiusque patet, quam species, ac species complectitur, « iisque superius est [1] ».

Neque illud missum volumus, genus, uti s. Thomas monuit, non solum a vulgo, sed etiam ab ipsis Philosophis interdum late sumi, ut id significetur, quod multa complectitur. « Dicendum, inquit, quod genus dupliciter « potest accipi. Vno modo proprie, prout praedicatur « de pluribus in eo quod quid est . . . . Alio modo « communiter, ut genus dicatur omne id quod sua « communitate multa ambit, et continet [2] ».

De genere satis; ad speciem accedamus. Porphyrius in enumeratione universalium differentiam ante speciem posuit; sed in illis explicandis post genus illico de specie egit. Et scite quidem. Etenim ordine naturae differentia speciei antecedit, si quidem genus speciem non *actu*, sed *potestate* continet; differentia autem est id, quod genus ad speciem determinat; species autem ex genere et differentia efficitur. « Forma generis, in- « quit s. Bonaventura, respectu illius (*speciei*) est ens « in potentia, et fit magis in actu per differentiam « sibi superadditam [3] ». Atque alibi: « Genus est es- « sentiale speciei, et species etiam addit supra genus « differentiam essentialem [4] ». Vnde « genus », ut scite sanctus Damascenus monuit, « materiae, differentia autem « formae respondet [5] », quippe quod, « differentia », aiente s. Thoma, « determinat genus, sicut forma materiam [6] ». Iamvero id, quod ad aliquid efficiendum concurrit, prius natura est eo, quod efficitur. Differentia igitur est natura sua prior *specie*. « Omnis differentia, s. Bonaven- « tura subdit, prior est natura, quam id, cuius est dif-

---

[1]) *Dialectica*, c. 9.
[2]) *In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 2 ad 1.
[3]) *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, a. 1, q. 3 *resol.*
[4]) *Ibid.*, Dist. XLI, a. 1, q. 2 *in fund.*
[5]) *Op. cit.*, c. 19.
[6]) *In lib. VII Met.*, lect. IX; cf *ibid.*, lect. X.

« ferentia [1] ». Ast ordine rationis, seu logico, species differentiae antecedit, quia genus, et species, quemadmodum diximus, eiusmodi sunt, ut unum sine alia, et vicissim intelligi nequeant. Atqui ex iis, quorum unum non potest intelligi sine alio, notitia unius statim ducit ad notitiam alterius. Ergo notitiam generis notitia speciei immediate consequitur. Et sane, ex duobus terminis, quorum unus per alium intelligitur, intellectus ex notitia unius fertur in notitiam alterius, differentia autem, cum sit illud, per quod genus ad speciem contrahitur, non est terminus generis, sed illud, per quod genus terminatur ad speciem, ob idque eius cognitio cognitionem termini consequitur. Itaque ordine rationis species differentiae antecedit. Iam, quandoquidem differentia, uti mox videbimus, non prout est notio metaphysica, seu *prima*, sed prout est notio logica seu *secunda*, est unum ex quinque universalibus, ordo huius tractationis expostulat, ut primum de specie, deinde de differentia disseramus. Apposite Albertus: « Quamvis differentia constitutiva sit de essentia speciei, et principium essentiale ipsius, nec possit esse species, quae « non ex genere, et differentia constituatur: tamen, quia « genus diffinitur per speciem, et species per genus, « propter hoc, quod genus habet dependentiam ad speciem, et species ad genus, eo quod correlativa sunt, « unum diffinite, et certe cognosci non potest sine reliquo: ideo oportet tractatum de specie immediate « ponere post tractatum de genere [2] ».

Species locum tenet medium inter genus, et individuum, quia inferior est genere, quod de ipsa praedicatur, et superior individuis, de quibus ipsa praedicatur. Quod cum ita sit, nemo non videt non posse speciem omnino intelligi, nisi tum ad genus, tum ad individuum relata consideretur. Re vera, non potest aliquid

---

[1]) *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. 2, art. III, q. 2 *in fund.*
[2]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 1.

omnino intelligi, nisi consideretur secundum omnes respectus, quos ad alia habet. Namque « non est, aiente « s. Bonaventura, integra cognitio, nisi totum esse rei « cognoscatur [1] », et totum *esse* rei tum solum cognoscitur, cum non modo, qua est in se, sed etiam, qua ad alias res refertur, cognoscitur. Atqui species duos respectus habet, unum ad genus, cui subiicitur, alterum ad individua, quibus praeest. Species igitur non potest omnino intelligi, nisi tum ex genere, tum ex individuis explicetur.

Iamvero, species relata ad genus duplici ex capite spectari quit, scilicet, vel ex eo, quod essentiam suam in genere inchoatam habet, vel ex eo, quod genus de ipsa immediate praedicatur. Hinc ipsam relatam ad genus optime definire licet *illud, quod sub genere ponitur*, vel *illud, de quo genus, secundum essentiam simpliciter sumtam, praedicatur*. Priori commate distinguitur ab individuo; nam, cum genus de individuis mediate, nempe per speciem, praedicetur, individua proprie sub specie, non sub genere ponuntur. Posteriori autem, ut inferius videbimus, a differentia, proprio et accidenti distinguitur. A differentia, quia haec de specie non secundum essentiam simpliciter consideratam, uti genus, sed secundum essentiam, quam ipsa determinat, et perficit, praedicatur. A proprio, quia proprium, quippe quod ab essentia per differentiam determinata fluit, de specie secundum totum suum ambitum praedicatur, cum genus de singulis speciebus non secundum totum suum ambitum praedicetur. Ab accidente denique, nam accidens, prout universale est, de specie non praedicatur secundum totum ambitum eiusdem speciei, quia accidens *categorematicum*, seu praedicabile, ut inferius videbimus, non in omnibus individuis speciei invenitur, atque e contrario genus de specie secundum totum ambitum ipsius praedicatur [2].

---

[1]) *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, a. 1, q. 1 *resol.*

[2]) Nemo animo reputet nos in genere, et specie definiendis *cir-*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Species relata ad individua duo prae se fert. Quorum primum est, quod praedicatur de iis, quae solo numero differunt, quia individua numero abs se differunt ; alterum autem, quod praedicatur de iis, quae numero differunt, secundum totam essentiam, quia « species, ut « s. Bonaventura ait, dicit totum esse individuorum . . . « quatenus est individuum contentum sub illa specie [1] ». Ex his intelligitur speciem relatam ad individua optime dictam esse *illud quod de pluribus solo numero differentibus, secundum essentiam, praedicatur*. Iam perspicuum est, uti Ferrariensis monuit [2], speciem ex eo, quod dicitur *de pluribus*, distingui ab individuo, quod de uno praedicatur, deinde ex eo, quod dicitur, *solo numero differentibus*, distingui a genere, quod de pluribus specie differentibus praedicatur ; denique ex eo, quod additur *secundum essentiam* a reliquis universalibus discriminari, quae secundum qualitatem, seu, ut Scholae aiunt, *in quale* ἐν τῷ ὁποῖον, praedicantur [3].

---

culum, ut Scholae aiunt, conficere, quia asserimus genus esse id, quod de speciebus praedicatur, et speciem esse id, de quo genus praedicatur. Etenim, cum genus, et species, ut a nobis ostensum est, relative sibi opponantur, non repugnat, immo consentaneum est genus per speciem, et speciem per genus definiri. Vid. ll. citt. Alberti M. p. 235, et 236; Scotum, *Op. cit.*, q. XXI, n. 2, et Ferrariensem, *Lib. cit.*, p. 4, col. 2.

[1]) *In lib. III Sent.*, Dist. II, a. 11, q. 3 *ad arg.*—[2]) *Op. cit.*, p. 5.

[3]) Vt ea, quae modo diximus, et passim in hac tractatione dicturi sumus, plane intelligantur, sciendum est speciem, de qua agimus, non aliud esse, nisi ipsam essentiam, seu naturam, prout haec ad cognitionem nostram refertur. Namque eadem forma substantialis dicitur *essentia*, prout est id, per quod res in certo rerum genere constituitur, *natura*, prout mens humana intelligit ipsam in pluribus individuis posse inveniri. Hasce tres unius rei acceptiones s. Bonaventura breviter, luculenterque explicuit hoc modo: « Dicendum, quod uniuscuiusque forma substantialis, et « completiva dicitur species, natura et essentia; et hoc secun- « dum triplicem considerationem. Potest enim considerari in se, « et sic dicitur essentia. Potest considerari in comparatione ad « operationem propriam, et sic dicitur natura. Potest iterum « considerari in comparatione ad nostram cognitionem, et sic « dicitur species »; *In lib I Sent.*, Dist. XXXI, p. 2, dub. 4.

Neminem vero moveat, quod una, eademque res pluribus modis explicetur, et definiatur. Nam, cum non repugnet, immo accommodatum naturae rerum sit unam, eamdemque rem ad plura referri, ne repugnat quidem unam, eamdemque rem pluribus modis explicari. Atqui species refertur tum ad genus quia huic subiicitur, tum ad individua, quia de his praedicatur. Ergo speciem duobus diversis modis explicari, seu definiri, naturae eius non repugnat, immo consentaneum est.

Circa hanc notionem speciei, duo de quibus acriter inter Philosophos disputatum est, excutienda nobis sunt. Primum est, utrum species universalitatem suam sumat ex eo, quod generi subiicitur, an ex eo, quod de individuis praedicatur. Albertus M., quem Caietanus [1], aliique secuti sunt, docuit speciem non esse universale, prout generi subiicitur, propterea quod ipsa relata ad genus est subiectum, non praedicatum. Contra ea, alii, ut Toletus [2], et Balforeus [3], contendunt speciem esse quoddam universale, non solum prout praedicatur de individuis, sed etiam prout generi subiicitur, quia, nisi esset universale, non posset immediate sub genere poni. Nos in Alberti M. sententiam fidenter concedimus. Namque universalis proprium est de pluribus praedicari. Atqui species praedicatur de pluribus non prout ad genus, sed prout ad individua refertur, quia prout refertur ad genus, non praedicatur de ulla re, sed genus praedicatur de ipsa. Species igitur non ex eo, quod refertur ad genus, sed ex eo, quod refertur ad individua, est quoddam universale. « Omne universale, ait, in ratione praedicati ha« bet determinari : universale enim, secundum quod uni« versale est, diffinitur quod est, in multis, et de multis. « Non est autem de multis, nisi quia praedicatur de illis.

---

[1]) *Liber De praedicabilibus*, fol. 5 *verso*, Venetiis 1518.

[2]) *In Vniv. log. Arist. Comm. et Quaest.*,«In c. 2 Porph.» dub. I, f. 27 *verso*, Venetiis 1614.

[3]) *In Org. log. Arist. Comm. et Quaest.*, « Ad cap. *de specie* », q. unic. sect. 2, p. 117 sqq, Burdigalae 1616.

« Et ideo species habet quod est universale per diffi-
« nitionem illam, qua diffinitur ut praedicatum, et non
« illam, qua diffinitur ut subiectum [1] ». Quae perbrevis argumentatio adeo luculenta est, ut ipse Toletus asseruerit, si Albertus M. id sibi voluit, speciem non effici universale ex eo, quod ad genus, sed ex eo, quod ad individua refertur, se non repugnare, sed mordicus contendit speciem, nonnisi, prout universale est, ad genus referri [2]. Nos equidem non negamus, neque negasse Albertus M. videtur, speciem referri ad genus, eo quod est quoddam universale. Nam, cum genus inchoatam, non vero perfectam essentiam denotet, nonnisi id, quod illius essentiam perficit, quodque universale per se est, sub illo immediate poni potest. Sed secundum Albertum M. contendimus, speciem non sumere rationem universalitatis ex eo, quod generi subiicitur, sed ex eo, quod de individuis praedicatur. Et sane, species, prout generi subiicitur, consideratur tanquam subiectum, de quo genus praedicatur. Atqui omne universale habet rationem praedicati, non vero subiecti, quia proprium universalis est, ut modo diximus, esse praedicabile. Ergo species non est quoddam universale, prout sub genere positum consideratur, sed prout de individuis praedicatur. Hinc idem Albertus inquit: « Per hoc autem,
« quod aliud praedicatur de specie, cui supponitur, ac-
« cidit speciei quod sit universale: de quo enim aliud
« praedicatur, potest esse universale, et potest esse non u-
« niversale [3] ». Beatus Doctor hanc opinionem Logicis fere communem esse dixit. En eius verba: « Secundum
« primam enim speciei subalternae (nempe *speciei, pro-*
« *ut generi subiicitur*) diffinitionem, species subiectum
« est, et non praedicatum. Vniversale autem, secun-
« dum quod universale est, et est, et diffinitur in ra-
« tione praedicati, et non subiecti. Videtur ergo, quod

---

[1]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 2. — [2]) *Op. cit.*, ibid., fol. 28 *recto*.
[3]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 2.

« species per rationem illam, qua subiectum est, non « habeat, quod sit universale, et conceditur fere ab « omnibus [1] ». Praeterea, uti idem Albertus M. argumentatus est, species ex eo proprie tanquam quoddam universale intelligenda est, quod a ceteris universalibus discriminatur. Atqui species a ceteris universalibus non distinguitur ex eo, quod generi subiicitur, sed ex eo, quod de individuis praedicatur. Etenim nullum universale praeter speciem, uti diximus, est quod de individuis secundum essentiam proprie, et immediate praedicatur, cum genera *media*, nempe ea, uti mox dicemus, quae inter genus summum, et ultimam speciem sunt, generi quoque subiiciantur. Ergo species, tanquam quoddam universale intelligenda est non ex eo, quod generi subiicitur, sed ex eo, quod de individuis praedicatur.

Vt id luculentius patescat, sciendum est in specie aliud esse fundamentum universalitatis, aliud rationem universalitatis. Si enim fundamentum spectaveris, nulli dubium esse potest, quin species in genere fundetur: si quidem species ex eo praedicatur de individuis, quod sub genere ponitur, et re ipsa est quaedam determinatio generis et ipsa universalis. Sin rationem, hanc species sumit ab individuis; de quibus praedicatur, quippe quod, uti saepe diximus, essentia notionis universalis in eo posita est, quod de multis praedicari potest. Ant. Goudin O. P. id declaravit hoc luculento exemplo: « Sicut, li- « cet iudex, qui immediate sub rege collocatur, sit su- « perior respectu populi, attamen non habet superiori- « tatem ex eo, quod subiicitur regi, sed ex eo, quod « praeest populo; sic species, licet sit universalis, non « tamen habet universalitatem ex eo quod sit sub ge- « nere, sed ex eo quod sit superior ad individua [2] ». Hinc Albertus M., postquam varias definitiones spe-

---

[1]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 1.

[2]) *Philosophia iuxta inconcussa, tutissimaque D. Thomae dogmata, Log. mai.*, p. I, Quaest. II, a. 4, p. 215, Bononiae 1686.

ciei enumeravit, et explicuit, sanxit cum Porphyrio [1], illam, qua dicitur esse id, quod de pluribus solo numero differentibus praedicatur, esse propriam specciei stricte sumtae, nempe speciei, quae in alias species non dividitur, sed per individua multiplicatur: « Patet ergo, « quod haec ultima speciei assignatio solum convenit « speciei specialissimae, quae non praedicatur, nisi de « differentibus numero solo [2] ».

Altera quaestio est, utrum species, secus ac de genere ad species relato dictum est, cogitari possit, quin ad plura individua *actu* referri intelligatur. Nobis arridet Alberti M., s. Thomae, aliorumque opinio asserentium notionem speciei minime expostulare, ut ad unum, aut ad plura individua referri *actu* cogitetur. Ne ullus aequivocationi locus pateat, status quaestionis luculenter declarandus est. Nullum universale, uti diximus, esse potest, quod de pluribus praedicari aptum non sit. At vero, haec aptitudo in universali, ut scite Albertus M. docuit, vel *positiva*, vel *negativa* esse potest; positiva, cum universale natura sua expostulat, ut ad plura *actu* referri intelligatur; negativa autem, cum universale natura sua non expostulat, seu, ut Scholae aiebant, *indifferens* est, ut ad unum, aut ad plura referri intelligatur [3]. Prior aptitudo est in genere. Nam principium, per quod genus ad species referri intelligitur, est ipsi generi intrinsecum, et essentiale, quia differentiae, quae genus in species dividunt, in ipso genere, ut inferius ostendemus, *potestate*, seu *virtute* sunt. Iam, cum nihil intelligi queat sine iis, quae ad eius essentiam pertinent, liquet genus non posse intelligi, nisi ad plures species referri intelligatur. E contrario, principium, per quod species ad individua refertur, extra essentiam ipsius speciei esse intelligitur; si quidem, uti saepe innuimus, principium, per quod species in singulis individuis determi-

---

[1]) *Op. cit.*, c. cit. § 23, p. 376. — [2]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 1.
[3]) *Op. cit.*, tract. I, c. 5.

natur, est *materia*; puta Socrates est hic homo, quia hanc carnem, et haec ossa habet. Atqui id, quod extra essentiam rei esse intelligitur, ad rem *actu* intelligendam non expostulatur, quia per accidens ad rem pertinet. Ergo species intelligi potest, quin ipsam referri ad plura individua *actu* intelligatur. Ex quo vides, etsi species per se apta sit inesse multis, et de multis praedicari, tamen nihil prohibere, quominus ipsam referri ad unum individuum intelligatur; unde scite s. Thomas: « Esse « in uno supposito singulari, vel in pluribus est prae- « ter intellectum naturae speciei [1] ».

Quod si species per se *indifferens* est, ut ad unum, aut ad plura individua referri intelligatur, liquet posse aliquam speciem a nobis intelligi, etiamsi dumtaxat unum, aut etiam nullum eius individuum in natura rerum existat. En verba Alberti M., ex quibus argumentationem nostram confecimus: « genus non dividitur « nisi per ea, quae potestate naturali, et substantiali « sunt in ipso, et ideo per se dividitur: et oportet, « quod dividatur in plura, quae actu plura sunt. Spe- « cies autem non dividitur per ea, quae sunt in ipsa, « nec dividitur secundum suam substantialem potesta- « tem, sed potius multiplicatur, et numeratur, quam « dividatur per id, quod totum substantialiter est extra « naturam et essentiam ipsius, scilicet per materiam, « quae nihil est formalis essentiae suae potestatis. Et ideo « accidit speciei esse in ipsa: propter quod sola suffi- « cit aptitudo in specie ut sit apta existere in pluribus, « ad hoc quod sit universale, etiamsi actu non sit, « nisi in uno solo, vel forte in nullo, dummodo sit « forma, quae secundum aptitudinem apta nata sit esse « pluribus [2] ».

Hinc peracutus s. Thomae Interpres p. Sylvester a Ferrara, qui vulgo Ferrariensis vocatur, sapienter monuit aptitudinem, quam species ad individua habet,

---

[1]) I, q. XIII, a. 9 c. — [2]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 6.

negative accipiendam esse, nempe hoc sensu, quod species per se non exposcit, ut ipsam magis ad unum, quam ad plura individua referri intelligatur. « Non ergo, « inquit, exigitur ad speciem, quod actu, vel aptitudine physica natura illa sit in pluribus . . . ; sed « sufficit, quod, ut in intellectu est, plura respiciat, « de quibus ut sic praedicabilis intelligitur *in quid* aptitudine logica, quae nihil aliud est, quam indifferentia naturae in esse cognitio ad unum, et plura ; « et est aptitudo haec negative exponenda : ita quod « sensus est : species est praedicabilis de pluribus ; id « est species ut sic non magis de uno, quam de pluribus habet, ut dici possit [1] ».

Inde illud quoque patescit, si naturae perfectioni, ut diximus, adversatur existere alicuius generis unicam speciem, ei non adversari, quod alicui speciei unicum individuum existat. Nam, si quod genus unicam speciem haberet, aliquid naturae deesset, quod ad eius integritatem requiritur, quia genus in una specie secundum totam suam essentiam, seu potestatem, non invenitur. Contra ea, cum species, ut modo ostensum est, secundum totam essentiam, et potestatem suam in singulis individuis sit, nihil ad naturae integritatem desideratur, si dumtaxat unum individuum in rerum natura existat. « Alia enim, Albertus M. ait, potestate « genus est in specie una, et alia in alia : et non talis « divisio est speciei per materiam : eadem enim potesta« te species est in uno individuo, et in alio, nec est « divisa, sed secundum esse integrum, manente sua na« turali potestate, est in quolibet individuorum [2] ».

---

[1]) *Op. cit.*, p. 5, col. 2.

[2]) *Op. cit.*, tract. III, c. 3. S. Thomas advertit re vera in quibusdam compositis materialibus, et in cunctis substantiis spiritualibus id evenire, ut speciei unicum sit individuum. Etenim in rebus materialibus quandoque unicum individuum totam materiam absorbet: « In omnibus, quorum materia invenitur tota « sub uno individuo, non est nisi unum individuum in una spe-

Hinc sapienter s. Thomas scripsit ad mundi perfectionem magis specierum, quam individuorum eiusdem speciei multiplicationem concurrere. « Id, ait, quod est « speciei in unoquoque, dignius est eo, quod est indi« viduationis principium, praeter rationem speciei exi« stens. Multiplicatio igitur specierum plus addit nobi« litatis, et perfectionis universo, quam multiplicatio in« dividuorum in una specie [1] ».

ARTICVLVS TERTIVS

De Differentia

Quandoquidem differentia, ut diximus, est id, per quod genus in species dividitur, quodque idcirco genus ad species cogit, cognitio huius tertiae notionis ad duas priores plene intelligendas omnino necessaria est. Quamobrem de ipsa, quantum satis est, luculenter hic disseramus necesse est [2].

Principio, vulgus hominum, ut scite Albertus M. monuit, ea inter se differre dicit, quorum aliquid a se ipso, aut unum ab altero per aliquod accidens fortuitum, et separabile, differre perspicit; puta Socratem *senem* a Socrate *iuvene*, aut Platonem *sedentem* a Socrate stante. Id ex eo fit, quod, cum qualitates, quae sunt

---

« cie: sicut patet in sole, et luna, et huiusmodi » (I, q. CXIX, a. 1 c.; cf *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. IV, a. 2 c.; *In I Poster. Anal.*, lect. XII; *In lib. VII Met.*, lect. XIII). Atque in substantiis spiritualibus unicum est cuiuslibet speciei individuum, quia, cum substantia spiritualis sit omnis materiae expers, non habet principia, per quae multiplicari potest, et cum sit incorruptibilis, per unicum individuum conservatur: « Cum materia « sit propter formam, distinctio materialis est propter forma« lem. Vnde videmus, quod in rebus incorruptibilibus non est « nisi unum individuum unius speciei; quia species sufficienter « conservatur in uno »; I, q. XLVII, a. 2 c.

[1]) *Cont. Gent.*, lib. II, c. 93, n. 4.

[2]) Porphyrius de differentia disseruit in *Op. cit.*, c. 3, p. 385 sqq, ed. cit.

materia differentiae fortuitae, sensibus cognoscantur, in omnium hominum apprehensionem cadunt. Huiusmodi differentiae post Porphyrium *communiter*, κοινῶς, dicuntur, non quia communes sunt omnibus rebus, quae per illas abs se differunt, sed quia vulgus hominum res per illas abs se invicem distinguere solet, quin illarum vim, et naturam cognoscat. « Nec tales differentiae, « B. Doctor scribit, communes ideo dicuntur, quia re- « bus insint communiter, quas faciunt differre; si enim « sic esset, non dicerentur differentiae, sed convenien- « tiae. Sed dicuntur differentiae communiter, quia a lo- « quentibus communiter sunt in usu. Vulgus enim as- « signando differentias rerum, talibus res differre facit, « qualia forinsecus in rebus per sensum communiter « apprehendit [1] ». At vero, quandoquidem res abs se non solum secundum quaedam accidentia separabilia, sed etiam secundum quaedam accidentia inseparabilia, aut secundum ipsam *essentiam* differunt, praeter differentias communes aliae Philosopho sunt investigandae. Iamvero, Philosophus principio in rebus, non secus ac vulgus, differentias communes comperit, quin ipsarum naturam cognoscat. Nam, cum cognitio humana a sensibus exordium sumat, consentaneum est Philosophum principio differentias rerum cognoscere, prout ipsae sensibus obviae sunt, et prout in vulgi quoque apprehensionem cadunt. At, cum differentias, quas sensibus hausit, considerat, atque ab his ad ea, quae ratione circa ipsas res cognosci possunt, perspicienda progreditur, non potest, quin perspiciat in rebus duas alias differentias; scilicet unam, qua res secundum essentiam differunt, puta rationem, qua homo a bellua οὐσιώδως, *essentialiter*, differt, aliam, qua differunt secundum aliquam proprietatem, sive affectionem, quae, etsi essentiam rei non ingrediatur, tamen a re, cui inest, separari non potest, puta *nasum simum*, quo Socrates a Platone *nasum aduncum*

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 1. Cf Ferrar., *Op. cit.*, p. 8, col. 2.

habente differebat. Harum differentiarum prima ab eodem Porphyrio ἰδιαιτατα nempe *maxime proprie* dicta fuit, quia per eam res ad speciem suam cogitur, atque idcirco adeo ad ipsam pertinet, ut rebus diversa specie comprehensis, a quibus per ipsam differt, inesse repugnet. Secunda autem ἰδίως, nempe *proprie*, quia, cum sit a re inseparabilis, ad differentiam maxime proprie dictam accedit, cum differentia communiter dicta, quippe quae separari a re potest, a differentia maxime proprie nuncupata longe abscedat. Differentia proprie dicta, etsi non solum a Philosopho, sed etiam a vulgo cognoscatur, tamen communis utrique non est, quia aliter ab illo, aliter ab hoc cognoscitur. Vulgus enim cognoscit illam, tamquam aliquid, quo unum individuum ab alio differt; Philosophus vero, tanquam proprietatem, per quam unum individuum ab alio distinguitur. Ex. gr. vulgus, aeque ac Philosophus, cognoscit corvum a columba differre, quod ille niger, haec alba est; sed Philosophus illud quoque cognoscit nigredinem esse qualitatem, quae cum specie corvi constanter coniungitur, et per quam idcirco a specie columbae distinguitur [1]. S. Thomas tres differentias quarum duas, nempe communiter, et proprie nuncupatas, ad unicam revocavit, egregie exposuit hoc in loco: « Eorum, quae specie diffe-
« runt, duplex differentia invenitur. Vna quidem, quae
« constituit diversitatem specierum: et talis differentia
« numquam invenitur, nisi in speciebus diversis; sic-
« ut rationale et irrationale; animatum et inanimatum.
« Alia autem differentia est consequens diversitatem spe-
« ciei: et talis differentia, etsi in aliquibus consequatur
« diversitatem speciei, in aliis tamen potest inveniri in
« eadem specie, sicut album et nigrum consequuntur di-
« versitatem speciei corvi, et cycni; tamen invenitur

---

[1]) Quid autem sit, quo differentia proprie dicta a quarto universale, nempe *proprio*, discriminetur, inferius dicemus.

« huiusmodi differentia in eadem hominis specie [1] ». Scholastici ad tres differentias significandas non solum adverbiis, uti Porphyrius, sed etiam nominibus adiectivis usi sunt, earumque primam *communem*, alteram *propriam*, postremam *propriissimam* dixere. Audiatur laudatus p. Goudin, qui illas breviter definivit, exemplisque illustravit hoc modo : « Differentia communis est, prout attenditur secundum accidentalia, sic homo sanus ab aegro, Gallus ab Italo, sedens ab ambulante etc. Differentia propria est, quae attenditur secundum proprietates: ut oculi caerulei differunt a nigrantibus, capillus crispus a fluente. Differentia demum propriissima, quae attenditur secundum essentialia rei : ut rationalitas distinguit hominem a bruto, non per modum accidentis, aut proprietatis, sed per modum essentialis constitutivi [2] ».

Iam, circa has differentias haec prae oculis habenda sunt. Principio, omnes differentiae, quas enumeravimus, uti Damascenus [3] post Porphyrium [4] docuit, illud, in quo sunt, *varium*, ἑτεροῖον, faciunt, sed non eodem modo. Namque differentia communis, et propria, rem secundum aliquod accidens, maxime propria autem secundum naturam ab aliis discriminant. Quocirca illae id, in quo sunt, *alterius qualitatis*, sive, ut Scholae cum Porphyrio, et Damasceno aiebant, *alteratum*, ἀλλοῖον, faciunt ab eo, a quo ipsum discriminant, haec vero *aliud*, ἄλλο, quam illud, a quo ipsum discriminat. Differentiae ex hoc capite, ut idem Porphyrius advertit [5], in *separabiles*, χωριστὰς, et *inseparabiles*, ἀχωρίστας, et rursus inseparabiles in inseparabiles *per se ipsas*, καθ' αὐτὰς, et *per accidens*, κατὰ συμβεβηκός, dividuntur. Separabiles sunt differentiae communes, quia, cum differentia com-

---

[1]) 1ª 2ae, q. LXXII, a. 5 c. Porphyrii differentias, vocibus omissis, s. Thomas quoque innuit in *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. X, a. 4 c.

[2]) *Op. cit.*, ibid., q. II, art. 2, p. 203, et 204, ed. cit.

[3]) *Op. cit.*, c. 17. — [4]) *Op. cit.*, c. 3, § 5-7, p. 386, et 387.

[5]) *Op. cit.*, ibid., § 3, p. 386-389.

munis in accidenti fortuito, et separabili consistat, ipsa revera est, ut Damascenus inquit, *accidens separabile*, τὸ χωριστὸν συμβεβηκός. Hac differentia et unum individuum differt ab alio, uti is, qui stat, ab eo, qui sedet, et idem individuum a se ipso, quia is qui stat, sedere, et qui sedet, stare potest. Inseparabiles *secundum accidens*, sunt propriae, quia ipsae consistunt in accidenti, quod *separari non potest*, ἀχώριστὸν συμβεβηκὸς: puta esse naribus simis, quia simitas narium separari ab homine nequit. Damascenus scite monuit hac altera differentia individuum ab individuo, sed neutiquam individuum a se ipso differre: « Per haec itaque et inseparabilia accidentia in« dividuum ab individuo, hoc est hypostasis ab hy« postasi differt. Nunquam tamen quisquam a seipso « differt [1] ». Denique differentiae inseparabiles *per se* sunt differentiae maxime propriae, quia differentia maxime propria in natura, seu essentia est eius, quod per ipsam differt, puta esse rationale in homine, vel in iis, quae cum essentia coniunguntur, puta in eodem homine esse disciplinae capacem [2].

Ex hoc primo colligitur secundum, scilicet per differentias proprias, et communes res singulares ab se discriminari quia, accidentia, per quae res singulares distinguuntur, a materia oriuntur; per maxime proprias vero species, quia diversitas essentiae diversitatem specierum parit [3]. Hanc ob causam hae differentiae *specificae*, εἰδοποιοι, duae illae autem *simpliciter differentiae*, ἁπλῶς διαφοραὶ, a Porphyrio appellatae fuerunt. Sanctus Damascenus differentias specificas *substantiales*, et *naturales*, οὐσιώδεις καὶ φυσικὰς, vocavit, « eo quod efficiant, ut species ab alia specie, et natura, « ac substantia a substantia alia ac natura differat [4] », et *simpliciter* differentias dixit *adventitias*, ἐπουσιώδεις, quia

---

[1]) *Op. cit.*, c. 13.—[2]) Vid. Porph., *Op. cit.*, c. cit., § 9.

[3]) « Genus, s. Thomas ait, sumitur a materia communi, diffe« rentia vero completiva speciei a forma, particulare vero a ma« teria individuali »; I, q. LXXXV, a. 5 ad 3.

[4]) *Op. cit.*, c. 10; cf c. 12.

accidens, τὸ συμβεβηκὸς, sunt[1]. Doctores Scholae, secundum hanc doctrinam Porphyrii, et sancti Damasceni, differentias substantiales vocarunt illas, per quas aliquid dicitur *aliud*, et accidentales illas, per quas *alterum* vocatur, quippe quod « alterum, aiente s. Thoma, importat di- « versitatem accidentis . . . sed aliud importat diversita- « tem substantiae[2] ». Hinc s. Bonaventura: « Differentiae « substantiales faciunt dici aliud, et accidentales alterum[3] ». Differentiae, quae ex accidente contingenti, et inseparabili oriuntur, *numericae* etiam dici solent, quia, cum per illas potissimum, et proprie res individuae, et singulares sint, res per illas quoque *numerum* efficiunt, proindeque per illas *numero* ab se differunt. « Differentia, s. Thomas ait, « formae, quae non provenit nisi ex diversa dispositione « materiae, non facit diversitatem secundum speciem, sed « solum secundum numerum. Sunt enim diversorum in- « dividuorum diversae formae, secundum materiam diver- « sificatae[4] ». Atque alibi: « Differentia, quae ex forma pro- « cedit, inducit diversitatem speciei, quae autem est ex « materia, inducit diversitatem secundum numerum[5] ».

Ex hoc secundo conficitur tertium, nempe, si differentiae ipsae in se, hoc est, secundum ordinem naturae considerentur, maxime propriam, sive specificam, esse priorem propria, propriam vero communi. Cuius rei ratio haec est, quod omne accidens naturam, seu essentiam rei consequitur, et accidens inseparabile prius est accidente separabili, quia id, quod a natura seiungi nequit, intimius naturae est, quam id, quod ab ea seiungitur. Atqui differentia maxime propria essentiam, propria ad accidens inseparabile, et communis ad accidens separabile spectat. Ergo differentia maxime propria propriae, et propria communi secundum naturae ordinem praecedit. Differentia

---

[1]) *Op. cit.*, c. 12.

[2]) III, q. XVII, a. 1 ad 7.—[3]) *In lib. I Sent.*, Dist. IV, dub. 9.

[4]) I, q. LXXXV, a. 7 ad 3.

[5]) *Cont. Gent.* lib. II, c. 93, n. 2; Cf p. 241, not. 2, et p. 258, not. 3.

autem maxime propria, seu specifica, eo quod omnium nobilissima est [1], differentiae nomen prae reliquis apud Aristoteleos sibi vindicavit: unde *differentia* sine alius vocis additione ab eis nuncupata fuit. Hinc actus, quo unum ab altero differt, Alberto M. aiente, « quidem convenit ve-« re, hoc est secundum veram rationem, differentiae « magis propriae, aliis vero secundum quod plus vel « minus faciunt differre. Et ideo, prima differentia vo-« catur simpliciter ea, quae dicitur magis propria, se-« cundario ea, quae vocatur propria, tertio autem il-« la, quae vocatur communis [2] ». At vero, si differen-« tiae, prout ad intellectum nostrum referuntur, spectentur, ordo praeposterus locum habet. Nam, quoniam sensus, aiente s. Thoma, externam rerum faciem nobis pandunt [3], cognitio nostra, quae a sensibus exorditur, debet ab iis, quae a natura rei magis distant, ad ea, quae ab ipsa minus distant, gradatim progredi, quoad ipsam naturam assequatur [4]. Audiatur idem Albertus: « Quoad nos autem per prius dicitur differentia, quae « communis est, propter hoc quod prima facie noti-« tiae nostrae se obiicit. Secundario autem dicitur ea, « quae dicitur propria, quia minus communiter est ap-« prehensibilis; ultimo vero, quae paucioribus substan-« tia et intellectu utentibus innotescit [5] ».

Iam, uti ex hactenus dictis colligitur, differentia specifica dumtaxat est tertium universale, de quo hic agimus, quippe quod, cum propria et communis non versentur circa qualitatem, quae essentiam generis determinat, ad alia universalia pertinent. Verum, adverten-

---

[1]) Certe, differentia specifica, cum circa id, quod ceteris nobilius in rebus est, versetur, omnium differentiarum nobilissima est. « Differentia specifica, s. Bonaventura ait, debet accipi pe-« nes id, quod in re est optimum »; *In lib. II Sent.*. Dist. I, part. 2, a. 3, q. 2 *in fund.*

[2]) *Op. cit.*, tract. V, c. 1.

[3]) I, q. LVII, a. 1 ad 2, et alibi *passim*.

[4]) De hac re in *Idealogia*. — [5]) *Op. cit.*, ibid.

dum est differentiam specificam non pertinere ad logicam secundum omnes modos, quibus spectari potest. Ipsa enim spectari potest, vel prout est substantia, seu forma, quae substantiam efficit, vel prout in specie iam constituta consideratur, vel prout aliquam speciem, quam simul cum genere efformat, ab aliis discriminat. Ex. gr. *rationale*, quod est differentia specifica hominis, considerari potest, vel tanquam id, quod substantiam hominis efficit, vel tanquam id, quod cum *animale* hominem efficit, vel denique tanquam id, per quod homo a bellua differt. Iam, differentia specifica dumtaxat postremo hoc modo illud universale efficit, quod post Porphyrium *differentia* vocatur. Nam primo modo spectata non est unum ex quinque universalibus, sed una ex categoriis, de quibus infra dicemus, nempe categoria substantiae; secundo autem, est ipsa species, quae aliud, quam differentia, universale est; postremo denique, efficit, illud universale, de quo Porphyrius locutus est, si quidem secundum postremum hunc modum efficit, ut unum ab altero specie differat; id quod proprium est differentiae specificae. Nobis igitur hic de differentia specifica agendum est, prout ipsa illud denotat, quo una species ab aliis differt [1].

Quandoquidem differentia specifica, ut mox dicemus, genus in species dividit, atque ex eo, quod genus in species dividit, speciem cum genere constituit, illa et relata ad genus, quod dividit, et relata ad speciem, quam constituit, consideranda nobis est. Iamvero, si differentia relata ad genus spectetur, prout aliquid repraesentat, quod in natura rerum est, scilicet prout est notio prima, indubium est ipsam sine genere nec esse, nec intelligi posse, quia ipsa, hoc modo considerata, una cum genere speciem efficit; unde s. Bonaventura: « Natura « generis essentialiter est connexa differentiis [2] ». At diffe-

---

[1]) Videsis Albertum M., *Op. cit.*, tract. V, c. 1.

[2]) *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. 2, a. 1, q. 2 *in fund.*

rentiam, prout ad genus hoc priori modo refertur, considerare ad ontologiam spectat; haec enim res, quales in se sunt, expendit. Quapropter necesse est, ut illam, prout est notio secunda, ideoque prout a genere, et specie sciuncta, intelligitur, in praesentia consideremus [1].

Differentiam ad genus hoc modo relatam considerantes in primis cum Alberto M. statuimus ipsam genere *potestate*, δυνάμι, non *actu*, ἐνεργεία, contineri. Re sane vera, si differentia genere *actu* contineretur, plura absurda existerent. Principio, genus cum specie converteretur, quia « si genus, uti B. Doctor ait, actu ha« beret differentiam, omnia, quae exiguntur ad speciei « positionem, haberet [2] ». Ast hoc perabsurdum est. Nam, si genus, et species inter se converterentur, unum de altera, et vicissim praedicari possent, puta aeque dicere liceret omnem hominem esse animal, ac omne animal esse hominem: « In omni autem ordinata praedicatione « (in qua secundum naturalem ordinem praedicabilium « unum de altero praedicatur) oportet aequa, sive paria « de aequis, sive paribus, praedicari, sicut praedicatio « convertibilium [3] ». Atqui perabsurdum est genus, et speciem de se ipsis invicem praedicari; si quidem species non solum ex genere, sed etiam ex alio principio, quod genus determinat, constitui intelligitur. Ergo differentiam *actu* genere contineri perabsurdum est.

Idem Albertus M. animadvertit, si differentia *actu* genere contineretur, supervacaneam fore additionem differentiae in definitione rerum. Nam, si differentia genere actu contineretur, ipsa esset in notione generis, tanquam principium, quo genus intelligi posset. Atqui, « si differentia, prout « est principium intelligendi speciem, esset in intellectu « generis, non oporteret, quod in diffinitione speciei, po« sito genere, poneretur differentia, quia in nomine ge« neris intelligeretur, et esset nugatio, quando in diffi-

---

[1]) Vid. Ferrar., *In lib. I Cont. Gent.*, c. 24.
[2]) *Op. cit.*, tract. V, c. 4. — [3]) *Ibid.*, tract. V, c. 6.

« nitione cum genere poneretur [1] ». Ergo, si differentia genere actu contineretur, differentia in definitione rerum supervacanea foret.

Praeterea, unica, et simplex notio notiones, quae sese invicem destruunt, complecteretur. Nam, quoniam differentiae, ut mox videbimus, sibi invicem opponuntur, necesse est, ut una alteram perimat. Ex. gr., si conceptus animalis includeret *actu* conceptum differentiae, propter quam homo a bellua specie differt, conceptus animalis *actu* in se haberet conceptus animalis ratione praediti, et animalis ratione carentis, scilicet hominis, et belluae, qui se invicem tollunt. Perperam vero quispiam ad hocce argumentum tollendum obiiceret posse unius generis unicam differentiam intelligi; si quidem, ut paulo post dicemus, cum omnis differentia genus in species dividat, fieri nequit, ut genus cum unica differentia intelligatur.

Iam, si sententia eorum, qui differentiam genere actu contineri volunt, ad huiusmodi absurda ducit, ipsam sententiam absurdam esse tenendum est, quia absurda consectaria nonnisi ex absurda sententia profluere possunt.

Quod si duo priora argumenta, quae adduximus, diverso modo concinnentur, eamdem sententiam esse ipsam in se absurdam ostendi quoque potest. Re vera, primum argumentum efferre nobis licet hoc modo : Si differentia actu in genere esset, procul dubio differentia, generi adiecta, nihil ei adderet, et species, quae ex genere, et differentia constat, nihil amplius contineret, quam quod in genere est. Atqui species, ut scite s. Thomas monuit, continet aliquid, quod extra essentiam generis esse intelligitur. « Species, sanctus Doctor ait, addit supra genus, « ut homo supra animal, differentiam aliquam, quae est « extra essentiam generis [2] ». Ergo differentiam genere *actu* non contineri pro certo habendum est. Alterum argumentum Scotus hunc in modum protulit : Si genus

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 4.—[2]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. III, a. 16 ad 4.

differentiam actu in se contineret, notio differentiae notione generis contineretur. Atqui notio, seu, ut Scotus inquit, intellectus differentiae notione, seu intellectu generis non continetur, quippe quod definitio, omnibus concedentibus, non ex sola notione generis, sed ex duabus notionibus generis, et differentiae constat. Ergo genus differentiam actu non continet. « Definitio, ait, exprimit totum per se in intellectum definiti: quia aliter non conveniret primo definito; sed definitio constat ex Genere, et Differentia; ergo Differentia est aliquid de per se intellectu speciei, et non de intellectu generis [1] ».

Ex his omnibus vides, quam sapienter Henricus Gandavensis, qui fere eadem, ac s. Thomas, aetate vixit, docuerit notionem differentiae esse extra notionem generis, quia alia est illius, alia huius notio. « Ratio, scribit, et intentio generis non est de ratione, et intentione differentiae. Sed oportet, quod ratio, et intentio differentiae sit alia extra rationem, et intentionem generis, non inclusa in illa [2] ».

At, si non *actu*, certe *potestate* differentiam genere contineri asserimus. Id post Porphyrium [3], sanctus Damascenus statuit, eumque Albertus M., aliique Scholastici secuti sunt. Ad huius rei intelligentiam recolendum animo est cum Alberto M. aliud esse unum contineri altero *potentia*, aliud vero unum contineri altero *potestate*. Namque unum continet alterum potentia, cum ad illud constituendum omnino indifferens est; potestate autem, cum, etsi illud actu non habeat, tamen habet in se aliquid, per quod ad illud consti-

---

[1]) *Op. cit.*, q.XXV c., n.2. Cf Henric. Gandav., *Summa*, part. I, art. XXVIII, q. 3, n. 7.

[2]) *Op. cit.*, part. I, art. XXVI, q. 2, n. 9.

[3]) « . . . facultate quidem, ait, omnes habet genus sub se differentias, actu, et re ipsa nullam »; *Op. cit.*, ibid. § 16, c. 391.

[4]) « Hac autem ratione (*genus*, et *differentia*) inter se dissident, « quod genus latius pateat, quam subiectae illi differentiae... quod « propterea genus potestate differentias complectatur »; *Op. cit.* c. 19.

tuendum disponitur, quodque illud quodammodo inchoat. Itaque id, quod existit in alio *potestate*, non existit in eo secundum meram potentiam, neque secundum actum perfectum, sed secundum actum imperfectum et inchoatum, qui inter potentiam, et actum completum medius est. En pauca verba B. Doctoris : « . . . potentia ad esse, et non esse indifferens est; po- « testas autem est potentia stans per actus inchoatio- « nem [1] ».

Iamvero, perspicuum est differentias genere non potentia solum, sed potestate etiam contineri. Nam, cum differentia determinet genus, illa, ut s. Thomas ait, hoc continetur, *sicut determinatum continetur in indeterminato, ut album in colorato* [2]. Atqui id, quod aliud determinat, in eo, quod determinat, continetur non solum potentia, sed etiam potestate; si quidem determinatio non educit aliquid e nihilo, sed *complet*, seu perficit id, quod aliquo modo in actu est. Differentia igitur genere non potentia dumtaxat, sed potestate quoque continetur. Firmum igitur sit « genus, uti Albertus M. locutus est, potestate « habere potius differentias, quam potentia [3] ». Hanc doctrinam Alberti M. s. Thomas eius discipulus, et Scotus quoque inculcarunt, nisi quod aliis vocibus usi sunt, siquidem ille differentiam *implicite*, aut *virtute* [4], hic vero *aptitudine* seu *aptitudinaliter* genere contineri dixit [5].

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 4.

[2]) *In lib. VII Met.*, lect. XII; cf *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. 1, a. 6 ad 1. — [3]) *Op. cit.*, ibid.

[4]) « Differentia, ait, nullam formam dicit, quae implicite in « natura generis non contineatur, genus enim non significat par- « tem essentiae rei, sed totum » (*In lib. II Sent.*, loc. cit.). Atque alio in loco: « Dicendum, quod ad rationem speciei pertinet, quod « se habeat ex additione ad genus. Sed generi potest aliquid addi « dupliciter. Vno modo, quod per se ad ipsum pertinet, et virtute « continetur in ipso: sicut rationale additur animali »; 1ª 2ªe, q. XXXV, a. 8 c.

[5]) « Ad rationem Generis requiritur, ut dicatur aptitudina-

Illud vero non repugnat plures differentias esse potestate in eodem genere, quemadmodum repugnat esse actu in eo. Quod ut facile intelligatur, memoria recolendum est nos hic agere de genere, non prout est notio prima, nempe prout naturam rei repraesentat, sed prout est notio secunda, sive prout est notio, quae cum aliis notionibus secundis ordinem inter notiones primas ponit. Iam, nemini dubium esse potest, quin genus primo modo spectatum, hoc est, prout est notio metaphysica, et obiectiva, nonnisi cum unica differentia intelligi queat. Nam genus, prout est in rebus concretum, quidquid habet, actu habere debet. Atqui repugnat, ut modo diximus, genus actu plures differentias habere, quia repugnat esse in natura rerum aliquid, quod plures differentias habet [1]. Ex. gr. si quis angulus in natura rerum existit, oportet illum esse aut rectilineum, aut curvilineum, aut mixtilineum; nam, cum hae differentiae se ipsas destruant, in nullo angulo actu esse queunt. Genus igitur, prout in rebus concretum est non nisi cum una differentia intelligi potest. Hinc s. Thomas docuit, si differentia ab aliqua re removeatur, ipsam substantiam eius removeri: « Remota differentia alicuius speciei, non « remanet substantia generis eadem numero; sicut, re« mota differentia constitutiva albedinis, non remanet « eadem substantia coloris numero; ut sic idem color nu« mero sit quandoque albedo, quandoque vero nigredo [2] ».

« liter de pluribus specie differentibus » (*Op. cit.*, q. XVIII c., n. 2). « Differt autem, idem Scotus ait, aptitudo a potentia. « Nam aptitudo est inclinatio secundum se in aliquid, vel ma« gis non repugnantia. Potentia autem est ordo ad actum »; *ibid.* ad arg. *in oppositum*, n. 3.

[1]) Id, ni fallimur, innuit s. Thomas, cum scripsit: « Si ge« nus consideretur physice corruptibilia, et incorruptibilia non « sunt in eodem genere, propter diversum modum potentiae « in eis, ut dicitur X Met. »; I, q. LXVI, a. 2 ad 2; cf *Super Boëth. De Trin.*, lect. I, q. II, a. 2 c.

[2]) 1ª 2ae, q. LXVII, a. 5 c.

Sed nihil prohibet, quin genus secundo modo spectatum, nempe prout est notio mere logica, plures differentias habeat. Namque nos dicimus genus, hoc modo consideratum, plures continere in se differentias, non quia intelligimus genus ex illis constare, sed quia intelligimus genus per illas posse diversas formas accipere, atque ita ad diversas species constituendas cogi. Ita, ut exemplum modo allatum urgeamus, nos, etsi cognoscamus nullum angulum in rerum natura esse posse, qui sit simul rectilineus, curvilineus, et mixtilineus; tamen hasce tres differentias notione generica anguli *potestate*, seu *virtute*, seu *aptitudine* contineri intelligimus, propterea quod intellectus noster eo ipso, quod intelligit lineas, prout in notione generica anguli sunt, neque rectas, neque curvas esse, intelligit ipsas rectitudinis, aut curvitatis capaces esse, atque idcirco fieri posse, ut sint vel ambae rectae, vel ambae curvae, vel una recta, et altera curva. Lubet huic exemplo alterum a s. Thoma allatum adiicere, quippe quod hanc rem valde declarat. « Si nomine corporis, ipse ait, significetur res habens talem « naturam ex quacumque forma ipsam perficiente, ut « possint in ea designari tres dimensiones, tunc corpus « est genus, et significat totum; quia, quaecumque forma specialis sumatur non erit extra hoc quod ratio « corporis conditionabatur; sed tamen indistincte, eo « quod non determinetur, utrum ex tali, vel tali forma dictam rationem habeat. Sed, cum dicitur animatum, designatur forma, per quam talem rationem « recipit [1] ». Iamvero, quoniam diversae species a genere per plures differentias efficiuntur, liquet diversitatem specierum originem non ducere ex ipso genere, sed ex differentiis, quae secundum diversos modos unicum genus determinant. Quocirca genus, prout notio logica est, plures differentias in se habere non repugnat.

Vt vis huius argumentationis facilius perspiciatur, il-

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 2.

lam magis, magisque evolvere iuvabit. Absurdum est unum, idemque genus plures differentias actu in se includere, quippe quod, si plures differentias actu in se includeret, ex repugnantibus constaret. Ast idem genus ita comparatum esse, ut plures differentias in se suscipere possit, non modo non est absurdum, sed notioni generis valde consentaneum. Re sane vera, cum genus, quemadmodum antea innuimus, ad differentiam se habeat, tanquam materia ad formam, sequitur ipsum eiusmodi esse oportere, ut contrarias differentias in se suscipere valeat, quia materia, uti alias videbimus, ad diversas formas suscipiendas indifferens est. « Dicendum, « s. Thomas inquit, quod naturaliter loquendo de gene- « re, et differentia, oportet differentias esse contrarias, « nam materia, super quam fundatur natura generis, est « susceptiva contrariarum formarum [1] ». Iam, quandoquidem genus differentias secum pugnantes in se suscipere potest, hae differentiae in eo *virtute* seu *potestate*, seu *aptitudine*, esse debent, quia subiectum non potest aliud in se suscipere, quam id, ad quod naturaliter comparatum est. At, si in genere est virtus, seu potestas, seu aptitudo contrarias differentias in se suscipiendi, contrarietas, seu repugnantia non in genere per se spectato, sed in differentiis, per quas genus in diversis speciebus determinatur existit; si quidem essentia genere contenta, ut paulo post ostendemus, tota, et integra in oppositis speciebus invenitur, et species sibi invicem non opponuntur, nisi propter contrarias differentias, quibus simplex essentia generis in ipsis determinatur. Re vera, nos hominem a bellua distinguimus non propter *animalitatem*, quia essentiam simplicem animalitatis perinde in homine hac in bellua esse intelligimus, sed ex eo, quod animalitatem in homine cum ratione, in bellua autem sine ratione determinatam consideramus. Quod si repugnantia in genere non prout per se specta-

---

[1]) *Qq. dispp.*, q. unic. *De Anim.*, a. 7 ad 18.

tur, sed prout per se differentias determinatur, locum habet, liquet nihil prohibere, quominus genus plures differentias potestate in se habeat.

Accedit, quod, uti Albertus M. advertit, si differentias genere potestate contineri intelligatur, illud quoque intelligitur, genus esse *radicem*, seu principium, ex quo differentiae promanant, ob idque differentias esse in genere, sicut confusa sunt in distincto. Atqui, si opposita hoc modo intelligantur, perbelle intelligi potest ea esse simul in eodem, propterea quod, uti alias dicemus, opposita confusa sibi non repugnant, et oppositorum in quolibet genere unicum est principium. Ergo plures differentias generi potestate inesse non repugnat. « Differen-
« tia, ipse ait, est in generis potestate, sic ut distin-
« ctio in indistincto confuso [1] », atque ibidem : « Sic
« ergo et tali potestate genus habet differentias : et non
« est inconveniens sic habere simul oppositas, quia op-
« posita sibi non repugnant, nisi distincta, non confu-
« sa; aut cum omnium oppositorum sit radix una, ex
« qua oriuntur, non est inconveniens ea sic simul esse
« in eodem ».

Neque illud, quod s. Bonaventura ad hanc rem monuit omissum volumus, scilicet opposita in uno, eodemque esse non posse, si eius unitas multitudini repugnat, uti est unitas individui, non vero, si nedum repugnet, consentanea est, propterea quod, licet unum, idemque sit unum, tamen in potentia est ad multa, cuiusmodi est unitas cuiuslibet universalis. « Quod obiicitur, scribit, quod oppo-
« sita non possunt se compati circa unum . . . . verum
« est de eo, quod est ita unum, quod eius unitas repugnat
« multitudini, sicut est unum individuum, sed de eo,
« quod ita unum, quod multitudini non repugnat, imo
« propter suam possibilitatem admittit omnem diversita-
« tem, non habet veritatem, imo semel, et simul habet

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 4.

« opposita [1] ». Iamvero, genus non habet unitatem, quae repugnat multitudini, sed quae multitudinem expostulat, quia unitatem propriam universalis, non vero individui habet. Opposita igitur in genere esse possunt.

Itaque ratum, firmumque sit generis contrarias differentias esse, nihilque prohibere, quin genus ipsas in se *virtute*, seu *potestate* habeat [2].

Quae cum ita se habeant, Albertus M. scite sanxit differentis genere contineri, non ex eo quod eius participes sunt, uti species, sed quod in eo inchoantur. Revera, species non inchoantur in genere, sed participes eius sunt, quia species totum illud habent, quod actu est in genere, puta homo animalitatem. « Species, sanctus « Damascenus inquit, integram generis sui definitionem « absque ulla diminutione suscipit [3] ». At vero, ipsae eo quod non exhauriunt totum ambitum generis, non sunt ipsum genus, sed participes eius. « Est, subdit s. Thomas, « participare quasi partem capere . . . sicut homo di- « citur participare animal, quia non habet rationem « animalis secundum totam communitatem [4] ». Differentiae autem generis participes non sunt, sed in eo inchoantur, quia illud habent, quod in genere est imperfectum, et indeterminatum, scilicet quod est potestate in genere, puta rationem, quae animal determinat, et perficit; unde idem Aquinas, « Differentia, scri- « bit, non participat genus [5] ». Audiamus Albertum M., qui hoc discrimen ex ordine exposuit his verbis: « Multi- « pliciter enim aliqua sunt in genere, aliqua enim sunt « in genere, sicut coordinata sub genere per modum

---

[1]) *In lib. II Sent.*, Dist. III, part. I, a. 1, q. 3 *ad arg.*

[2]) Consuli quoque de hac re potest Ferrariensis, *Op. cit.*, p. XI.

[3]) *Dialectica*, c. 10.

[4]) *Super Boëth. De Hebd.*, lect. I; cf *Quodlib.* II, a. 3 c. Idem sanctus Doctor advertit speciem *proprie* et *per se* genere contineri: « Dicendum quod in genere continetur aliquid. . . per se, et pro- « prie, sicut species, et ea, quae recipiunt praedicationem gene- « ris »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVIII, q. I, a. 1 ad 3.

[5]) *In lib. V Met.*, lect. VIII.

« participantis et participati : et hoc modo sunt in ge-
« nere genera, et species et individua . . . Quaedam
« tandem sunt in genere, ut in principio suae inchoa-
« tionis . . . . et sic differentiae cuiuslibet generis sunt
« in genere [1] ».

Postquam novimus differentias genere potestate contineri, investigare opus nobis est, quomodo ipsae genus dividant. Principio, quoniam differentiae potestate in genere sunt, nos intelligere non possumus ipsas genus dividere, nisi *actu* ipsas accipiamus, hoc est, nisi ipsas a *potestate*, qua in genere sunt, ad *actum* progredi intelligamus. Nam, cum nulla res aliquid agere possit, nisi *actu* sit, nos intelligere non possumus differentias genus dividere, nisi illas *actu* esse una intelligamus. Apposite Albertus M., quo magistro potissimum nos hac in controversia utimur, « Attendendum, ait, etiam
« est, quod, quamvis differentiae in genere sint pote-
« state, tamen secundum quod dividunt, oportet,
« quod actu sint acceptae per intellectum dividentem:
« cum non intellectus dividat, nisi actu acciperet id,
« quod dividit : quo autem dividit, est differentia : et
« sic oportet differentiam actu esse, et genus secundum
« ambitum suae communitatis esse in potentia divisi-
« bile. Secundum autem, quod genus est principium
« inchoationis differentiarum, sunt in genere differen-
« tiae potestate. Sed ex illa potestate ad actuale esse
« per intellectum adducuntur, quando per ipsas divi-
« ditur generis potestas [2] ».

Praeterea, differentiae *ambitum*, non vero *complexum* generis dividunt, si quidem ipsae, uti antea innuimus, simplicem essentiam generis in partes non secant [3], sed

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 4.

[2]) *Op. cit.*, tract. V, c. 7.

[3]) « Differentiae, s. Thomas subdit, non participant genus, quasi
« partem suae essentiae »; *Cont. Gent.*, lib. I, c. 17; atque alibi:
« Est divisio. . . in species per differentias, quibus aequaliter na-
« tura generis in speciebus participatur »; *In lib. II Sent.*, Dist. XLII, q. I, a. 3 c.

diversis modis determinant; ex qua fit, ut essentia, notione generis contenta omnes species, in quas, veluti in totidem ramos, per differentias porrigitur, ambitu suo complectatur: « Essentia enim generis in omnibus per « divisionem acceptis integra manet, et indivisa in quoli- « bet; potestas autem partitur, et secundum aliquid est in « uno dividentium, et secundum aliquid manet in alio, « et in nullo secundum totum [1] ». Hinc singula, in quae genus per differentias dividitur, integram essentiam generis habent, sed, eo quod hanc diversis modis per differentias determinatam complectuntur, specie ab se differunt. Pergamus audire eumdem Albertum: « Quando dividi- « tur genus, non dividitur, nisi secundum potestatem, et « non secundum essentiam. Essentia enim generis, cum « simplex sit, tota simul potest esse in omnibus di- « videntibus ipsum: unde tota est in homine, et to- « ta est extra hominem in equo . . . Et quamvis tota « sit comprehensa a rationali, quando rationale con- « iungitur ad coniunctionem speciei: et simul cum hoc « tota comprehensa ab irrationali, quando irrationa- « le coniungitur eidem ad alterius speciei constitutio- « nem, cum partem et partem in essentia non habeat, « tamen secundum quod comprehensa ab irrationali, a « rationali non comprehensa est. Et ideo non sequitur, « quod animalitas cum rationali comprehensa est ea- « dem animalitas secundum esse in rationali et irra- « tionali. Sic enim rationale transmutaretur in irratio- « nale, quod negat Aristoteles fieri posse in libro E- « thicorum [2] ». Ipse Albertus huius rei rationem ex eo repetivit, quod genus est inchoatio differentiarum, et differentiae sunt profectio, seu, ut secundum Scholam loquamur, *complementum* generis. Et scite; nam, si genus inchoat differentiam, et differentia genus perficit, necesse est, ut differentia totam essentiam generis, non vero solum aliquam partem eius complectatur. « Hoc

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 3. — [2]) *Op. cit.*, tract. V, c. 7.

« autem, subdit, ideo est, quia animalitas una inchoa-
« tio est rationalis et irrationalis, et unum et idem in-
« choationis principium in essentia: quod tamen ut com-
« prehensum est ab uno, tractum est ad esse princi-
« piati. Et ideo secundum hoc non potest esse compre-
« hensum ab alio, quod secundum partem suae potestatis
« est in alio [1] ». Vt hanc rem eodem exemplo, quod antea protulimus, declaremus, essentia, sive, ut Scholae aiunt, ratio anguli una, et eadem est tum in rectilineo, tum in curvilineo, tum in mixtilineo ; si quidem tres hae species anguli habent universam essentiam anguli, scilicet, inclinationem duarum linearum ita sibi occurrentium in aliquo puncto, ut productae mutuo secentur. At, quoniam lineae, quae in se incurrere possunt, diversae sunt, efficitur, ut unica essentia anguli tribus diversis modis determinari queat, angulusque multiplex specie fieri possit, quippe quod, prout lineae, ex quibus constat, vel sunt ambae rectae, vel ambae curvae, vel una recta, et altera curva, angulus, unus genere, fit specie triplex, scilicet aut rectilineus, aut curvilineus, aut mixtilineus. Ex his intelligere licet, cur s. Thomas docuerit genus in species, quae ipsi subiiciuntur, *univoce*, hoc est, eadem ratione, dividi, ob idque *univoce* de ipsis praedicari. « Vnumquodque genus, scribit, dividitur univoce in spe-
« cies contentas sub genere [2] »; et rursus: « Ad rationem
« generis requiritur, quod univoce praedicetur [3] ».

Ad haec, quandoquidem differentiae genus dividunt non ex eo quod essentiam eius in partes secant, sed ex eo quod essentiam simplicem aliquo modo determinant, seu, ut Scotus locutus est, *qualificant* [4], oportet plures, et

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 7. — [2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, q. I, a. 2 ad 2. — [3]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 3 ad 6.

[4]) « Genus, ait, accipitur a parte materiali, et ideo praedi-
« cat essentiam per modum substantis, qui est modus essentiae. Per
« oppositum autem differentia accipitur a parte formali, et ideo
« praedicat essentiam per modum informantis, et qualificantis »;
Op. cit., q. XIX c., n. 2.

contrarias esse differentias, per quas genus in species dividi intelligitur. Et primo, plures ipsae esse debent. Nam, cum quaelibet species essentiam simplicem generi aliqua qualitate essentiali determinatam complectatur, inde fluit genus non posse in plures species divisum intelligi, quemadmodum re ipsa intelligendum esse ostendimus [1], nisi per plures qualitates essentiales determinatum intelligatur. Atqui id, quod genus aliqua qualitate essentiali determinat, differentia est. Oportet igitur plures esse differentias, per quas genus dividi intelligitur. Id ipsum ex notione differentiae perspici potest. Differentiae enim, uti diximus, proprium est genus dividere; genus autem non aliter divisum intelligi potest, quam quod ea, quae *virtute* in eo sunt, *actu* separentur, ipsumque genus multiplex fiat. « Differentia enim, « ait Albertus M., cum se habeat ad genus ut divisa, non « est continens, sed separans, et in multitudinem agens [2] ». Atqui genus multiplex actu fieri nequit, nisi per multas differentias, quia, differentiam addita generi, id, quod *virtute* in genere est, *ad actum* reducit. Ergo necesse est, ut differentiae, per quas genus dividi intelligitur, plures sint.

Secundo, differentiae, per quas genus in species dividitur, debent esse contrariae. Vt id facile evincamus, advertendum in primis est nos non posse intelligere aliquid, quod est commune, in plura aliter dividi, quam per *opposita*, si quidem ea dumtaxat, quae aliquo modo sibi repugnant, id, quod commune est, dividere possunt. Ad rem s. Thomas: « Oportet quod solum « oppositis aliquid commune dividatur [3] ». Ita nos animal, quod homini, et belluae commune est, in rationale, et irrationale dividi intelligimus, quin habere rationem, et ratione carere sibi repugnant. Quocirca, si differentiae genus, quod commune est, di-

---

[1]) Vid. p. 237 sqq. — [2]) *Op. cit.*, tract. III, c. 2.
[3]) *In lib. VIII Met.*, lect. X.

viduntˌ eae oppositae sint oportet. « Quia, ait Albertus « M., unumquodque dividentium in sua differentia , et « forma accipitur, oportet , quod fiat divisio per diffe- « rentias oppositas sic : animalium aliud rationale , a- « liud irrationale [1] »; et luculentius alibi: « Differentia « non dividit, nec habet oppositionem. Nihil autem si- « biipsi oppositum est, sed ei opponitur, cui contraria- « tur. Omnis enim differentia, quae dividit genus, sibi « oppositam habet differentiam : et ideo genus coniun- « ctum cum una differentia facit speciem aliam illi op- « positam, quia alietas, ut dicit Boëtius, causatur ab op- « positione [2] ». Hinc Henricus Gandavensis scite asseruit nos intelligere non posse , quomodo una differentia genus dividat , et speciem constituat , nisi aliam differentiam illi oppositam cum illa idem genus dividere , alteramque speciem constituere quoque intelligamus. En pauca, sed luculenta eius verba: « Differentia quaelibet « sub genere est divisiva generis, et constitutiva speciei « addita generi. Non est autem differentia una divisiva « generis, nisi cum aliqua alia differentia sibi opposita « secum condividente illud genus , constitutiva alterius « speciei sub eodem [3] ».

At , cum oppositio multiplex esse possit , sciendum quoque est oppositionem differentiarum esse illam, quae *contraria* a Logicis post Aristotelem dicta fuit. Enimvero contraria , uti suo loco dicemus , sunt ea opposita, quae, etsi in eodem subiecto *actu* esse nequeant, tamen subiectum ad ea suscipienda comparatum est. « Contra- « ria, Albertus M. scribit, potentia nata sunt fieri circa « idem, et non actu simul [4] ». Atqui differentiae pertinent ad idem subiectum, quia idem genus, diversis qualitatibus essentialibus , puta animal rationali , et irrationali , determinant ; unde Porphyrius post alios veteres diffe-

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 7. — [2]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 6.
[3]) *Op. cit.*, art. XXVII, q. 3, n. 8, p. 425, col. 1. Cf p. 228, et 229. — [4]) *Topic.* lib. II, tract. 2, c. 2.

rentiam ita quoque definivit: « Differentia est, quod com-« paratum est ad ea discernenda, quae sub eodem gene-« re sunt [1] ». Differentiarum igitur, per quas genus in species dividitur, oppositio contraria est. « Cum ad diffe-« rentiam secundum speciem, s. Thomas inquit, requira-« tur identitas generis, et diversificatio generis per di-« versas species, et cum utrumque in contrarietate re-« periatur, sequitur, quod differentia secundum speciem « sit contrarietas », et rursus: « cum differentia secun-« dum speciem sit secundum se diversificans genus, ma-« nifestum est, quod haec differentia sit contrarietas [2] ». Ad id comprobandum non parvam vim habet argumentum, quod paulo ante adduximus [3], quodque contrahi potest hunc in modum: « Genus, aiente s. Thoma, se « habet ad differentias, sicut materia ad formam [4] ». Atqui formae, quarum materia susceptrix est, ut saepe innuimus, et alias ostendemus, sunt contrariae, puta calor, et frigus, albedo, et nigredo. Ergo differentiae, quae genus, tanquam formae materiam, determinant, contrariae sint oportet. Iam, si differentiae, per quas genus dividitur, contrariae sunt, profecto non possumus intelligere genus per unam differentiam dividi, nisi per aliam quoque ipsum dividi intelligamus, quia, cum contraria se mutuo expellant, nequit unum intelligi, nisi intelligatur et alterum. Id breviter s. Bonaventura inculcavit hocce pronuntiato: « Si est ponere unam differentiam « contrarietatis, et alteram [5] ».

Denique omnes differentiae, per quas genus dividi intelligitur, uti ex dictis facile perspicere licet, positivae esse debent. Etenim, differentiae genus dividunt, quatenus unaquaeque illarum ipsum aliquo modo determinat. Atqui genus determinatur non per aliquem defectum, aut privationem realitatis, sed dumtaxat per aliquam realitatem, hoc est, non per aliquid quod *negative*, sed per

[1]) *Op. cit.*, c. cit. § 18, p. 392. — [2]) *Op. cit.*, ibid.
[3]) P. 268. — [4]) *Ibid.* Cf p. 244.
[5]) *In lib. II Sent.*, Dist. I, p. 2, a. 1, q. 2 *in fund.*

aliquid, quod *positive* intelligitur. Nam primo, genus determinatur, cum illud, quod *potestate*, seu *virtute* in eo est, ad actum reducitur; illud autem, quod potentia, seu virtute, in aliquo est, secundum effatum Scholae, quod alibi exponemus, ad actum reduci non potest, nisi per id, quod est actu, nempe per id, quod est reale. Secundo, differentia, ut modo ostensum est, ad genus, tanquam forma ad materiam, se habet; forma vero est aliquid reale, quia ipsa, quemadmodum suo loco ostendemus, est *actus* rei, seu est id, per quod quaelibet res est, et operatur, atque a ceteris distinguitur. Differentiae igitur, per quas genus dividi intelligitur, positivae esse debent.

At, quamvis omnes differentiae sint positivae, tamen nos unam differentiarum *affirmative*, alteram *negative* significamus, quippe quod unicam essentiam, seu formam, prout generi adest, unam differentiam, et, prout a genere abest, alteram differentiam constituere intelligimus. Ex. gr. nos animalitatem cum in homine, tum in bellua deprehendimus, sed, quia rationem cum animalitate in homine, non vero in bellua coniungi deprehendimus, animal, quod genus est, differentiis rationali, et irrationali dividi intelligimus, atque animalium aliud rationale, aliud vero irrationale esse dicimus. Iamvero, irrationale, etsi negative significetur, tamen est differentia positiva, quia animal aliquo peculiari modo determinat; puta bellua, quae animal irrationale est, reapse naturam animalem determinatam habet. At, quoniam peculiari voce caremus, illam per negationem alterius, nempe rationalis, significamus, neque in ea hoc modo significanda fallimur, quia, cum differentiae contrarie sibi opponantur, una per affirmationem significata, altera per negationem intelligi, et significari potest. En locum Alberti M., in quo hanc subdifficilem differentiarum doctrinam exposuit: « . . . ra-
« tionale et irrationale, quae oppositae differentiae sunt,
« hominem, et equum a se invicem dividunt, qui sub
« eodem sunt genere, quod est animal: quamvis una

« sola forma, sive differentia, quae a forma sumitur, prae-
« sentia , et absentia facit mutationem ab esse ad non
« esse, vel a non esse ad esse : sicut et animal est aut
« rationale , aut irrationale: et sic, quando fit per con-
« tradictionem divisio , fit una differentia per affirma-
« tionem , et alia per negationem accepta: tamen , quia
« disparata sunt quae sunt sub eodem genere, et unum-
« quodque dividentium in sua differentia, et forma accipi-
« tur, oportet, quod fiat divisio per differentias opposi-
« tas sic : animalium aliud rationale , aliud irrationale.
« His enim differentiis a se invicem differunt, quae sunt
« sub eodem genere. Quamvis enim, sicut dicit Avicen-
« na , et Alfarabius, irrationalia , et alia similia negati-
« ve accepta non dicant vero nomine differentias (eo
« quod differentia nonnisi positive potest significari) ,
« tamen, quia propria nomina differentiarum non habe-
« mus, unam notam differentiam ponimus, et aliam per
« privationem eiusdem significamus, quae est speciei sub-
« alternae, quae sub genere ponitur [1] ».

Postquam differentiam, prout refertur ad genus, novi-
mus, necesse est, ut ipsam, prout refertur ad speciem ,
in praesentia consideremus. Differentiae, si ad genus, prout
ipsum dividunt, referuntur, ad species referuntur , prout
ipsas constituunt. « Differentiae, Albertus M. ait, . . . et
« ad genus et ad speciem comparantur, et ad utrumque
« illorum habent respectum; ad genus quidem, prout sunt
« divisivae, ad speciem autem, prout sunt constitutivae [2] ».
Iamvero, sciendum in primis est differentias species con-
stituere ex eo ipso, quod genus dividunt; nos enim plu-
res species, quae sub eodem genere sunt, cognoscimus ,
easque ab se discernimus, quia illud , quod ipsis com-
mune est , per differentias in ipsis contractum , seu de-
terminatum , proindeque divisum cogitamus. Exempli
loco , nos hominem , et belluam ex animali effici in-
telligimus, et , tanquam duas species animalis , inter se

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 7. — [2]) *Op. cit.*, tract. V, c. 9.

discernimus, quippe quod animalitatem alia differentia in homine, alia in bellua contractam, et, prout nostra ratio intelligendi fert, quasi divisam, apprehendimus. « Et ex hoc, idem Albertus scribit, quod divisiva (*differentia*) « sit constitutiva ex hoc probatur, quod divisio est ex hoc quod separat, separata contrahit, et « coarctat ab ambitu generis divisi, et hoc est constituere sub genere, et generis potestate [1] ». Et post eum s. Thomas : « Oportet, ut Philosophus dicit in « *VII Metaph.*, quod differentiae dividentes aliquod genus, et constituentes speciem illius generis, per se « dividant illud [2] ». Nos vero, eodem Alberto monente, genus per differentias contrahi, speciesque inde effici intelligimus, propterea quod intelligimus differentiam, generi additam, essentiam, quae in genere est, perficere, seu, ut in Scholis loquendi mos est, *complere*, quatenus essentiam rei, quam genus inchoatam in se habet, ad actum revocat. Ex. gr., quoniam nullum animal esse, et cogitari potest, quod non sit homo, aut bellua, homo, et bellua in animali *potentia* sunt, ob idque animal, prout ad hominem, et belluam refertur, est aliquid *potentiale*. At, si ratio animali addatur, animal rationale, nempe homo, efficitur, atque ab animali irrationali, nempe bellua, distinguitur. Iam, quoniam animal rationale est perfecta, seu *completa essentia*, seu notio hominis, et animal irrationale perfecta notio belluae, liquet differentiam, cum generi additur, eiusque ambitum contrahit, essentiam rei, quam genus inchoatam in se habet, perficere. Audiatur ipsemet Albertus: « Sed hae quidem differentiae eaedem, quae per « sui oppositionem divisivae dicuntur generum, sunt et « completivae, et constitutivae specierum, quando una « earum sumitur, ut complementum potentiae generis « adveniens : tunc enim cum ex potentia et actu com« positum completum sit et perfectum, species con« stituta sit completa est [3] ».

---

[1]) *Ibid.*, c. 6. — [2]) 1ª 2ªe, q. XVIII, a. 7 c. — [3]) *Ibid.*, c. 3.

Iam, si differentiae ex eo, quod sunt divisivae, sunt quoque constitutivae, sequitur omnes differentias esse divisivas, et constitutivas. Verum, quoniam, non eodem, sed diverso modo sunt divisivae, et constitutivae, investigare iuvat, quid inter ipsas utroque modo consideratas intersit.

Et primo, differentiae prius, prout sunt divisivae, quam prout sunt constitutivae, intelligendae nobis sunt. Ne id praepostere accipiatur, in memoriam nobis revocemus nos hic agere de differentia non ontologice, sed logice spectata. Nam, si differentia ontologice consideratur, procul dubio differentia, quae genus dividit, et quae speciem constituit, una, eademque differentia est, quippe quod, cum quaelibet essentia, seu natura, genus per differentiam contractum, seu ad speciem determinatum complectatur, differentia, prout natura rei continetur, eadem est cum genere, quod dividit, et cum specie, quam constituit. Apposite s. Thomas: « Di« cendum, quod, cum animal sit id quod vere est ho« mo, distinctio naturae animalis ab homine non est « secundum diversitatem realem formarum, quasi alia « forma sit, per quam sit animal, et superaddatur al« tera, per quam sit homo, sed secundum rationes in« telligibiles[1] ». At, si differentia logice, hoc est *secundum rationes intelligibiles*, consideretur, ipsa prior est, prout est dividens, quam prout est constituens quippe quod nos intelligere non possumus species ex genere per differentias constitui, nisi ante ambitum generis per differentias divisum intelligamus. Et sane, si differentias ex eo quod genus dividunt, species constituere intelligimus, profecto prius divisionem generis, quam constitutionem specierum intelligamus necesse est. Hinc sapienter idem Albertus M., postquam divisiones differentiae innuit, subdit: « Haec autem divisio differen« tiarum per se non nisi modi divisio est: qui modus

[1]) *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. III ad 3.

« sumitur a proprio differentiae effectu. Si enim differentia in oppositione actuali accipitur ad id, a quo « facit differre, pro certo hoc modo divisiva est, et « separativa. Oppositio enim dividit et separat : nec « potest esse una et eadem potestas oppositorum secundum actum acceptorum. Si autem accipiatur differentia ut actus completivus actu potentiae generis et determinativus : sic differentia generi et potentiae adveniens, in speciem genus determinat, et constituit « speciem. Si autem forma, a qua sumitur, in se secundum id, quod est, consideretur : eadem differentia est, quae genus dividit, et speciem constituit. Sed « tamen secundum rationem prius est differentia dividens, quam differentia constituens: quia oportet, quod « differentia prius per divisionem, quam facit, a genere « exeat, antequam adveniens generi speciem constituat [1] ».

Secundo, differentiae, et prout dividentes, et prout constituentes sunt, *specificae* scitissime dictae fuere, si quidem, cum divisio generis ad constitutionem speciei ordinem habeat, liquet differentiam ad speciei effectionem concurrere non solum prout genus dividit, sed etiam prout speciem constituit. « Quoniam ergo, idem « B. Doctor scribit, eaedem differentiae aliquo modo acceptae sunt constitutivae: alio autem modo sunt divisivae: omnes tamen dicuntur specificae, et vocantur, quia « potius a constitutione accipiunt nomen, quam a divisione, quia divisio fit propter constitutionem [2] ».

Tertio, differentia de genere cum divisione, et de specie absolute praedicetur oportet. Nam, cum differentia genus dividens non solum essentiam generis qualitate determinet, sed etiam eamdem essentiam simplicem generis sibi opponat, necesse est, ut de genere non solum essentia eius per qualitatem, quam differentia dividens denotat, determinata, sed etiam eadem essentia sine illa qualitate, prout differentia opposita illam denotat,

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 3. — [2]) *Ibid.*, c. 3.

praedicetur. E contrario, quoniam quaelibet differentia unicam speciem constituit, differentia de specie, quam constituit, absolute praedicanda est. Id quoque et exposuit, et exemplo comprobavit Albertus M. scribens: « Differentia, duos habet respectus immediatos: unum sci- « licet ad genus, quod dividit : et secundum hoc cum « divisione praedicatur de genere sic, quod animal est « aut rationale, aut irrationale : dividentis enim est « praedicari sub divisione de eo quod dividit. Alterum « autem ad speciem, quam constituit, et de illa prae- « dicatur absolute sic, homo est rationale [1] ».

Quandoquidem differentiam, prout constituens est, in se ipsa inspeximus, ad ipsam in specie, quam constituit, considerandam progrediamur. Principio, si differentia, uti saepe dictum est, speciem constituit ex eo quod essentiam simplicem eius qualitate essentiali determinat, eiusque ambitum contrahit [2], consequitur formas, seu essentias, ex quibus species constituuntur, non esse aliud, uti ab Aquinate observatum fuit, nisi ipsas essentias, seu formas generis cum determinatione, quam per differentiam habent. « Formae specierum, ait « sanctus Doctor, quae sunt differentiae, non sunt aliae « formae a forma generis, sed sunt formae generis cum « determinatione. Sicut patet, quod animal est, quod « habet animam sensitivam. Homo, quod habet ani- « mam (talem), scilicet cum ratione. Leo vero, qui « habet (talem), scilicet cum abundantia audaciae [3] ». Huius rei rationem ex iis, quae antea disseruimus, facillime colligere licet. Enimvero, differentia, uti dictum est, cum ipsam generi advenire intelligimus, speciem constituit, non quia essentiam generis, quae est

---

[1]) *Ibid.*, c. 6.

[2]) Vid. p. 272. Id Albertus M. breviter significavit etiam his verbis: « Sed differentia constitutiva est in genere ad determi- « nandum generis potestatem, et contrahendum ad speciem con- « stitutam »; *Op. cit.*, tract. III, c. 2.

[3]) *In lib. XII Met.*, lect. XII.

eius complexus, in partes secat, sed quia, cum essentia generis apta sit inesse pluribus naturis, per differentiam ipsi advenientem ad unam naturam cogitur, seu, ut Scholae aiunt, determinatur, ob idque ambitus communitatis suae dividitur. At, si differentia speciem ex genere proprie efficit non quatenus eius essentiam dividit, sed quatenus eius essentiam *complet*, sapienter s. Thomas pronunciavit essentiam uniuscuiusque speciei esse ipsam essentiam generis cum determinatione, quam ex differentia capessit. Ex. gr. « Homo, ut eiusdem Aquinatis exemplo utamur, « vere est id quod est ani- « mal, quasi essentia animalis non existente praeter dif- « ferentiam hominis [1] ».

Cum hoc ita se habeat, nullo negotio intelligitur speciem ex genere, et differentia constare. « Species, sanctus « Doctor inquit, constituitur ex genere, et differentia [2] ». Et sane, si essentia uniuscuiusque speciei, in quas genus dividitur, a nobis intelligitur, tamquam ipsa essentia generis, prout per differentiam determinatur, necesse profecto est, ut in qualibet specie duo distinguamus, scilicet aliquid, quod naturae eius cum aliis naturis, quae sub eodem genere sunt, commune est, et aliquid, per quod natura eius ab aliis distinguitur. Atqui primum est illud, quod genus, alterum est illud, quod differentia vocatur. Ergo in qualibet specie genus, et differentia esse debent. Egregie id explicuit Henricus a Gandavo: « Cum enim accipitur ut genus, « est quasi indeterminatum et ignotum, non enim sci- « tur de qua specie praedicatur. Vnde, habito gene- « re, anima intendit adquirere determinatum aliquid,

---

[1]) *Super Boët., De Hebdom.*, lect. II. Id ipsum Angelicus, inculcavit cum alias, tum hoc in loco: « Illud duplex esse (*imper- « fectum, et specificum*) non est secundum aliam, et aliam formam, « sed secundum unam formam, quae homini dat non solum hoc, « quod est esse animal, sed hoc quod est esse hominem »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 1 ad 24.

[2]) I, q. III, a. 5 c.

« animal enim est quiddam in se, cuius esse non « est terminatum, nisi cum fuerit rationale, et irra- « tionale : homo autem est ipsum terminatum, non « quod est coniunctio ex animali et rationali, sed quod « est animal, quod est rationale [1] ». Hinc idem Henricus sanxit genus per differentiam ita determinari, ut « in- « tentio formae generis, et formae differentiae in in- « tentione tertia, quae est forma speciei, concurrant, « non per aliquam compositionem, velut ex partibus « diversis re, sed per naturae identitatem, et rationis « diversitatem [2] ».

Quod si naturas rerum, ex quibus intellectus notiones specierum efformat, expenderimus, inde novum argumentum ad idem comprobandum nobis suppeditabit. Re vera, in qualibet natura creata, ut suo loco ostendemus, duplex principium invenitur, unum *potentiale*, alterum *actuale*, quippe quod, cum omnis natura creata *esse* suum ex se non habeat, aliquid, quod in ea *in potentia* est, et aliquid, per quod e potentia *ad actum* reducitur, in ea inveniantur oportet. Primum principium quoque *materiale*, et secundum *formale* dictum est, quia, cum nos non alio modo res nominare possimus, quam quo illas intelligimus, sequitur, si res intelligibiles, ex sensilibus cognoscimus, illas nonnisi per has nominare posse. Iamvero, cum de specie agitur, genus, uti ex Damasceno vidimus [3], materiae, et differentia for-

---

[1]) *Op. cit.*, art. XXVIII, q. 3, n. 6. — [2]) *Ibid.*

[3]) P. 244. Sedulo advertendum est Scholasticos genus cum materia, et differentiam cum forma comparasse, non quia genus est materia prima, et differentia est forma, per quam materia prima ad certam naturam corporalem determinatur, sed quia, quemadmodum materia prima denotat *esse imperfectum* naturae corporalis, et forma *esse perfectum* eius, ita genus denotat *esse*, quod quamlibet naturam inchoat, nempe *esse imperfectum*, et differentia *esse*, quod eamdem naturam perficere intellectus intelligit, nempe *esse perfectum*. Huius interpretationis vadem damus s. Thomam: « Genus sumitur a materia, « et differentia a forma, ita tamen quod per materiam non « intelligatur materia prima, sed secundum quod per formam

mae respondet. Species igitur , utpote quae naturam rei creatae perfectam repraesentat , ex genere , et differentia constet necesse est. Breviter id laudatus Henricus explicuit his verbis: « Quod vero est in actu sub genere per « differentiam , est species composita ex utroque. Sed « compositum ex duobus , quorum unum est in potentia, alterum vero actu respectu illius, necessario habet « in se compositionem ex actu et potentia [1] ».

S. Thomas, qui hanc doctrinam saepe inculcavit, illud quoque monuit , in substantiis compositis genus esse materiam , et differentiam esse formam eius. Nam , si materiam rei compositae absolute consideremus , intelligimus ipsam non esse ullum compositorum , quae in natura sunt, sed esse in potentia ad quodlibet illorum, scilicet aliquid *potentiale* , seu possibile ; verum , cum formam materiae advenire intelligimus, illud quoque intelligimus materiam ad certam quandam naturam per ipsam reduci , a ceterisque naturis discriminari. In substantiis vero simplicibus idem sanctus Doctor docuit genus in eo agnoscendum esse , quod substantia simplex , non secus ac quaelibet substantia creata, non habet esse ex se, et differentiam in eo , quod eius *esse* magis , minusque ad *esse* Dei, cuius similitudo est, accedit. E re est exscribere brevem, sed praeclarum locum sancti Doctoris: « Ex « ipsa possibilitate quidditatis [2] trahitur ratio generis, ex « complemento autem quidditatis trahitur ratio differentiae , secundum quod appropinquat ad esse in actu : « sed hoc differenter contingit in substantiis composi- « tis , et simplicibus ; quia in compositis possibilitas

---

« recipit quoddam esse imperfectum , et materiale respectu « esse specifici: sicut esse animalis est imperfectum, et materiale « respectu hominis »; *Qq. dispp., De Sp. creat.*, a. 1 ad 24.

[1]) *Op. cit.*, q. 3, n. 9.

[2]) Essentia a Scholasticis *quidditas* dicta fuit, quia, uti ante innuimus, essentia significat, *quid* res sit; unde interroganti *quid* sit res, essentia rei aperitur. Ita interroganti *quid* sit homo, respondetur esse *animal rationale*.

« est ex parte materiae, sed complementum est ex « parte formae ; et ideo ex parte materiae sumitur ge- « nus, et ex parte formae differentia. In simplici- « bus autem naturis non sumitur genus, et differentia « ab aliquibus partibus, eo quod complementum in eis, « et possibilitas non fundatur super diversas partes quid- « ditatis, sed super illud simplex, quod quidem habet « possibilitatem, secundum quod de se non habet esse, « et complementum, prout est quaedam similitudo di- « vini esse, secundum hoc, quod appropinquabilis est « magis, et minus ad participandum divinum esse ; et « ideo quot sunt gradus complementi, tot sunt differen- « tiae specificae [1] ».

Quandoquidem omnis res ex forma quamdam propriam naturam capessit, liquet distinctionem specificam rerum ex differentiis repetendam esse, quemadmodum distinctio generica ex materia, uti diximus, repetenda est, quippe quod formae rerum per differentias, et materia per genus repraesentantur. Audiatur rursus Aquinas: « Sciendum, quod diversitas secundum genus redu- « citur in diversitatem materiae ; diversitas vero secun- « dum speciem in diversitatem formae... Sicut ex hoc « communi materiali, quod est habere vitam, sumitur « hoc genus, quod est animatum corpus; ex perfectione « vero superaddita, haec differentia, sensibile; ex imper- « fectione vero, haec differentia, insensibile; et sic di- « versitas talium materialium inducit diversitatem generis, « sicut animalis a planta. Et propter hoc dicitur materia « esse principium diversitatis secundum genus, et eadem « ratione forma est principium diversitatis secundum spe- « ciem; quia a praedictis formalibus, quae habent addita « materialia, unde genera sumuntur, per comparationem « formae ad materiam sumuntur differentiae, quae con- « stituunt species [2] ».

---

[1]) *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 5 c.
[2]) *Super Boët., de Trinit.*, lect. I, q. 11, a. 2 c.

Si species ex genere, et differentia constat, necesse est, ut differentiae in specie non potestate, aut virtute, ut in genere, sed *actu*, et *intellectu*, quemadmodum Albertus M. docuit, sint. « Igitur differentia nec actu, nec « intellectu est in genere, in specie autem et actu, et « intellectu [1] »; atque inferius: « Differentia est, qua a- « bundat species a genere, habens differentiam in se et « actu, et intellectu, quam non habet genus, nisi pote- « state [2] ». Enimvero, differentia primo est *actu* in specie, quia, cum principia, quae rem constituunt, ipsa res sint, repugnat speciem cogitare, quin differentiam *actu* in ea esse cogitetur. Secundo, est *intellectu* in specie, quia, cum cognitio perfecta, seu scientia rei, uti antea innuimus, per causas ipsius rei adquiratur, sequitur differentiam ex eo, quod est principium constitutivum speciei, esse etiam oportere principium, per quod species intelligitur.

Inde cuilibet perspicere licet, quam sapienter sancitum a Scholasticis fuerit definitionem rei ex genere, et differentia constare. Re vera, obiectum, seu terminus definitionis, nempe, ut Scholae loquuntur, *definitum*, non est aliud, quam species; si quidem finis definitionis, ut suo loco videbimus, est determinatam, seu *completam* essentiam rei declarare, hanc autem species, uti dictum est, repraesentat. Hinc, quandoquidem species ex genere, et differentia conflatur, oportet, ut definitio genus, et differentiam rei declaret. At, cum species, ut modo diximus, potius ex differentia, quam ex genere constituatur, definitionem quoque verius ex differentia, quam ex genere effici manifestum est. « Quamvis, inquit s. Thomas, « in diffinitione ponantur genus, et differentia, tamen dif- « finitio est ratio ex differentiis tantum, quia genus non « est praeter differentias [3] ». Et scite. Nam forma in qua-

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 3. — [2]) *Ibid.*, c. 5.

[3]) *In lib. VIII Met.*, lect. XII. Atque *ibid.*: « . . . tota essen- « tia diffinitionis in differentia quodammodo comprehenditur ».

libet re est id, per quod res est id, quod est, per quod operatur, et per quod a reliquis distinguitur. Atqui differentia in constitutione speciei respondet ei, quod in qualibet natura forma est. Ergo definitio, cuius obiectum est species, seu essentia rei perfecta, et determinata, in differentia potissimum consistit.

Illud quoque advertendum est, quod ex dictis nullo negotio colligitur, nempe definitionem non constare ex genere, et differentia, tamquam ex duobus principiis diversis, quorum utrumque eius pars est. Id in primis ex ipsis notionibus generis, differentiae, et speciei demonstrari potest. Nam, si species ipsam essentiam generis per differentiam determinatam complectitur, liquido patet genus, et differentiam non esse duas essentias diversas, sed unam, eamdemque essentiam, quae in genere, in differentia, et in specie secundum diversos modos invenitur. Re vera, genus, uti Albertus M. monuit, essentiam rei, prout in *potestate*, aut, si minus stricte loqui mavis, in *potentia* est, denotat; differentia autem eamdem essentiam, prout ad actum reducitur, seu determinatur, quia ipsa est *actus*, qui essentiam possibilem, seu *potentialem* generis determinat; species denique eamdem essentiam, prout per differentiam iam determinata est. « Nomen generis, et res, ait Albertus M., praedicatur secundum quod genus per abstractionem intellectus dicit nomen totius existentis in potentia. « Differentia autem dicit notionem actus totum esse « determinantis, secundum quod est actu indeterminato: « quia aliter praedicari de specie non posset. Species autem dicit notionem totius sic determinati et distincti[1] ». S. Thomas vero ea, in quibus hae tres notiones universales versantur, considerans, docuit genus totum, quod speciem constituit, ex parte materiae, differentiam ex parte formae, et speciem ex utraque parte repraesentare. « Genus, et differentia, subdit, non sunt

---

[1]) *Ibid.*, tract. V, c. 4; cf *ibid.*, c. 5.

« partes speciei ; alioquin non praedicarentur de specie: « sed, sicut species significat totum , idest compositum « ex materia, et forma in rebus materialibus; ita differe« rentia significat totum , et similiter genus: Sed genus « denominat totum ab eo, quod est sicut materia: Dif« ferentia vero ab eo, quod est sicut forma: Species vero « ab utroque: Sicut in homine sensitiva natura materialiter « se habet ad intellectivam; animal autem dicitur, quod « habet naturam sensitivam ; rationale, quod habet in« tellectivam; homo vero, quod habet utrumque; et sic « idem totum significatur per haec tria, sed non ab eo« dem [1] ». Iamvero si genus , differentia , et species unam , eamdemque essentiam , seu unum, idemque totum, secundum diversos aspectus designant , evidens est non esse diversa principia , ex quibus species componitur.

Praeterea , id ipsum ex manifesto absurdo , ad quod contraria sententia ducit , comprobari potest. Certe , uti ab eisdem Alberto M. , et s. Thoma observatum fuit , si genus , et differentia essent partes diversae speciei, et definitionis , cuius obiectum species est, genus , et differentia de specie , et de re, quae definitur , seorsum praedicari non possent. Nam , si partes, ex quibus species, et definitio constant, essent diversae, species, atque idcirco definitio , essent totum integrale. Atqui de toto integrali nulla eius pars praedicari potest , quippe quod ratio , seu essentia totius integralis ex omnium , quae totum componunt, coniunctione efficitur; puta nulla pars horologii de horologio praedicari potest , quia horologium non est ulla eius pars. Ergo , si genus , et differentia essent partes diversae speciei, et definitionis , genus , et differentia de specie , et de re definita seorsum praedicari non possent. Iam , genus , aut differentiam de specie, aut de definito praedicari posse in con-

---

[1]) 1ª 2ae, q. LXVII, a. 5 c.; cf *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. 1, a. 5 c.

fesso apud omnes est; si quidem hominem esse animal, et hominem esse rationalem vere asseritur. Indubium igitur, et apud omnes etiam in confesso esse debet speciem, et definitionem, quae speciem declarat, constare ex genere, et differentia, non tamquam ex principiis, aut, si ita loqui lubet, partibus diversis, sive ex principiis, quae essentiam speciei divisam exhibent, sed ex principiis, quae totam essentiam speciei diversis modis denotant. « Nec dicitur, Albertus M. scribit, species componi ex genere, et differentia, tamquam ex duobus diversis, quorum utrumque sit compositi, quia sic definitio, in qua ponuntur genus et differentia, non esset unum, sed multa. Et, si sic esset, neutrum per se esset praedicabile de specie, sed totum simul compositum tantum de specie praedicaretur. Genus enim totum esse dicit speciei, sed in potentia, ut dictum est : et nomen generis notio est totius esse speciei in potentia, quia aliter non posset de specie praedicari. Et differentia ut quale, non ut qualitas sumpta, dicit totum esse speciei, sed in actu : et secundum quod est notio totius esse in actu, sic praedicatur de specie : et diffinitio dicit totum esse speciei in potentia et actu; et ideo praedicatur convertibiliter [1] ».

At, quamvis genus, et differentia partes speciei proprie non sint, tamen partes speciei quodammodo dici posse facile intelligetur, si animo recolatur notiones generis, et differentiae respondere partibus rei, ad quam ipsae referuntur. « Sed verum est, s. Thomas subdit, quod in compositis genus et differentia, quamvis non sint partes, tamen a partibus rei fluunt, quia genus fluit a materia, quamvis non sit materia, et differentia a forma, quamvis forma non sit differentia, sed forma sit principium illius [2] ». Quo factum est, ut ipse Albertus, qui genus, et differentiam non esse veras partes speciei adeo asseruit, et inculcavit,

---

[1]) *Op. cit.* ibid. c. 5. — [2]) *In lib. II Sent.* ibid.

aliquando ipsas partes nuncuparet. Neminem pigeat, cum de difficili logicae capite agatur, alterum locum eiusdem Doctoris legere, quo suum tractatum *de differentia* conclusit: « . . . definitio constat ex genere, et « differentia, sicut ex partibus, quarum utraque est as- « signatio totius: sed differunt partes, quia una dicit « totum in potentia, altera dicit totum in actu: cum « totum consistat ex potentia et actu, sicut essentialibus « partibus: non est enim inconveniens, quod totum es- « sentiale sit in qualibet sua parte secundum esse di- « versum: et secundum hoc definitio totum dicens esse, « constat ex genere et differentia [1] ».

His omnibus exploratis, licet nobis in praesentia definitionem differentiae, prout haec est quoddam praedicabile, inquirere.

In antecessum monendum est strictam definitionem differentiae, uti iam Albertus M. monuit, dari non posse. Nam, primo, cum omnis definitio ex genere, et differentia componatur, ad intelligendam definitionem differentiae opus foret definitione alterius differentiae, ex qua illa constat, atque ad hanc alteram intelligendam tertia: unde progressio in infinitum fieret, ob idque ad primam differentiam intelligendam numquam perveniretur: « . . . diffinitionem propriam (*differentia*) non habet, « eo quod omnis diffinitio est ex genere, et differentia: « et ideo, si differentia diffinitionem haberet, oporteret, « quod illa constaret ex genere, et differentia; et sic « differentiae definitio esset ex differentia, et hoc abibit « in infinitum [2] ». Praeterea, obiectum, aut terminus definitionis proprie sumptae, uti paulo ante diximus, est species, quia species perfectam notionem rei, ad quam declarandam definitio destinatur, continet. Ergo, si differentia stricte, seu logice definiri posset, ipsa cum specie confunderetur. « Adhuc autem, pergit Alber- « tus, cum nihil diffiniri possit proprie nisi species,

---

[1]) C. 9. — [2]) *Ibid.*, tract. V, c. 7.

« si differentia diffinitionem in vera ratione diffinitio-
« nis haberet, oporteret, quod differentia esset species:
« quod esse non potest [1] ». Nihilominus, quoniam differentiam considerare nobis licet vel ex eius fine, vel ex effectu, vel cum aliis universalibus comparatam, multas eius descriptiones conficere possumus. « Potest tamen,
« idem Doctor concludit, habere descriptiones ex fine,
« vel ex posteriori, vel ex effectu, vel ex comparatione
« ad ea, ad quae comparatur [2] ».

Re vera, Porphyrius quinque definitiones differentiae tradidit; sed quanam ex parte singulae differentiam spectent, et quaenam ceteris praeponenda sit, minime patefecit. Hinc inter Scholasticos mediae, et recentis aetatis acerrima lis de quinque illarum definitionem vi, et usu exarsit. Non defuere inter recentes Scholasticos, qui putarent Porphyrium quatuor priores definitiones non ex sua, sed ex quorumdam veterum, quicumque tandem illas usurparunt, sententia protulisse, eisque quintam, quam tanquam suam, et veram agnovit, obiecisse [3]. At, haec opinio recentium nobis haud probatur. Nam Porphyrius, etsi quatuor priores definitiones aliorum nomine proposuisset, tamen nihil adiecit, quo se illas reprehendere, uti Balforeus voluit [4], significaret. Solam tertiam mancam esse putavit, eamque quinta emendare, et perficere studuit. Verum, hanc ipsam emendationem sibi non vindicavit, quemadmodum idem Balforeus scripsit [5]; sed ab iis didicisse dixit, qui diligentius, et exquisitius de differentia tractarunt [6]; quocirca quintam definitionem, non secus ac ceteras, non ex sua dumtaxat, sed etiam ex aliorum sententia tradidit.

---

[1]) *Ibid.* Inde intelligis ex tribus primis universalibus solam speciem stricte, et proprie definiri posse, quia in sola specie genus, et differentiam intelligere licet. — [2]) *Ibid.*

[3]) Huius opinionis momenta videre licet apud Balforeum, *Op. cit.*, in cap. *De differentia* Quaest., sect. 2, p. 131, et 132, ed. cit.

[4]) *Ibid.*, sect. 1, p. 128, et sect. 2, p. 130.

[5]) *Ibid.* — [6]) *Op. cit.*, c. 3, § 20, p. 393.

Hac igitur de causa, nos secundum Arabes, Doctores mediae aetatis, et plerosque recentes arbitramur omnes definitiones, quas Porphyrius ex veterum libris exprompsit, admitti posse non quia strictae definitiones sunt, sed quia ipsae differentiam aliquo ex respectu describunt, et tantum in controversiam vocari posse, quaenam illarum differentiam, prout praedicabile est, prae reliquis designet.

Iam, nos, Alberti M. vestigiis insistentes, statuimus solam secundam definitionem, nempe illam, qua dicitur esse, *quod de pluribus, et specie differentibus in quale quod est, praedicatur* [1], differentiae convenire, prout ipsa est quoddam speciale praedicabile. Enimvero, quoniam differentia, prout praedicabile est, necessario expostulat, ut de pluribus praedicari possit, illa definitio, seu descriptio dumtaxat differentiae convenit, prout ipsa praedicabile est, quas differentiam ex ea parte declarat, qua de pluribus praedicari potest. Atqui id in secunda ex definitionibus, quas Porphyrius tradidit, dumtaxat invenitur. Ergo haec definitio dumtaxat in differentiam, prout quoddam praedicabile est, quadrat. Assumptionis, quam Scholae *minorem* vocant, veritatem ex singularum definitionum recensione ostendere in promptu est.

Et sane, prima definitio ita se habet: *Differentia est, qua species genus superat* [2], seu, ut Scholae aiebant, abundat a genere. Haec definitio procul dubio vera est, quia species, uti ex dictis facile intelligitur, per differentiam genus et *actu*, et *intellectu* excedit. « Abundat autem, Al« bertus ait, actu, ut species sit in actu, sicut in effe« ctu : intellectu vero abundat, quia est de intellectu « speciei differentia, nec intelligi potest in actu, nisi per « differentiam, sine qua non intelligitur nisi in poten« tia [3] ». Ast, ipsa rationem, ob quam differentia praedicabilis de multis est, non declarat, quia non explicat, quo-

---

[1]) *Op. cit.*, c. 2, § 17, p. 391.
[2]) *Ibid.* § 16, p. 391. — [3]) *Op. cit.*, tract. V, c. 4.

modo differentia ex eo, quod per ipsam species genus excedit, de pluribus diverso modo, ac reliqua universalia, praedicari potest. Tertia definitio haec est : *Differentia est, quod comparatum est ad ea discernenda, quae sub eodem genere sunt* [1]. Haec quoque proprietatem, quae in differentia re vera est, innuit. Nam differentia, uti diximus, generi adveniens, eo ipso quod genus aliqua qualitate essentiali determinat, ipsum quoque contraria qualitate determinatum sibi opponit, ob idque opposita, quae eodem genere continentur, separat. « Hoc « ergo, idem Albertus ait, est, quod dicunt Philosophi, qui « hoc modo describunt differentiam, quod differentia « est, quod aptum natum est per suam oppositionem « dividere, sive seiungere ea, quae sub eodem sunt gene- « re [2] ». Sed haec definitio, etsi verum munus differentiae exponat, tamen non declarat, quomodo differentia, illius muneris ergo, de pluribus peculiari quodam modo praedicabilis sit.

Quarta definitio huiusmodi est : *Differentia est, quo quidque differt* [3]. Ne cui haec definitio latior, quam par est, esse videatur, Porphyrius exemplum attulit, ex quo veteres Philosophos non omnem differentiam, sed illam, quae per qualitates essentiales fit, innuisse demonstratur. Namque illico subdit : « homo enim, et equus ratione « generis non distincta sunt: animalia enim sumus et nos, « et equi; at rationale additum distinguit nos ab illis [4] ». At, praeterquam quod hac definitione non patescit, quid sit, quo per hanc differentiam res differunt, ne ipsa quidem significat, quare differentia de pluribus praedicabilis sit.

Quintam denique, tamquam illam, quae tertiam, et quartam absolvit, Porphyrius proposuisse videtur, si quidem illa denotat per differentiam discrimen poni inter ea, quae sub eodem genere sunt, non qualecumque, sed quod ad essentiam pertinet. « Qui autem, inquit, diligentius adhuc de

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. § 18, p. 392. — [2]) *Op. cit.*, tract. V, c. 7.
[3]) *Op. cit.*, ibid. p. 392. — [4]) *Ibid.* p. 392 et 393.

« differentia agunt, non qualecumque dicunt discrimen « rerum, quae sub eodem genere sunt, esse differentiam, « sed tale, quod ad essentiam rei conducat, et ad es- « sentiae cognitionem, et quod rei pars est [1] ». Procul dubio, haec emendatio optima est, sed, uti ex dictis patet, notionem differentiae, prout quoddam universale est, minime pandit.

Contra ea, secunda definitio, ni fallimur, illud manifeste aperit, per quod differentia quoddam praedicabile est, et per quod a reliquis praedicabilibus discriminatur. Quod ad primum attinet, cum differentia ita comparata esse dicitur, ut de pluribus praedicari queat, inter praedicabilia recensetur, quia hoc cuiuslibet praedicabilis proprium est. Quod vero ad alterum, ipsa in primis a genere discriminatur; si quidem, etsi differentia, perinde ac genus, de pluribus specie differentibus praedicetur, tamen de ipsis, quemadmodum ex dictis colligitur, non secundum essentiam simpliciter consideratam, uti genus, sed secundum essentiam quadam qualitate formatam, hoc est secundum essentiam per quam res est *qualis* [2], praedicatur. Praeterea, distinguitur a specie, quia, cum species non determinat essentiam generis, sed hanc, aliqua differentia iam determinatam, contineat, de pluribus numero, non specie differentibus praedicatur. Denique a proprio, et accidenti, quia haec duo universalia, uti paulo post dicemus, de pluribus secundum qualitatem accidentalem praedicantur. Iam, si inter definitiones differentiae, a Porphyrio traditas, secunda dumtaxat id declarat, per quod differentia est quoddam praedicabile, et per quod a reliquis praedica-

---

[1]) *Ibid.* § 20, p. 393.

[2]) Diximus secundum essentiam, per quam res *qualis est*, ut differentiam ab *accidenti*, quod, ut inferius videbimus, qualitas est, distingueremus. « Quale, Albertus M. scribit, in hoc differt a « qualitate, quod qualitas est accidens, secundum quod aliud di- « citur quale : quale autem dicitur subiectum qualitate forma- « tum »; *Op. cit.*, tract. V, c. 5. Cf p. 242, not. 4.

bilibus distinguitur, ipsam dumtaxat differentiae, prout quoddam speciale praedicabile est, convenire concludendum est.

Verum, haec definitio differentiae, teste Alberto M. [1], a quibusdam Philosophis, tamquam re definita angustior, explosa fuit, quippe quae differentias ultimas dumtaxat complectitur. Etenim, cum differentiae genus summum, aut aliquod genus intermedium, nempe genus, quod alia genera sub se habet, dividunt, de pluribus speciebus re ipsa praedicantur, quia genera, in quibus genus summum, aut intermedium dividitur, relata ad ipsum genus, ut mox dicemus, verae species sunt. At, differentiae ultimae, quippe quae intermedias species constituunt, nonnisi de individuis, quae singulae species ab ipsis differentiis constitutae sub se habent, praedicari possunt; puta animal rationale de singulis hominibus, et animal irrationale de singulis belluis. Inter Doctores mediae aetatis Scotus hanc sententiam tuitus est [2], et definitionem utrique differentiae, scilicet intermediae, et ultimae communem proposuit his verbis: « Differentia autem in com- « muni est sufficiens defintio *praedicari de pluribus in* « *quale essentiale* [3] ». Plerique posteriores Scholastici vel tuentur veteres Philosophos, quos Porphyrius secutus est, secunda definitione differentiam intermediam, ceteris vero utramque definivisse, vel arbitrantur eos intermediam tantum definivisse, quia ultimae differentiae, utpote quae ultimas species constituunt, naturas certas rerum denotant, proindeque differentiae *ontologicae*, non *logicae* sunt.

Vt haec difficultas solvatur, simulque penitius definitio differentiae intelligatur, advertendum est differentiam esse quoddam universale, non prout est aliquid, quod ad speciem, sed prout est aliquid, quod ad genus comparatum est. Etenim, uti Albertus M. ad hanc rem disseruit, differentia, prout ad speciem refertur,

---

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 6.
[2]) *Op. cit.*, q. XXVII, ad quaest. n. 2. — [3]) *Ibid.*, n. 3.

non aliud est, nisi forma quaedam, quae genus, tanquam materiam, determinat, naturamque efficit. Ita. *rationale* consideratum, prout animal determinat, efficit hominem, qui ex animali, et rationali, tamquam ex materia, et forma, seu ex *potentia*, et *actu* constat. At, differentia hoc modo considerata, uti ostendimus, non est notio secunda, sed prima, ob idque tertium universale non est. E contrario, differentia, prout ad genus refertur, ipsum dividit, ipsumque dividendo plures species sub eo constituit, quia, uti vidimus, cum nos intelligimus unam differentiam genus dividere, intelligimus simul ipsum aliam differentiam sibi opponere, ita ut ex eo ipso, quod genus per unam differentiam ad aliquam speciem determinari intelligimus, ipsum per differentiam contrariam ad aliam speciem determinari intelligamus. « Differentia autem, Beatus Doctor ait, per se, et substantialis secundum respectum, quem habet ad subiectum, est forma determinans materiam: et secundum hoc non est praedicabile, sed potius secundum respectum, quem habet ad genus, quod dividit, et determinat, et habet deducere ad speciem... Et ideo per actum dividendi (qui prior est in ea) nomen accipit differentiae, quae est unum de quinque praedicabilibus [1] ». Atque alibi: « Quod ex hoc, quod est divisiva, habeat, quod sit differentia, probatur ex hoc, quod divisio separatio est. Separatio autem causa est differentiae separatorum [2] ».

Ex his perspicis illos falli, qui contendunt plura, de quibus differentia praedicatur, non esse species, sed individua ipsa, quae speciei subiiciuntur. Et sane, si ita se res haberet, differentia non esset aliud universale, quam species. Nam, cum universale in eo consistat, quod est praedicabile de multis, nequit unum universale ab altero distingui, nisi diversum modum praedicandi habeat. Atqui differentiae de individuis non alio modo praedicari possunt, quam quo species de iisdem individuis praedican-

[1]) *Op. cit.*, tract. V, c. 4. — [2]) *Ibid.*, c. 6.

tur, quia ipsae in individuis non per se, sed, prout sunt specierum constitutivae, inveniuntur. Ergo, si plura, de quibus differentia praedicatur, essent individua, differentia non esset quoddam universale a specie distinctum. Praeterea, si differentiae de individuis iisdem, ac species, quas ipsae cum genere constituunt, praedicarentur, oporteret ipsas esse aequales speciebus. Atqui differentiae, si logice spectentur, non sunt aequales speciebus, in quas dividunt genus, sed ipsis superiores, si quidem ex divisione generis per differentiam facta species existunt. Ergo differentia non est universale ex eo quod de individuis, quae speciei subiiciuntur, praedicatur. Vltima autem differentia vim differentiae specificae stricte acceptae non habet, quia species quam ipsa constituit, non est genus, quod in alias plures species dividitur, proindeque ipsa plures species non constituit.

ARTICVLVS QVARTVS

De nexu trium priorum universalium disseritur

Postquam de tribus prioribus universalibus disseruimus, iuvabit ea inter sese conferre, ut, quo nexu secum colligentur, perspiciamus.

Vt huic investigationi viam nobis sternamus, considerandum nobis est naturas diversas rerum inter sese aptas, colligatasque esse oportere; alioquin ex ipsis unicum hocce compositum, quod *mundum* dicimus, effici non posset [1]. Iamvero, haud possibile est naturas diversas rerum inter se colligari, nisi singulae in qualibet categoria non solum habeant aliquid, quo ab se differunt, et aliquid, quo inter se conveniunt, sed etiam per illud, quo ab se differunt, aut inter se conveniunt, magis,

---

[1]) « Omnes res, s. Thomas ait, prout modo sunt in suo com« plemento, dicuntur unus mundus, vel unum universum »; *In lib. II Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1 ad 2.

minusve differant, aut conveniant. Etenim connexio naturarum, ex quibus mundus efficitur, expostulat, ut ipsae naturae in qualibet categoria aliae aliis gradatim subiiciantur, aliaeque ab aliis quodammodo pendeant. Atqui id fieri non posset, nisi cunctae haberent aliquid magis, minusque sibi commune, per quod ad se invicem referuntur, et singulae aliquid magis, minusve ab aliis differens, quo a se invicem, et gradatim separantur. Ergò necesse est, ut naturae diversae, ex quibus mundus conflatur, habeant aliquid, quod ipsis magis, minusve commune est, et aliquid, quo magis, minusve ab se differunt. Iam, quoniam nos tum res vere scimus, cum illarum naturas non solum *absolute*, nempe prout in se sunt, sed etiam *comparate*, nempe secundum ordinem, quem cum aliis naturis habent, cognoscimus, liquet cuilibet scientiam rerum assequi volenti quamdam seriem generum, et specierum in singulis categoriis statuendam esse, quae gradationi convenientiarum, et differentiarum, quae in naturis sunt, respondeat, quia, si notiones primae naturas rerum repraesentant, notiones secundae, nempe genus, species, aliaque universalia, uti antea dictum est, ordinem, quo mens notiones primas contineri intelligit, designant.

Iam, series generum, et specierum in qualibet categoria requirit, ut praeter genus primum, quod aliquid omnibus naturis commune repraesentat, genera subalterna admittantur, quorum unumquodque relatum ad genus, cui subiicitur, est species, et relatum ad genera, quae sub se habet, est genus, usque ad genus ultimum, quod sub se species ultimas habet, scilicet species, quibus non novae species, sed individua subiiciuntur. Ex. gr. animal relatum ad vivens est species, quia *sensus* ambitum generis viventis ad animal cogit, et vivens in animal, et vegetabile dividit. Relatum autem ad hominem, et belluam est genus, quia differentia specifica *rationis* illud dividit in animal ratione praeditum, et animal rationis expers, nempe in hominem, et bel-

luam. Hinc genera, quemadmodum species, et differentiae, sunt aut infima, aut intermedia, aut suprema. Genus supremum, τὸ ἀνώτατον, sive generalissimum, γενικωτατον, est, quod nullum supra se genus habet; infimum, ἔσχατὸν, seu *specialissimum*, εἰδικώτατον, est, quod nullum sub se habet genus; *intermedium* vero, μεταξὺ τοῦ γενικωτάτου, καὶ εἰδικωτάτου, sive *subalternum*, ὑπάλληλον, illud, quod sub diverso respectu habet genus, cui subiicitur, et genera, quae ipsi subiiciuntur; unde omnia genera, quae inter supremum, et infimum intercedunt, sunt genera intermedia, sive subalterna. Species, quae subiicitur generi infimo, est infima, sive specialissima, εἶδος εἰδικωτάτου; illae autem, quae ad superiorem, tamquam species, et ad inferiorem, tamquam genus, se habent, vocantur *subalternae*, ὑπάλληλαι. Genus generalissimum genus est, quod numquam efficitur species, quia nonnisi ad inferiora refertur. Species specialissima autem eiusmodi est, ut nunquam sit genus: si quidem species est tum relata ad superiora, quia his continetur, tum ad inferiora, quia haec sunt individua, non vero universalia. Denique media inter genus generalissimum, et speciem specialissimam sunt species, et genera, quia non solum, uti genus, ad inferiora, sed etiam ad superiora referuntur, et inferiora, ad quae referuntur, non sunt individua, cuiusmodi sunt inferiora speciei specialissimae [1], sed sunt universalia. Praestat audire s. Ioan. Damascenum, qui Porphyrium [2] secutus de hac re breviter, et dilucide disseruit: « Primum genus, quod non dividitur ab alio « genere, nec genus ullum anterius habet, genus tantum « est, non autem etiam species, appellaturque generalissi- « mum genus, cuius haec definitio est: Generalissimum « genus est, quod, cum genus sit, haud tamen species est, « quia nullum se superius genus habet. Quae autem ex ipso

---

[1]) Hinc s. Thomas: « Genus subalternum est genus, et spe- « cies »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 8 ad 6.

[2]) *Op. cit.*, c. 2, § 23-30, p. 377-380 ed. cit.

« dividuntur, si alias infra se species habeant, quae ex « ipsis dividantur, tum priorum, hoc est superiorum, « ex quibus secantur, species sunt; tum genera eorum, « quae ex ipsis dividuntur, hoc est inferiorum; ac sub- « alterna genera ac species vocantur. At extremae in- « fimaeque species, quae alias infra se species non ha- « bent, hoc est nullas species, sed sola individua, id « est hypostases seu opposita continent, non dicuntur « genera, sed species dumtaxat : Ea nimirum, uti di- « cebam, ratione, quod nullas species subiectas, quae « ex illis dividantur, obtineant. Neque enim id genus di- « ci possit, quod nullas species contineat, nec earum « aliquas, quae ex ipso dividantur, habeat. Quocirca « id, quod nullas species, sed individua tantum com- « plectitur, species dicitur specialissima, quia, cum « species sit, non tamen genus est; uti contra genus, « quod non etiam species est, generalissimum genus ap- « pellatur, ac summum [1]». Idem genus, prout refertur ad species, quae sub eo immediate ponuntur, dicitur genus *proximum* illarum, prout autem refertur ad species per alias species, quae sunt et ipsa genera, dicitur *remotum*, quia ad illas *immediate*, ad has *mediate* refertur. Ita genus proximum hominis, et belluae est animal, remotum vero vivens, quia homo, et bellua animali *immediate*, viventi autem *mediate* subiiciuntur.

Illud quoque, nobis etiam non monentibus, perspicuum est, differentias, quae genus generalissimum determinant, esse *primas*, quia genus, quod omnino indeterminatum est, dividunt; differentias, quae aliquod genus medium determinant, esse *subalternas*, quia genus, iam primis differentiis determinatum, magis, magisque determinant; differentias, quae genus infimum determinant, esse *ultimas*, quia species specialissimae, quas ipsae constituunt, cum de individuis praedicentur, aliis differentiis determinari nequeunt.

---

[1]) *Op cit.*, c. 10.

Porphyrius hoc doctrinae praedicabilium caput illustraturus exemplum a categoria substantiae sumsit [1], eoque duce Scholastici *arborem porphyrianam* excogitarunt, quae in individuis Platone, et Socrate radices agens per diversa genera, et species, tamquam ramos, alios aliis supereminentes, usque ad genus supremum substantiae, tamquam ad cacumen, extollitur. Lubet hanc arborem verbis Alberti M. describere: « Gratia autem exempli, potest hoc in « uno praedicamento esse manifestum, uti in aliis omnibus « similiter esse intelligatur, in ordine praedicabilium, quae « sunt in genere substantiae. In genere substantiae primo ponitur substantia, quae sine conversione ut genus praedicatur de omnibus, quae in genere sunt substantiae : et ideo generalissimum est vocatum. Proximum autem, quod sub hac ponitur per differentiam « constitutivam, est substantia corporea, quae vocatur « corpus. Cum autem iterum corpus per animatum, et « inanimatum dividitur, proximum sub hoc communi, « quod est corpus animatum, quod uno nomine vivum « vocatur, communitate sua ambiens et vegetabilia, et « sentientia, quae dicuntur animalia. Corpus autem animatum iterum per opposita dividitur, scilicet sensibile, et insensibile: et, cum adiunctum fuerit corpori « animato, sive vivo sensibile, proximum sub ipso positum erit animal. Cum vero animal iterum per rationale, et irrationale dividitur, quae sunt oppositae « differentiae, et rationale adiunctum fuerit animali, . . . « constituitur homo : qui alterius per differentiam non « est divisibile, quia secundum totam naturae suae potestatem est in quolibet suorum oppositorum. Sub homine ergo non est commune aliquod, sed particularia, ut Sortes, et Plato, qui sunt particulares homines [2] ».

Quare autem seriem generum, et specierum in quo-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. § 24, p. 377-379 ed. cit.
[2]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 3.

libet ordine rerum efformare nobis liceat, haud difficulter a nobis intelligetur, si ea, quae de tribus primis universalibus hactenus disseruimus, animo reputaverimus. Re sane vera, differentiae, ut dictum est, non complexum, sed ambitum generis in plures species dividunt. Iam, plures differentiae, quae ambitum generis dividunt, ipsum genus magis, vel minus determinant. Nam, quoniam formae, seu essentiae rerum, ex quibus differentiae sumuntur, magis, vel minus determinatae sunt, efficitur, ut differentiae, additae generi, ipsum genus magis, vel minus determinent, illudque ad species, alias aliis subiectas, contrahant [1]. E. g., cum nos cognoscamus ex substantiis alias esse corporeas, alias incorporeas, atque ex corporeis alias esse viventes, alias vitae expertes, atque ex viventibus alias esse sentientes, alias vero sensu carentes, et rursus ex sentientibus alias esse rationales, alias autem irrationales, et rationales substantias esse Platonem, et Socratem, substantiam, tamquam genus supremum, consideramus, atque hoc genus supremum intelligimus primo dividi per differentiam corporis in genera corporeorum, et incorporeorum, deinde per differentia vitae in genera viventium, et non viventium, tum per differentiam sensus in genera sentientium, nempe animalium, et sensu carentium, nempe vegetabilium, tum per differentiam rationis in species animalium rationalium, nempe hominum, et animalium irrationalium, nempe belluarum, et animalitatem cum ratione coniunctam esse in Socrate, et Platone, et seiunctam a ratione in Xantho, et Podargo Hectoris equis. Itaque nos intelligimus ex genere substantiae tum corporea, tum incorporea, ex genere corporum tum viventia, tum non viventia, ex genere viventium tum vegetantia, tum ani-

[1]) Id, ni fallimur, haud latenter s. Thomas innuit hocce in loco: « Forma generis limitatur ad naturam speciei, et talis limi-« tatio formae . . . fit . . . per formam magis determinatam, a « qua sumitur differentia; differentia enim addita super genus « contrahit ipsum ad speciem »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 1 ad 2.

ST. ALBERT'S

mantia, atque ex genere animantium tum homines, tum belluas oriri; quia genus substantiae, cum primo contrahitur corporeum, et incorporeum, cum rursus contrahitur vivens, et non vivens, cum magis contrahitur vegetabile, et animans, et cum magis, magisque contrahitur, animal rationale et irrationale efficere intelligimus.

Quod cum ita sit, nemo non videt nos haud difficulter intelligere posse, quomodo idem genus secundum diversas differentias magis, magisque gradatim determinari minime repugnet. At, si hoc intelligimus, illud quoque intelligamus necesse est, genus has diversas determinationes non aeque omnes, et simul, sed unam post aliam accipere, proindeque species, quae ex hisce determinationibus sibi succedentibus efficiuntur, unam post aliam e genere egredi. Namque, uti s. Thomas secundum Areopagitam advertit, plura, quae ex unico principio emanant, quodam ordine ab ipso procedere debent, quia ab uno nonnisi unum procedere potest. « Omnis numerositas, sanctus Doctor inquit, « quae descendit naturaliter ab uno, oportet, quod de- « scendat secundum ordinem, quia ab uno non exit « nisi unum [1] ». Atqui « Ordo, eodem Aquinate aien- « te, includit in se aliquem modum prioris, et poste- « rioris [2] », atque: « In omnibus, in quibus invenitur a- « liquod principium, ordo attenditur secundum compa- « rationem ad illud principium [3] ». Ergo genera, et species intermedia a genere supremo, quod ipsorum principium est, unum post alterum egredi debent. Iam, si haec omnia haud difficulter intelligimus, sequitur nos haud difficulter quoque intelligere posse, quomodo intellectus noster seriem generum, et specierum efformare sibi valeat, quia, uti ad rem s. Bonaventura advertit: « Progressus nostrae cognitionis « assimilatur progressui naturae in sua operatione [4] ».

Iam, quamlibet seriem, ut Scholastici, duce Porphy-

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. 4, a. 3 *sol.* Atque alibi: « Ordine « quodam ab uno in multitudinem proceditur »; I, q. LXXVII, a. 4 c. — [2]) 2ª 2ae, q. XXVI, a. 1 c. — [3]) *Ibid.*, a. 6 c.

[4]) *In lib. II Sent.*, Dist. XXIII, a. 1, q. 3 *resol.*

rio [1] observarunt, duplici modo considerare nobis licet, nempe vel prout ipsa ab individuis, quae speciei infimae subiiciuntur, ad genus supremum ascendit, vel prout a genere supremo ad individua descendit. Cum illam priori modo consideramus, intelligimus multitudinem per plures unitates, unam altera simpliciorem, usque ad unitatem omnium maximam assurgere, donec ad unitatem omnibus superiorem perveniat, quae genere supremo continetur. E converso, cum illam posteriori modo consideramus, intelligimus unitatem omnium simplicissimam in plures unitates minus simplices, sive in multitudines, unam altera maiorem, gradatim dividi, donec ad infinitam individuorum multitudinem, quam species infima potestate in se habet, perveniat. Cuius rei ratio est, quod, cum individua specie secundum communem essentiam contineantur, per ipsam unum specie efficiuntur; unde homines singulares, quotquot sunt, et esse possunt, sunt unus specie homo. Species autem infimae secundum essentiam inchoatam, in qua conveniunt, unum in genere infimo efficiunt; puta brutum, et homo sunt unum animal, quod est eorum genus proximum [2]. Item animal, et vegetabile, quae sunt genera media, constituunt unum vivens, cuius ipsae species sunt, atque ita deinceps usque ad notionem substantiae, quae, cum secundum arborem porphyrianam sit genus supremum, nihil habet, quod ad unitatem reduci queat [3]. Secundum ordinem in-

[1]) *Op. cit.* ibid., § 35, et 36, p. 382.

[2]) « Nulla multitudo, s.Thomas scribit, est quae non participet « uno, quia omnia multa sunt unum secundum aliquid, . . . ut « Sortes, et Plato sunt unum in specie hominis . . . Et illa, quae « sunt multa speciebus, sunt unum genere, sicut homo, et canis « differunt quidem specie, conveniunt autem in uno genere ani« malis »; *In lib. De Div. Nomin.*, c. XIII, lect. 2.

[3]) Hinc scite s. Thomas asseruit substantiam per se spectatam non posse intelligi, tamquam speciem alicuius generis, quia, cum ipsa non aliud denotet, quam *esse per se*, in eius notione principium materiale, et principium formale distingui nequeunt, sed solam substantiam compositam posse alicui generi, tamquam speciem, subiici, quia in substantia composita genus, et diffe-

versum vero, quoniam differentia suprema genus in plura, quae in eo potestate sunt, dividit, genus, quod actu est unum, multiplex efficit, prout plures sunt species. Ita, si notioni substantiae differentiam vitae addideris, illam in substantiam viventem, et non viventem divides, multiplicemque efficies. Porro, cum species, sive suprema, sive media, unum quoque sit, quod plura potestate continet, quaelibet illarum per differentiam mediam in plura quoque dividitur. Revera, vivens per sensum fit sentiens, et non sentiens. Idem locum habet usque ad individuum, si quidem, cum hoc per differentias accidentales essentiam speciei determinantes efficiatur, in alia plura dividi nequit; unde s. Thomas: « De ratione individui « est quod sit . . . ab aliis divisum ultima divisione [1] ». Praestat pauca ex Alb. M. afferre : « Qui de supremo « per media procedit ad infimum (quod specialissimum « vocatur), necesse est quod descendat a priori secun- « dum naturam in posterius, et sic semper procedat de- « scendendo usque ad praedicabile proximum, et sic de- « scendentem oportet ire per multitudinem. Non enim « devenitur in posterius, nisi per divisionem superioris. « Divisio autem, si perfecta sit, omnes partes divisi « segregando, semper est caussa multitudinis. Ideo e- « nim est perfecta ex parte divisibilis divisio : quo- « niam per divisionem accipit omnes partes eius, quod « est divisibile . . . Et e contrario autem, si quis ascen- « dat a specialissimis ad generalissima, necesse est col- « ligere multitudinem in unum, ex quo per divisionem « accepta est : resolvit enim sic ascendens, et reducit « omnia divisa (quae nonnisi per divisionem multa « sunt) in unam formam eius, quod divisum est. Et « sic ex multis procedit ad unum [2] ». Hoc ipsum s. Bo-

---

rentiam intelligere nobis licet. « Cum forma, et materia, ait, non « pertineant ad genus substantiae, tamquam species, sola sub- « stantia, quae est compositum, collocatur in genere, ut spe- « cies »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 1 ad 23.

[1]) *Super Boet., de Trin.*, lect. I, q. II, a. 2 ad 3.

[2]) *De praedicab.*, tract. IV, c. 6.

naventura significavit his paucis : « Ascendit (*anima*) « abstrahendo, sive resolvendo ab infimo usque ad su- « premum, et descendit componendo, sive comparando « generalissimum usque ad individuum [1] ».

Nemini vero negotium facessat, quod in serie praedicabilium idem sit divisum, et indivisum, seu unum, et multiplex ; nihil enim vetat, quin uni, eidemque sub diversis respectibus contraria conveniant. Ad rem s. Thomas : « Dicendum, quod nihil prohibet id, quod est « uno modo divisum, esse alio modo indivisum, « sicut quod est divisum numero, est indivisum secun- « dum speciem, et sic contingat aliquid esse uno modo « unum, alio modo multa [2] ». Atque alibi : « Multa « individua, quae sunt unum genere, multa sunt divisa « secundum speciem [3] ».

Ex his, quae modo statuimus, facile conficitur, si seriem praedicabilium a specie ultima ad genus supremum per genera, et species intermedia reduci intelligatur, categoriae ambitum gradatim augeri, et complexum minui, atque e contrario, si intelligatur a supremo genere ad ultimam speciem deduci, eius ambitum minui, et complexum augeri. Re sane vera, species ad genus, sub quo est, reducitur, detracta differentia, quae genus ad ipsam determinat, et genus ad speciem, quae sub ipso est, deducitur, addita differentia, quam virtute in se habet. Atqui, detracta differentia a specie, complexus categoriae minuitur, quia differentia expoliatur, sed ambitus augetur, quia id, quod in ea remanet, tamquam commune pluribus speciebus intelligitur, atque, addita differentia generi, complexus augetur, quia differentia, quae potestate in eo erat, ad actum transit, et minuitur ambitus, quia essentia eius per differentiam ad unicam speciem determinatur. Ita, ut exemplum ab eadem arbore porphyriana sumamus, si ab homine *ra-*

---

[1]) *In lib. IV Sent.*, Dist. L, part. 2, a. 1, q. 1 *ad arg.*
[2]) I, q. XI, a. 1 ad 2.—[3]) *In lib. De Div. Nom.*, c. XIII, lect. 2.

tionale subtraxeris, animal habebis, quod differentiam rationis actu non habet, at non hominem dumtaxat, sed belluam quoque ambitu suo excipit. Si animal sensibilitate expoliaveris, viventis notionem tibi comparabis, quae et rationis, et sensibilitatis differentiis caret, sed non solum homini et belluae, sed etiam vegetabili communis est. Simili modo ad genus supremum substantiae progredi potes, cuius essentia, cum per nullam differentiam determinetur, minimum complexum habet, sed maximum ambitum, quia cunctis, quae ad categoriam substantiae pertinent, communis est. Quod si contrario ordini insistens, substantiae differentiam incorporeitatis addideris, eius complexum augebis, quia essentia indeterminata eiuś differentiam incorporeitatis acquiret, sed ambitum minues, quia ipsa, per differentiam incorporeitatis determinata, non omnia, quae ad categoriam substantiae pertinent, sed incorporea dumtaxat ambiet. Idem in tota serie invenies usque ad speciem ultimam, quae, cum individua dumtaxat sub se habeat, in serie universalium maximum complexum, et minimum ambitum habet. Secundum haec principia s. Thomas sanxit cuiuslibet essentiae, seu formae, quo magis haec ad genus supremum accedit, eo maiorem fieri ambitum, et angustiorem complexum, et quo magis a genere supremo abscedit, eo magis ambitum contrahi, et complexum augeri. Primam partem huius regulae, ni fallimur, innuit his verbis: « Quanto aliqua forma est posterior, tanto est magis contracta, et ad pauciora se extendit. Quanto autem forma est prior, et propinquior subiecto primo, tanto oportet quod ad plura se extendat [1] ». Alteram autem hoc in loco: « Dicendum, quod quanto aliquid est plus in actu, tanto perfectius est; quanto autem aliquid est plus in potentia, tanto est imperfectior [2] ».

---

[1]) *Quodlib.* III, a. 6 c. Cf p. 233.

[2]) *Qq. dispp.*, q. unic. *De spirit. creat.*, a. 1 ad 25. Vt huius loci

Hinc perspicis recentes Logicos nihil novi excogitasse, sed diversis vocibus pervulgatam Scholae doctrinam tradidisse, cum illum canonem logicae statuerunt, nempe *comprehensionem, et extensionem esse inter se in ratione inversa*, eo quod comprehensio notionis augetur, prout extensio decrescit, et vicissim.

Circa ea, quae hactenus statuimus, iidem Doctores Scholae quaedam observarunt, quae ad doctrinam universalium intelligendam haud parvi momenti sunt.

Atque in primis, s. Thomas advertit inter species, quae rerum naturas repraesentant, posteriorem anteriori aliquam perfectionem addere, adeo ut, quemadmodum numeri per additionem unitatis, ita species per additionem alicuius perfectionis multiplicentur. En praeclarum eius locum: « . . . formae rerum specie differentium sunt ordinatae, et una addit super alteram perfectionem; et hoc patet etiam per Philosophum in *VIII Met.*, qui dicit quod definitiones, et species rerum sunt sicut numeri, in quibus species multiplicantur per additionem unitatis, cum hoc etiam per inductionem appareat gradatim species rerum multiplicari secundum perfectum, et imperfectum [1] ».

Quod si species, quae rerum naturas repraesentant, ita inter se comparatae sunt, idem Aquinas scite quoque docuit necesse esse, ut in qualibet specie, seu genere intermedio ea omnia inveniantur, quae in specie, seu genere, sub quo immediate est, inveniuntur. Nam, si quaelibet species perfectione superat speciem, quae ipsi praecedit, in specie ultima omnes differentias, seu perfectiones, quibus genus summum, et genera intermedia contrahuntur, seu determinantur sint oportet. « Sciendum est, ait, quod in rebus ordinatis oportet primum modum includi in

---

vim intelligas, in memoriam tibi revocato id, quod in genere est, ad actum reduci per differentiam, quae complexum notionis generis auget, et, notionem eo esse perfectiorem, quo maior eius complexus est.

[1]) *Qq. dispp.*, q. unic. *De spir. creat.*, a. 1 ad 9; cf *ibid.*, a. 8 c.

« secundo, et in secundo inveniri non solum id, quod « sibi competit secundum rationem propriam, sed quod « competit secundum rationem primi ; sicut homini con- « venit non solum ratione uti, quod ei competit secun- « dum propriam differentiam , quae est rationale , sed « uti sensu, vel alimento , quod ei competit secundum « genus suum, quod est animal, vel vivum [1] ».

Ex hoc pronuntiato alterum fluit , nempe essentiam ultimae speciei esse ipsam essentiam generis supremi cunctis illis differentiis determinatam , per quas genus supremum usque ad ipsam deducitur. Ne hoc quidem mentem sancti Doctoris fugit; ipse enim ait : « Per unam, « et eamdem formam hoc individuum collocatur in ge- « nere substantiae, et in genere corporis, et sic usque ad « specialissimam speciem [2] ».

Ad haec , illud ex dictis quoque intelligitur , quod Albertus saepe, et luculenter inculcavit, superiora de inferioribus praedicari posse , non vice versa. Nam , cum in genere , seu specie posteriori sit tota, et indivisa essentia rei , quae notione superioris continetur , sequitur superius de inferiori posse praedicari , quia omne quod est in superiori, in inferiori esse intelligitur. Contra ea, quoniam essentia superioris in inferiori per aliquam differentiam determinata existit , liquet inferius non posse praedicari de superiori, quia non omne, quod est in inferiori, in superiori inveniri intelligitur. Quocirca, genus supremum de omnibus rerum generibus cum intermediis, tum ultimis, seu de omnibus speciebus, de ipsisque individuis praedicari potest; at nec individuum de specie, ad quam pertinet, nec species ultima de genere proximo, neque genus ullum intermedium de altero, cui subiicitur, neque omnia haec de genere summo proprie, et vere praedicari possunt [3]. Audire e re est Albertum M. : « In omni enim substan- « tiali ordinata praedicatione oportet aut aequalia de ae-

---

[1]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. XXII, a. 5 c.
[2]) *Qq. dispp.*, q. unic. *De spir. creat.*, a. 1 ad 9.
[3]) Vid. p. 216.

« quis praedicari, ut hinnibile de equo : aut oportet praedicari maiora , hoc est communiora de minoribus, ut animal praedicatur de homine , cum animal in plus sit, quam homo. Minora vero de maioribus secundum hunc modum praedicabilium minime praedicantur . . . Nec enim animal universaliter dicis , et praedicas hominem esse , quemadmodum hominem universaliter dicis esse animal. De quibus autem species universaliter , et substantialiter predicantur , de his necessario et speciei genus praedicabitur, et generis genus usque ad generalissima. Si enim, gratia exempli, verum est dicere Socratem esse hominem , hominem autem animal, animal autem substantiam : verum est et Socratem animal dicere , atque substantiam. Semper ergo naturaliter superiora de inferioribus praedicantur. Species quidem substantialiter de individuis praedicatur. Genus autem praedicatur de specie , et de individuo. Generalissimum autem praedicabitur et de genere subalterno , et de generibus omnibus , si plura sint media , et subalterna inter specialissimum, et generalissimum [1] ».

Inde Beatus Doctor confecit illud in universum statuendum esse , quod quidquid universaliter de praedicato praedicari potest , de subiecto , in quo praedicatum esse intelligitur , praedicetur quoque necesse est ; atque e contrario , quidquid universaliter de praedicato negatur , de subiecto, cui repugnare intelligitur, negetur quoque oportet. Huius pronuntiati , quod Stagirita innuerat [2], ratio haec est : Quidquid universaliter de praedicato asseritur , ad essentiam praedicati pertinet. Atqui praedicatum nec sine iis , quae essentiam eius constituunt , nec cum iis , quae essentiae eius adversantur, intelligi potest. Ergo necesse est , ut ea, quae praedicato inesse , aut repugnare intelligitur , subiecto , de quo

[1]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 6. Cf s. Thomam *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 3 c.

[2]) *Categ.* 3 c.

praedicatum praedicatur, inesse quoque, aut repugnare intelligatur. Iam, id quod subiecto inesse intelligitur, de eo asseritur, et quidquid subiecto repugnare intelligitur, de eo negatur. Quidquid igitur de praedicato universaliter asseritur, aut negatur, de subiecto, cui inesse, aut repugnare intelligitur, asseratur quoque, aut negetur oportet. Audiamus rursus B. Albertum M. : « Sic enim in omnibus « verum est, quod quando alterum de altero praedica- « tur, ut de subiecto, in quo specialiter per intellectum « concipitur ; quaecumque substantialiter de praedicato « praedicantur, omnia praedicari de subiecto sit neces- « se. Et negative similiter quaecumque universaliter ne- « gantur de praedicato, necesse est illa etiam negari de « subiecto : animal enim, cum non sit lapis, necesse est « etiam hominem lapidem non esse [1] ». S. Thomas vero monuit hoc intelligendum esse de iis, quae praedicantur *per se*, hoc est *secundum propriam rationem* [2], seu naturam, si quidem « oportet, quod quidquid est « in praedicato per se subiecto conveniat [3] ».

Illud denique animadvertendum cum Porphyrio [4] est, genera suprema non esse plura, aut pauciora, quam decem. Nam, cum ad universalia spectet ordinem inter categorias ponere, tot esse oportet series praedicabilium, quot sunt categoriae. Iam, cum categoriae, uti inferius ostendemus, non plures, nec pauciores, quam decem, sint, decem quoque series praedicabilium sint oportet. Atqui in qualibet serie nonnisi unum supremum genus est, quia « supremus gradus alicuius naturae, uti s. Thomas ait, . . « est unum tantum [5] ». Ergo genera suprema non plura, nec pauciora, quam decem, esse possunt.

---

[1]) *Loc. cit.*

[2]) « Per se autem praedicatur aliquid de aliquo, quod praedi- « catur de eo secundum propriam rationem »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VIII, a. 2 ad 6.

[3]) *In lib. III Sent.*, Dist. X, q. I, a. 2, *sol.* 3 c.

[4]) *Op. cit.*, ibid., § 32, p. 381.

[5]) *Qq. dispp.*, q. unic., *De spirit. creat.*, a. 8 ad 10.

Species ultimae vero, ut idem Porphyrius docuit [1], longe plures sunt. Nam, cum unumquodque summorum generum plura sub se genera media habeat, et rursus unumquodque mediorum alia, donec ad species ultimas perventum fuerit, species plures esse oportet, quia multae sunt differentiae specificae, per quas essentia generis summi determinatur. « A generalissimis, Albertus M. scribit, descendentem oportet ire, et descendere per media : quia ab extremo in extremum non venitur nisi per medium : nec sic descendere potest, nisi dividendo extremum in media specificis differentiis, ad quarum numerum multiplicatur numerus specierum. Est enim generis essentia numerabilis specificis differentiis, quae in genere sunt, sicut actui in potentia [2] ».

At, si plurimae esse debent, certe illarum numerus, eodem Porphyrio monente [3], infinitus esse nequit, quippe quod, cum praedicabilia circa res creatas versentur, repugnat infinitam esse virtutem generis, quo species ultimae continentur. Certus igitur, finitusque numerus specierum sit oportet, etsi, quot revera species sint, nos lateat.

Denique numerus individuorum, uti Porphyrius quoque dixit [4], infinitus est. Ratio huius rei est, quod principia materialia, per quae essentia, notione ultimae speciei contenta, individua, et singularis fit, infinitis modis variari potest. Infinitus autem intelligendus est non *actu*, quia numerum *actu* infinitum esse in natura rerum repugnat, sed *potentia*, seu *potestate*, nempe quod eorum numerus semper augeri potest, non secus ac infinitus dicitur numerus, quia nullus numerus adeo magnus est, ut, addita unitate, augeri nequeat.

Haec omnia, de quibus alias fusius disseremus, idem Albertus aperte tradidit : « Haec quidem igitur decem, quae sunt prima omnium principia, sunt generalissima, et sunt numero finita denario. In his enim decem

---

[1]) *Ibid.* § 33, p. 381. — [2]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 5.
[3]) *Op. cit.*, ibid. — [4]) *Ibid.*, § 35, p. 381, et 382.

« stat tanquam in generibus omnium resolutio. Specialissima vero (quae sunt ante individua proxima, et oppositis non possunt dividi differentiis) sunt in numero quodam certo quidem secundum naturam, non tamen difficultus, et certus est quoad nos. Quod autem secundum naturam certus sit quantum ad hanc intentionem, sufficienter probatur ex hoc, quod nullum genus est, cuius potentia sit infinita. Potentia autem generis determinatur ad actum speciei constitutivis differentiis. Constitutivae ergo differentiae sunt finitae, quia aliter finitam generis potentiam non finirent. Ad numerum autem finitum differentiarum constitutivarum generis potestatem finientium finitur numerus specierum. Numerus ergo specierum specialissimarum est finitus quoad naturam. Individua autem, quae sunt post specialissima, quoad naturae potestatem sunt infinita : est enim per naturae potestatem divisibilis materia in infinitum . . . Quamvis ergo loco et tempore et singula et omnia actu sint finita : tamen naturae potestate, et divisione materiae, et individuantis modo sunt infinita [1] ».

ARTICVLVS QVINTVS

Quomodo plures exitiales errores philosophiae ex sola doctrina universalium hactenus exposita refelli possint, demonstratur

Ne omnia, quae de tribus primis universalibus hactenus exposuimus, supervacanea, et futilia cuiquam videantur, e re erit, speciminis gratia, quosdam Philosophorum errores innuere, simulque patefacere, quomodo unico doctrinae praedicabilium praesidio, illos refellere Logico liceat.

Et primo, ex dictis facile intelligitur absurdam esse notionem *determinationis*, quam Heghelius, aliique Transcendentales Germaniae post Spinozam ex pantheismi

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

sui placitis sibi confecerunt. Hi enim, unitatem *Substantiae*, sive *Entis*, sive *Ideae* cum varietate rerum, nobis in hoc mundo occurrentium, componere volentes, autumarunt diversas naturas rerum non esse, nisi diversas formas, quibus unica substantia, seu unicum Ens se manifestat, vel evolvit, atque has formas ab se discriminari, non ex eo quod unicum Ens in unaquaque ipsarum per specialem aliquam differentiam contrahitur, sed ex eo, quod in unaquaque ipsarum Ens per qualitatem, qua se manifestat, vel evolvit, reliquas qualitates, per quas in ceteris naturis se manifestat, ab ipsa removet [1]. Ex. gr. caeruleum est caeruleum, quia non est nec rubrum, nec viride, nec alio colore affectum, itemque viride est viride, quia non est nec caeruleum, nec rubrum, nec alio colore affectum, atque ita de ceteris. Hinc Spinozam recentium Pantheistarum antesignanum [2] secuti, contenderunt determinationem non esse *affirmationem*, quemadmodum a vulgaris logicae magistris traditum est, sed *negationem*, quia id, quod existit, determinatum est per id, quod ipsum non est, atque ex eo quod est negatio, esse etiam *limitationem qualitativam*, quia omne id, quod existit, per qualitatem, quam in se habet, removet a se qualitates, per quas aliae res determinantur, ob idque limites sibi constituit [3].

At, nuperi hi Pantheistae cum eorum duce Spinoza a vero longe aberraruut. Et sane, ipsi, uti ex dictis patet, docent omnem determinationem esse *negationem*, et *limitationem*, quia sentiunt unicum ens, quod sub diversis formis se manifestat, et evolvit, esse indeterminatum, et illimitatum, atque se ipsum determinare, cum in qualibet formarum, sub quibus apparet, se ipsum

---

[1]) Vid. p. 191, not. 2.

[2]) «... determinatum, ait, nihil positivi, sed tantum privationem « existentiae eiusdem naturae, quae determinata concipitur, de« notat »; *Epist.* XLI, *Opp.* t. I, p. 595, ed. Paulus, Ienae 1802.

[3]) Vid. Hegel, *Encyclop.*, § 89-95, *Opp.* vol. VI, Berolini 1830. Hanc doctrinam, quam vix attigimus, alibi exponemus.

quodammodo negat, limitesque sibi ponit [1]. At, quocumque modo ens unicum Pantheistarum indeterminatum intelligatur, nunquam inde deduci potest unamquamque formarum, per quas ipsum se manifestat, esse negationem, seu limitationem suipsius.

Vt id plane intelligatur, sciendum est indeterminationem, uti ab Henrico Gandavensi observatum fuit, esse vel *privativam*, vel *negativam*. Privativa ea est, qua ens, vel bonum, vel aliud huiusmodi, cum actu non sit hoc, et illud ens, seu hoc, et illud bonum, nempe ens, seu bonum individuum, et singulare, natura sua ita comparatum est, ut hoc, vel illud ens, aut hoc, et illud bonum esse, sive per hoc, et illud bonum, aut ens determinari queat. Negativa vero est, qua aliquid est simpliciter ens, aut bonum, nempe ens, vel bonum, quod per se subsistit, quodque idcirco, cum sit ipsum per se ens, vel bonum, per hoc, et illud ens, aut bonum, hoc est per ullum singulare ens, aut bonum determinari non potest. « Indeterminatio privativa, ipse ait, est illa, qua intelligitur bonum ut universale, unum in multis, et de multis, ut huius, et illius bonum, licet non ut hoc, et illud bonum, quod natum est determinari per hoc, et illud bonum, quia est participatum bonum. Determinatio vero negativa est illa, qua intelligitur bonum simpliciter, ut subsistens bonum, non ut hoc vel illud, neque ut huius, vel illius, quia est non participatum bonum, non natum determinari, et est indeterminatio huius boni maior, quam illius [2] ».

Ex hac doctrina Henrici perspicitur indeterminatum privativum, esse ens maxime abstractum, seu ideale, quia hoc, cum non sit actu ullum ens particu-

---

[1]) Spinoza docuit Ens, quod Deum nuncupat, esse absolute indeterminatum, et perfectum (*Ep.* cit. p. 596), et, ut clarius quoque locutus est, *non certo dumtaxat respectu, sed absolute in essentia indeterminatum*; *Ibid.* p. 597.

[2]) *Op. cit.*, art. XXIV, q. VII, n. 6. Cf s. Bonaventuram *In lib. I Sent.*, Dist. XLIII, a. 1, q. 1 *ad arg.*, et q. 2 *ad arg.*

lare, tamen ita comparatum est, ut hoc, et illud ens particulare esse possit, quia ipsum in singulis naturis rerum diversis modis determinari posse intelligitur [1], atque e contrario indeterminatum negativum, esse ens maxime concretum, seu *realissimum*, quia, cum sit ipsum *esse* per se, omne *esse* complectitur, proindeque nihil extra ipsum esse potest, quo determinetur, cum extra ens non sit, nisi non ens, seu nihil [2]. Iamvero, sive unicum ens Pantheistarum intelligatur tanquam indeterminatum privativum, uti re ipsa ab iis Pantheistis intellectum est, qui tenuerunt illud esse maxime abstractum, nempe *ideale*, sive tanquam indeterminatum negativum, quemadmodum intellectum est ab aliis Pantheistis, qui illud esse maxime concretum, nempe *realissimum*, arbitrati sunt, nihil inde elici potest, quod omnem determinationem esse negationem, seu limitationem evincat. Nam, si ens unicum, tanquam indeterminatum privativum, intelligatur, rationem eius, uti s. Thomas advertit, in cunctis rebus, licet diversis modis, intelligimus [3], propterea quod intellectus noster, eodem sancto Doctore aiente, nihil, nisi sub ratione entis intelligere

---

[1]) Id non solum de *esse*, seu de ente in universum considerato, sed etiam de *esse* cuiuslibet formae, seu essentiae s. Thomas asseruit hoc in loco: «Omnis forma in propria ratione, abstracte con« sideretur, infinitatem habet; sicut in albedine, si abstracte in« tellecta, ratio albedinis non est finita ad aliquid; sed tamen « ratio coloris, et ratio essendi determinatur in ea, et contrahi« tur ad determinatam speciem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XLIII, q. I, a. 1 c.

[2]) Hinc s. Thomas, et s. Bonaventura docuerunt infinitum, sive quod idem valet, *indeterminatum* negative sumptum esse *perfectissimum*, seu *summum*. « Infinitum, primus ait, negative dici« tur, quod nullo modo finitum est; et hoc est quiddam, quod « se ad omnia extendit, perfectissimum » (*In lib. I Sent.*, Dist. III, q. 1, a. 1 ad 4). « Infinitum, alter inquit, per negationem limi« tationis . . . , cum sit summum, in ipso est omnis status »; *In lib. I Sent.*, Dist. XLIII, a. 1, q. 2 *ad arg.*

[3]) « Hoc, quod est esse, communiter invenitur in omnibus re« bus, quantumcumque diversis »; I, q. LXV, a. 1 c.

potest [1]; immo, ut in Idealogia ostendemus, ens est id, quod intellectus primo in cunctis rebus intelligit, et ad cuius conceptum omnes alios conceptus reducit [2]. At, si ratio entis, prout ens est, in omnibus naturis communiter esse intelligitur, unamquamque formarum, per quas unicum ens se ipsum determinare Pantheistae autumant, non esse negationem, et limitationem entis intelligendum quoque est. Sin unicum ens, tanquam indeterminatum negativum intelligatur, profecto intelligi debet tanquam ipsum *esse actuale*, proindeque tanquam illud, quod omne *esse* actu habet. At, si unicum ens hoc modo intelligatur, certe intelligi nequit, quomodo illud in diversis formis, sub quibus se evolvit, sibi ipsi limites ponat, seque ipsum quodammodo neget. Nam, si in diversis formis, sub quibus apparet, sibi limites poneret, esse illimitatum, quia in se est omne *esse*, simulque limitatum, quia formae, sub quibus se evolvit ipsum limitant. Atqui illimitatum, et limitatum in eodem subiecto se invicem perimunt, quia illud, quod unum eorum ponit, alterum tollit. Ergo, si unicum ens in diversis formis, sub quibus se manifestat, vel evolvit, se ipsum negaret, in singulis ipsis se perimeret. Iam, cum hoc valde abnorme sit, liquet, si unicum ens Pantheistarum tanquam indeterminatum negativum intelligatur, ne inde quidem deduci posse, quod omnis determinatio sit negatio, vel limitatio.

Accedit his, quod ens, prout ens est, quocumque modo accipiatur, per ullam negationem, aut privationem determinari omnino repugnat. Nam, si ens, prout ens est, per aliquam negationem, aut privationem determinaretur, in ens, prout ens est, negatio, aut privatio ca-

---

[1]) « Primum, quod cadit in imaginationem intellectus, est ens, « sine quo nihil potest apprehendi ab intellectu »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 3 c.

[2]) « Illud, quod primo intellectus concipit, quasi notissimum, « et in quo omnes conceptus revolvit, est ens »; *Qq. dispp., De Verit.*, q. I, a. 1 c.

deret. Atqui in ente, prout ens est, nulla negatio, aut privatio esse, et cogitari potest, quia negatio, et privatio sunt *non ens*, seu nihil. « Privatio, s. Thomas ait, « non est de essentia alicuius entis in genere collocati, « cum nihil ens sit non ens [1] ». Ergo ens *per negationem*, uti Pantheistae obganniunt, determinari absurdum est.

Itaque evidens est notionem determinationis, a Pantheistis traditam, esse commentitiam, et absurdam secundum ipsa principia, ex quibus deducta fuit.

Quod si veram, germanamque notionem determinationis expenderimus, determinationem nullo modo negationem, aut limitationem dici posse luce meridiana clarius patescet. Enimvero, *determinatio*, uti ex vi nominis perspicitur, id est, per quod ambitus alicuius notionis universalis intra angustiores *terminos*, ὅρους, cogitur. Ita *rationale* est determinatio animalis, quia ambitum animalis, quo bellua, et homo virtute continentur, ad hominem contrahit. « Ὅρος, Trendelenburgius scribit, « quem latini *terminum* reddiderunt, est quasi notio « determinans. Inde fortasse apud recentiores *determi-* « *nandi*, et determinationis vocabulum logice frequen- « tari coeptum est [2] ». Iam, quandoquidem ambitus notionis universalis, uti ante dictum est, per *differentiam* contrahitur, liquet differentiam esse id, quod essentiam aliqua notione universali contentam determinat, et, quandoquidem notio universalis, quam differentia determinat, est genus, illud etiam liquet, determinationem proprie, et stricte sumtam in eo consistere, quod essentia generis per differentiam ad essentiam speciei contrahitur. Apposite s. Thomas : « Dicitur alio modo finis quantum ad « essentiam rei, sicut ultima differentia constitutiva est « ad quam finitur essentia speciei. Vnde illud, quod si- « gnificat essentiam rei, vocatur diffinitio, vel terminus,

---

[1]) *In lib. II Sent.*, Dist. XL, q. I, a. 1 ad 3.
[2]) *Elem. Log.*, § 22, et not. 3, p. 88 ed. cit.

« et sic dicitur unumquodque finiri per illud, quod de-
« terminat, vel contrahit essentiam suam; sicut natura
« generis, quae de se est indifferens ad multa, finitur
« per unam differentiam [1] ».

Quod si haec est vera notio determinationis, in primis perspicuum est determinationem non esse negationem, seu limitationem. Nam differentiae, quae genus dividunt, et ipsum dividendo species constituunt, positivae, uti ostendimus, esse debent, sive ipsae per vocem affirmantem, sive per vocem negantem significentur. Ergo, quoniam determinatio fit per differentias, quae genus dividunt, oportet, ut per aliquid, quod est positivum, seu reale fiat. Iam, si determinatio fit per aliquid, quod est positivum, et reale, ipsam non in negatione, aut limitatione, sed in affirmatione, seu positione consistere tenendum est. Praeterea, cum differentiae genus determinant, speciesque ex eo constituunt, essentia, quae generis notione continetur, uti ostensum quoque est, tota, indivisaque in singulis speciebus invenitur. At, si tota essentia, quae notione generis continetur, in speciebus invenitur, profecto differentiae, cum genus determinant, aliquid de illo non negant, sed affirmant, nec illud limitant, sed dumtaxat contrahunt. Rursus igitur patet determinationem non esse aliquam negationem, sed affirmationem.

Secundo, evidens quoque est, ens, prout ens est, non esse ullius determinationis capax. Et sane, si ens, prout est ens, ullam determinationem in se recipere posset, oporteret esse aliquid reale, et positivum extra ens, quia differentiae, per quas determinatio notionis fit, uti diximus, positivae, proindeque aliquid reale esse debent. Atqui impossibile est, uti modo diximus, aliquid reale esse extra ens, aut aliquid mente concipi, cuius conceptus ad conceptum entis non reducitur, quia extra ens non est, nisi non ens, seu nihil, atque extra

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XLIII, q. I, a. 1 c.

notionem, seu, ut Scholae aiunt, extra *intentionem* entis non est alia intentio, nisi non entis. « Extra enim in- « tentionem entis, Gandavensis inquit, non est, nisi non « ens, ens enim de intellectu cuiuslibet rei est [1] ». Ergo in ens, prout ens est, nulla determinatio cadere potest.

Nec iuvat Pantheistas asserere, quod Ens, cum sub diversis formis se ipsum evolvit, aut manifestat, non per aliud a se diversum determinatur, sed se per se ipsum determinat. Et sane, entis, prout est ens, unica notio, seu intentio est, quia entis, prout ens est, notio simplicissima est. Atqui determinantis, et determinati, uti ex se patet, diversae sunt notiones, seu intentiones. « In aliquo, idem Gandavensis inquit, determinans, et « determinatum differunt non solum ratione, sed etiam « intentione, secundum quod alia est intentio universa- « lis, alia particularis in eadem re [2] ». Ergo ens, prout ens est, tamquam determinans, et determinatum, proindeque tamquam se ipsum determinans, intelligi nequit.

Hinc laudatus Doctor Solemnis saepe inculcavit in Deum, utpote qui est ipsum esse purum subsistens et actuale, nullam determinationem posse cadere, et, quandoquidem esse purum omnem compositionem expellit, in eo determinationem a determinabili nullo modo distingui posse. En eius verba, quae ad rem praesentem maxime faciunt : « In Deo autem *esse* nullam « recipere potest omnino determinationem, quia non « est, nisi esse purum, incommunicabile, quo etiam exi- « stit in actu [3] »; atque alibi : « Determinatio determi- « nativa alicuius in Deo alia re, vel intentione ab ipso « determinabili non convenit Deo, quia aliquam compo- « sitionem poneret in ipso [4] ».

---

[1]) *Op. cit.*, art. XXVIII, q. 3, n. 7.
[2]) *Op. cit.*, art. XXVI, q. 1, n. 14.
[3]) *Ibid.*, art. XXVI, q. 2, n. 8. Cf s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 1 ad 2.
[4]) *Ibid.*, art. XXVII, q. 2, n. 13.

Itaque illud certum, exploratumque sit naturas, seu formas, ex quibus universitas rerum constat, nec esse, nec intelligi a nobis posse tamquam totidem determinationes entis, sed, quandoquidem *esse* in ipsis secundum diversos modos invenimus, intellectus noster intelligit omnes naturas rerum ab ente oriri, easque inter se ex eo differre, quod *esse* diversis modis habent. « Res, ait « s. Thomas, ad invicem non distinguuntur secundum quod « esse habent, quia in hoc omnia conveniunt . . . Relin- « quitur ergo, quod res propter hoc differant, quod habent « diversas naturas, quibus acquiritur esse diversimode [1] ».

Denique, quoniam vox determinationis non solum stricte, ut modo diximus, sed etiam late quandoque sumitur, innuamus quoque necesse est, quot modis aliquid determinari queat. Si determinatio stricte accipiatur, dubium non est, quin non alia sit, quam qua genus per differentiam ad speciem contrahitur. At s. Thomas advertit quodammodo determinari etiam speciem, cum de individuo praedicatur, et individuum, cum ipsi iam constituto aliquid advenit. Vnde sanctus Doctor scripsit determinationem in rebus creatis triplici modo fieri, scilicet vel ex eo quod generi differentia additur, puta *animali ratio*, vel quod natura communis in aliquo individuo recipitur, puta *humanitas in Socrate*, vel quod individuo iam constituto aliquid advenit, puta *Socrati esse philosophum*. Primo modo, genus ad speciem, secundo, species ad individuum, postremo, individuum ad aliquam novam conditionem determinatur. En verba Aquinatis: « In rebus creatis res determina- « tur, ut sit aliquid tripliciter; aut per additionem ali- « cuius differentiae, quae potentialiter in genere erat; « aut ex eo quod natura communis recipitur in aliquo, « et fit hoc aliquid; aut ex eo, quod alicui additur ac- « cidens, per quod dicitur esse vel sciens, vel albus [2] ».

---

[1]) *Cont. Gent.*, lib. I, c. 26. Legere iuvabit aureum locum eiusdem sancti Doctoris in *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 2 ad 9.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 1 ad 2.

Ea, quae de tribus primis universalibus statuimus, erroris quoque redarguunt *legem continuitatis*, quam Leibnitius saepe explicuit, et tamquam valde utilem ad multas quaestiones philosophicas magni momenti solvendas inculcavit. Summus Vir hac in sententia fuit, inter quasque species, seu naturas rerum, quae diversas, oppositasque essentias habent, esse oportere speciem, seu naturam mediam, quae, cum perinde nobilioris, ac ignobilioris speciei particeps sit, utramque connectit. Eius argumentatio, ni fallimur, huc redit: Inter diversas species, seu naturas, ex quibus mundus constat, nullus hiatus, sed continuatio existere debet, alioquin ordo, per quem mundus ex ipsis efficitur, desideraretur. Atqui continuatio specierum, quae diversas essentias habent, explicari non potest, nisi inter quasque diversas, et oppositas species media, quae nobilioris, et ignobilioris speciei particeps est, admittatur. Ergo inter quasque diversas eiusdem generis species intermedia admittenda est [1].

Quam vehementer in continuatione specierum, ex quibus mundus constat, explicanda Leibnitius deceptus sit, videbimus, cum veram, germanamque de hoc Cosmologiae capite sententiam, secundum Scholasticos, in primisque s. Thomam, exponemus. In praesentia dumtaxat innuamus necesse est, quibus ex capitibus contra doctrinam universalium, hactenus a nobis expositam, peccet.

Enimvero, diversae species, seu naturae rerum, ex quibus mundus constat, procul dubio ad mundi ipsius constitutionem concurrere non possunt, nisi aliae aliis subiiciantur, et per hanc subiectionem inter se continuentur. At falsum est hanc subiectionem, et continuationem non aliter explicari posse, quam si inter quasque species rerum, quae diversas essentias habent, alia utriusque particeps esse dicatur. Et sane, ad expli-

[1]) *Extrait d'une lettre à Mr Bayle*; *Opp.* ed. cit. p. 105; *Réplique aux Réflexions* de Mr Bayle etc., *ibid.* p. 189; *Nouveaux Essais*, lib. III, c. 6, § 13, et 14, p. 314, et lib. IV, c. 16, § 12, p. 392; *Theod.* Part. 3, § 348, p. 605.

candum aliquod factum naturae, illud, uti in *Methodologia* ostendemus, sumi non debet, quod et absurdum in se est, et factum, pro cuius explicatione sumitur, destruit, tantum abest, ut explicet. Atqui illud, quod ad continuationem specierum explicandam Leibnitius sumsit, nempe existentia specierum mediarum utroque vitio laborat. Ergo existentia specierum mediarum ad continuationem specierum, ex quibus mundus constat, explicandam sumi non debet. Omissis in praesentia, uti monuimus, argumentis ontologicis, ea, quae doctrina universalium nobis suppeditat, breviter exponemus.

Atque in primis, absurdum est admittere species medias, prout a Leibnitio excogitatae sunt. Id ex dictis evincere nobis in promptu est. Etenim, cum differentiae species ex genere constituant eo quod essentiam, notione generis contentam, qualitatibus essentialibus determinant, liquet essentias specierum, in quas genus per differentias dividitur, esse diversas, quia qualitates essentiales, cum contrariae sint, unicam essentiam generis diversis modis contrahunt. Ita essentiae, quae notionibus hominis, et belluae continentur, diversae sunt, quia *rationale* et *irrationale*, cum sint qualitates essentiales contrariae, essentiam, notione animalis contentam, diversis modis determinant. Iam, si essentiae, quae notionibus diversarum specierum continentur, diversae sunt, consequitur nec esse, nec cogitari posse speciem, quae specierum oppositarum eiusdem generis particeps est, propterea quod, quemadmodum cuiuslibet naturae, ita cuiuslibet speciei, quae naturam repraesentat, nonnisi unica, et uniusmodi essentia esse potest. Ita, ut id exemplis declaremus, nos intelligere non possumus inter vegetabile, et animal, aut inter belluam, et hominem speciem mediam esse, quia fieri nequit, ut vivens simul sentiens, et non sentiens, aut animal ratione simul praeditum, et destitutum esse intelligamus. Ex quo illud perspicitur, speciem mediam, de cuius inventione Leibnitius saepe, et tantopere gloriatus est, esse notionem,

quae seipsam destruit. Nam, cum differentia, quae speciem constituit, *actu*, et *intellectu* in specie sit, in specie media, si quae unquam, secundum Leibnitii sententiam, esset, contrarias differentias, per quas species diversae eiusdem generis constituuntur, *actu*, et *intellectu* esse oporteret. Atqui, contrariorum, utpote quae in eodem subiecto se mutuo expellunt, unum ponit, quod alterum tollit, atque intellectus unius intellectum alterius destruit. Ergo species media, quam Leibnitius excogitavit, est notio, quae se ipsam perimit.

Secundo, illud, quod ad explicandam continuationem specierum Leibnitius sumsit, continuationem specierum, nedum explicet, tollit, quia cum multitudine et diversitate specierum componi non potest. Nam, si species ultimae, puta *bellua*, et *homo*, in quas genus ultimum, nempe *animal*, dividitur, in specie media secundum essentiam coniungerentur, et rursus ex speciebus ultimis inferior, nempe *bellua*, cum altera opposita generis superioris, nempe *planta*, in altera media in unicam essentiam convenirent, et ita usque ad species primas generis supremi, profecto omnes species ab ultimis ad supremas per medias, in quibus secundum essentias conveniunt, ad unicam speciem redirent, atque unica reapse species omnium rerum statueretur, quia unica reapse essentia omnium foret. Quocirca hypothesis leibnitiana de existentia specierum mediarum vel ex eo reiicienda est, quod continuationem specierum, pro cuius explicatione inventa fuit, non modo non explicat, sed etiam destruit.

Vt huic falsae doctrinae Leibnitii veram, solius logicae principiis adiuti, opponamus, sciendum est reapse dari species, seu naturas medias, easque esse, quae inter supremas, et infimas species sunt; ast ipsas dici medias, non quia participes sunt speciei superioris, quemadmodum medium dicitur id, quod utriusque extremi particeps est; sed quia inter speciem superiorem, et speciem inferiorem, hoc est inter conceptus ordinem,

qui inter naturas rerum est, repraesentantes medium locum tenent. Re vera, id, quod duorum extremorum particeps est, medium dicitur, quia ab utroque extremo efficitur; at species, quae inter duas alias species locum habet, dicitur media inter utramque, quia illius, quae supra se est, totam essentiam peculiari modo determinatam habet, et cum illa, quae infra ipsam est, essentiam suam communicat, quae in ipsa aliquo modo novo determinatur. Ex quo intelligitur medium, quod duorum extremorum, inter quae interiacet, particeps est, ex amborum naturis conflari, quia ambae ad illud efficiendum concurrunt, sed notionem speciei mediae ex notionibus specierum, inter quas interiacet, haud conflari, sed diversam esse, ac istas, quia essentiam denotat determinatam diverso modo, ac in specie superiori, e qua ipsam recipit, et in inferiori, cum qua ipsam communicat, determinata existit. Praestat audire Albertum M., a quo hanc magni momenti doctrinam mutuati sumus: « Attendendum autem est quod haec media alterius rationis sunt, quam media, quae dicuntur per participationem extremorum, sicut in coloribus, et saporibus, et odoribus sunt media: illa enim (quia participatione utriusque extremi media sunt) ab extremis causantur, et principiantur. Et ideo secundum naturam posteriorum sunt utrorumque extremorum. Ista autem, quia non participatione media sunt, sed ordinis et positionis inter extrema, quia quodlibet medium est in toto medio universaliter, ideo superius quidem causa est, et principium medii, et medium principium est, et causa posterioris. Et ideo medium natura est posterius superiore, et prius est inferiore. Et medium participat totum superius, et participatur totum ab inferiori, et non participat utrumque extremorum. Nec participat unum extremorum illo modo participationis, quo medii colores, vel medii sapores participant extremos colores, vel sapores. Sensibilia enim media extrema sua non participant secundum essentias suas totas, et secundum

« totum esse, sed potius secundum mixtionem quan-
« dam, et intentionem, et remissionem participant alte-
« rum. Sed secundum totam essentiam, et secundum to-
« tum esse participant alterum suorum extremorum,
« et secundum totum esse participantur ab altero, sed
« secundum potestatem totam non participant id, quod
« participant, nec secundum totam potestatem partici-
« pantur ab eo, a quo participantur [1] ».

Iisdem argumentis logicis, quibus leibnitianam doctrinam de continuatione specierum absurdam esse ostendimus, abnormis opinio Giobertii de hac re refelli quoque potest. Philosophus Pedemontensis asseruit inter quaelibet duo opposita genera existere genus medium, in quo utraque opposita unum, idemque sunt, sive, ut aiunt, *identificantur*, quia genus medium est ultimus terminus, ad quem nisus generis inferioris pervenit, et est primum principium, a quo genus superius supra inferius assurgit. Ita, substantia simplex, ut idem exemplum, quo Giobertius usus est, afferamus, est genus medium, in quo substantia corporalis, et substantia spiritualis *identificantur*, quia substantia simplex est ultimus terminus, ad quem substantia corporalis nitendo ascendit, et primum principium, ex quo substantia spiritualis proficiscitur, ut supra corporalem assurgat [2].

Haec opinio Giobertii, ni fallimur, consectarium est doctrinae Leibnitii. Hic enim docuit inter quasque oppositas species existere oportere speciem mediam, quae ex naturis oppositarum conflatur, ea ratione permotus, quod extrema contrariorum in quolibet genere se tangunt; puta extrema oppositorum viventium, quae sunt vegetantia, et sentientia, in *zoophytis*, nempe in *animalibus-plantis*, se tangunt. At, quandoquidem oppositae species in unam mediam, quae utriusque naturas com-

---

[1]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 3.

[2]) *Introduzione* etc., part. 2, c. V, art. 4, vol. II, not. 26, p. 826, Brusselle 1840.

plectitur, convenire non possunt, nisi species media contrarias differentias ambarum *actu* in se habeat, Giobertius inde deducere potuit oppositas species non posse per sua extrema in media specie coniungi, nisi ad unum reducantur, hoc est *identificentur*, quia unius speciei nonnisi unica differentia esse, et cogitari potest. Ceterum hanc opinionem longe ante Giobertium Nicolaus Cusanus manifestis verbis defenderat, et inculcaverat [1].

Iam, praetermissis multis rationis momentis, quae in aliis huius operis locis passim exponemus, quaeque giobertianam hanc doctrinam leibnitiana absurdiorem produnt, Giobertium non minus, quam Leibnitium, indubiis, exploratisque generis, et speciei notionibus contradixisse luce meridiana clarius est. Vt id facile perspiciatur, advertendum est in genere medio, secundum Giobertium, inveniri essentiam generis inferioris perfectiori modo, quam in ipso genere inferiori est, et essentiam generis superioris, quod eius principium est, imperfectiori modo, quam in ipso principio superiori est; unde tota essentia generis superioris, et tota essentia generis inferioris in genere medio ad unitatem syntheticam reducuntur, et tertiam essentiam constituunt, quae magis, quam essentia generis inferioris, et minus, quam essentia generis superioris, perfecta est.

At vero, haec doctrina multiplici ex capite in logicam peccat. Primo enim, perfectio, ob quam unum genus differt ab altero, quod relatum ad species sibi subiectas et ipsum genus est, non aliud esse potest quam *differentia*, quia in serie praedicabilium cuncta genera, quorum unum alteri certo ordine subiicitur, per perfectiones sibi insitas ab se differunt. Hinc, si in genere medio essentia generis inferioris, et essentia generis superioris, licet ad unitatem reductae, invenirentur, genus medium differentias utriusque *actu* in se haberet. Atqui differentias *actu* esse in genere, uti antea ostendimus,

[1]) *De docta ignorantia*, lib. I, c. 9, 10, et 24, Basileae 1565.

absurdum est. Ergo absurda est notio generis medii, quam Giobertius tradidit.

Praeterea, genera superius, medium, et inferius, ut a nobis, Albertum M. secutis, ostensum est, ita se habent, ut essentia, quae notione generis superioris continetur, tota in genere medio, et essentia, quae notione generis medii continetur, tota in inferiori genere inveniatur. Atqui, si essentia generis superioris, et essentia generis inferioris eo modo, quem Giobertius dixit, in genere medio essent, nec tota essentia generis superioris genere medio, nec tota essentia generis medii genere inferiori continerentur, sed genus medium essentiam superioris modo minus perfecto, quam in superiori est, et essentiam generis inferioris modo magis perfecto, quam in inferiori est, haberet. Et sane, ut exemplo, quod Giobertius adduxit, insistamus, neque in conceptu substantiae simplicis tota essentia, quae notione substantiae spiritualis continetur, neque in conceptu substantiae corporalis tota essentia, quae conceptu substantiae simplicis continetur, invenitur; sed conceptus substantiae simplicis, secundum Giobertium, supremum substantiae corporalis, et infimum substantiae spiritualis in se coniungit. Rursus igitur liquet notionem giobertianam generis medii esse absurdam.

Itaque doctrina Giobertii, qua extrema generum contrariorum in genere medio *identificari* statuitur, luculentius, quam leibnitiana, exploratis, indubiisque generis, et speciei notionibus contradicit.

Absurdam quoque ex sola doctrina universalium ostendere in promptu est doctrinam de *unitate typi*, sive *exemplaris*, quam post Mailletum [1], Robinetum [2], Herderum [3], aliosque Jouffroy Saint-Hilaire ex industria,

---

[1]) *Telliamed*, ou *Entretiens d'un Philosophe Indien avec un Missionnaire François sur la diminution de la mer*, Paris 1746.

[2]) *Considerations philosophiques sur la graduation naturelle des formes de l'être*, ou *Essais de la nature, qui apprend à former l'homme*, Amstelod. 1768.

[3]) Cf eius Dialogum, quem inscripsit *Deus* (germ.), 1787.

et data opera propugnavit [1]. Nuperrimus hic Naturalista Galliae, uti alias dicemus, in multis, egregiisque libris suis in illud intendit, ut omnes species, ex quibus universitas rerum constat, non esse aliud, quam varietates accidentales unius speciei primitivae, et typicae demonstraret. Haec opinio, quam nonnulli hodierni scientiarum naturalium cultores tuiti sunt, ex leibnitiana lege continuitatis facile deduci potuit, haec enim, uti demonstravimus, si veritati consentanea esset, omnium, quae in mundo sunt, unicam speciem esse tenendum foret.

Ast, haec opinio quoque, uti ex dictis haud difficulter colligere licet, logicis notionibus universalium, quas exposuimus, adversatur. Nam, cum differentiae, ex quibus species constituuntur, sint essentiales, sequitur veras species rerum οὐσιώδως, *essentialiter*, inter se differre. Atqui, si omnes species, ex quibus mundus constat, essent varietates unicae primitivae speciei, ipsae non *secundum essentiam*, καθ' οὐσιαν, sed *secundum accidens*, κατὰ τὸ συμβεβηκὸς, ab se differrent. Ergo, si omnes species, ex quibus mundus constat, essent varietates unicae speciei primitivae, ipsae non verae species, sed accidentia unicae speciei forent. Iam, si omnia, quae in mundo sunt, unicae speciei accidentia essent, consequeretur unicam re vera esse speciem omnium, ex quibus mundus constat, quippe quod diversitas accidentium, ut scite s. Thomas monuit [2], diversitatem individuorum, non vero specierum gignit. Atqui hoc falsum, absurdumque est. Primo enim, u-

---

[1]) Videsis eius opera, et praesertim *Théorie des analogues*, ou *Philosophie anatomique*, Paris 1818, et *Principes de Philosophie zoologique*, Paris 1830.

[2]) « Diversitas formalis . . . quae est formae per se, secundum « id, quod ad rationem formae pertinet . . . , diversitatem spe« ciei inducit. Est autem quaedam diversitas formae non per se, « sed per accidens . . . et talis diversitas speciem non diversifi« cat » (*In lib. II Sent.* Dist. XXXII, q. II, a. 3 ad 1). Hinc s. Bonaventura docuit ea revera esse diversa, quae diversa principia essentialia habent. « Diversitas, ait, attenditur quantum ad prin« cipia essentialia, sive substantialia »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, dub. 4. Cf p. 259.

nicam esse speciem omnium rerum, uti ex dictis facile colligitur, nec intelligi, nec esse potest. Et sane, intelligi non potest ; si quidem, cum quaelibet species ad genus necessario referatur, et genus nonnisi relatum ad plures species oppositas intelligi queat, liquet, intellecta una specie, alteram, quae ipsi opponitur, necessario intelligendam esse. Nec esse potest, quippe quod perfectio mundi, uti antea diximus, expostulat, ut, si una species alicuius generis in mundo existit, existat et altera. Secundo, si unica esset species omnium, quae in mundo sunt, omnia, quae in mundo sunt, diversa quidem esse viderentur, sed unum re ipsa forent. « Illa, s. Thomas inquit, sunt unum, quorum species una est: « si igitur omnium species est una, sequitur, quod « omnia sint unum secundum speciem, et non solum « quae videntur esse diversa [1] ». Atqui hoc purus, putusque pantheismus est ; si quidem Pantheistae, ut suo loco dicemus, tuentur unicam existere substantiam, sive Ens, cuius omnes, quae in mundo naturae diversae esse videntur, sunt accidentia, sive haec realia secundum Spinozam, et Schellinghium, sive *phaenomenica*, seu apparentia secundum Fictheum dicantur. Ergo asserentibus unicam esse speciem omnium, quae in mundo sunt, pantheismus admittendus est. Re vera, Jouffroy Saint-Hilaire, acerrimus *unitatis speciei* propugnator, a multis accusatus fuit, quod ob hoc capitale suae zoologiae pronuntiatum pantheismo faveret, et, quamvis se ab impiis, scelestisque pantheismi consectariis abhorrere professus esset, efficere non potuit, ut a suis scriptis hanc notam amoliretur [2]. Inde intelligere potes, cur Goetheus, non obscurus germanici pantheismi fautor, systematis Gallici Naturalistae utrumque pollicem presserit, appositumque libellum scripserit, in quo con-

[1]) *In lib. VII Met.*, lect. XI.

[2]) Cf Roux-Lavergne, *Dela Philos. de l' histoire*, lib. I, cap. 5, p. 42, Paris 1850.

troversias, hac de re in Academia Parisiensi agitatas, lucidissime exposuit [1].

Itaque omnia, quae in mundo sunt, unicae speciei accidentia esse et per se absurdum, et pantheismo affine est. Quocirca, cum hoc sit, eodem Sint-Hilaire fatente [2], necessarium consectarium sententiae, quam ipse post alios recentes propugnavit, de *unitate typi*, seu exemplaris, absurditatem huius sententiae ex solis logicae notionibus luculenter patefieri concludendum est.

Denique ex doctrina universalium illud quoque demonstrari potest oppido illos Philosophos deceptos fuisse, qui senserunt, praeter genera prima singularum categoriarum, admittendum esse genus supremum, quod extra, et supra omnia genera est, et, quandoquidem scientia, sive perfecta, absolutaque cognitio rerum, ut suo loco dicemus, ex iisdem principiis construitur, per quae res sunt, praeter principia propria singularum scientiarum agnoscendum quoque esse principium unicum, et supremum, a quo principia propria derivantur. Ceteris Philosophis praeteritis, duorum Italorum opiniones exponemus, scilicet Rosminii, et Giobertii, quia, cum supremum genus rerum, et primum principium universae scientiae ille aliquid omnium simplicissimum, hic aliquid complexum esse contendisset, duas ipsi diversas opiniones, quae a Philosophis circa hanc controversiam propugnatae sunt, repraesentant.

Itaque Rosminius tenuit primum, et praecipuum praedicabile esse *essentiam universalissimam entis*, seu *ens ideale indeterminatum*, quia ens ideale non solum est

---

[1]) Praeter libellum, in quo Goëthe anno MDCCCXXX historiam huius controversiae enarravit, e re est legere Eckermann, *Colloquia cum Goëthe in ultimis annis suae vitae* (germ.), part. 3, Magdeburgi 1848, et Flourens, *Éloges historiques* etc., ser. I, p. 257, et 279, Paris 1856.

[2]) Vid. *Histoire naturelle des orangs-outangs*, quam una cum Cuvierio evulgavit in Ephem. *Journal de physique*, t. XLVI, Paris 1795.

extra omnia genera, uti Aristoteles docuit, sed etiam est supra omnia genera, de quibus praedicatur, atque ab ipsis maxime differt ex eo, quod *per se* est. Quoniam vero ipse putavit non solum *ideale*, sed etiam *reale* esse praedicabile, quia individuum etiam de se ipso praedicatur, sanxit non quinque praedicabilia, uti Porphyrio secundum Stagiritam visum fuit, sed septem admitti oportere, eaque esse 1° *Essentiam universalissimam*, seu ens ideale indeterminatum, nempe ideam entis; 2° *Essentiam genericam*, seu ideam genericam, nempe genus; 3° *Essentiam specificam*, seu ideam specificam, nempe speciem; 4° *Differentiam specificam*; 5° *Proprium*; 6° *Accidens*; 7° *Reale*[1]. Giobertius vero contendit genus, seu principium supremum, esse *actum creationis*, quia hic, cum *existens*, et *ens*, seu creatum, et increatum secum copulet, essentias utriusque comprehendit, ideoque est primum principium, ex quo utrumque cognosci potest[2].

Ast, utraque haec opinio contra doctrinam logicam de generum, et specierum subalternatione, quam exposuimus, vehementer peccat. Re vera, si genus cunctis generibus superius, hoc est, genus unicum supremum daretur, certe nihil esse, et cogitari posset, quod notione universalissima illius non contineretur. At, si nihil cogitari potest, quod notione generis unici supremi non continetur, notio generis unici supremi, seu generis cunctis generibus superioris, absurda est. Et sane, absurda est notio generis, quod in alia genera intermedia, vel in species divisum intelligi nequit, quia omne genus, uti diximus, intelligi non potest, quin vel ad plura genera inferiora, si sit supremum, aut intermedium, vel ad plures species, si sit ultimum, referri intelligatur. Atqui genus unicum supremum, sive genus cunctis generibus superius, tamquam in plura genera inferiora

---

[1]) *Logica*, lib. II, sez. I, c. 10, § 414-416, p. 120, et 121 ed. cit.

[2]) *Degli errori filos. di Rosmini*, Lett. XII, t. III, p. 23, 24, Capolago 1846.

divisum , intelligi non potest. Ergo notio generis unici cunctis generibus superioris absurda est. Assumptio huius argumenti probatur hoc modo: Genus , quodcumque sit, uti antea ostensum est, in alia genera, vel species divisum intelligi non potest, nisi per aliquid, quod extra essentiam, eius notione contentam , existit. Atqui nihil, quemadmodum modo diximus, esse, et cogitari potest, quod extra essentiam, notione generis unici supremi contentam , existat. Ergo genus unicum supremum in alia genera inferiora divisum intelligi non potest. Id declarare iuvat exemplo ipsius *entis idealis*, quod Rosminius primum, et supremum omnium generum esse voluit, ea ratione permotus, quod notio entis est ultima, et universalissima , in quam intellectus omnes conceptiones resolvit. Re vera, si ens ideale, seu idea entis esset genus cunctis generibus superius, procul dubio ipsum de cunctis generibus secundum differentias singulorum proprias praedicari deberet , quemadmodum *animal* de homine, prout est *rationale*, et de bellua, prout est *irrationale*, praedicatur. Namque, si de cunctis generibus inferioribus sine ullis differentiis , ob idque diversis modis non determinatum praedicaretur, diversa genera inferiora ex eo non constituerentur, sed unum , idemque cum ipsis foret. Atqui extra essentiam, quae entis notione continetur, nulla differentia esse, et cogitari potest, quia praeter ens, uti ante vidimus [1], non est, nisi *non ens*, seu nihil. Ergo *ens ideale indeterminatum*, sive *idea entis*, genus omnium generum summum esse nequit. Hac argumentatione s. Thomas post Stagiritam usus est, ut ens, nedum genus supremum, nullum genus esse posse ostenderet. « Osten- « dit, ait, Philosophus in III *Metaph.* (text. X) quod « ens non potest esse genus alicuius: omne enim genus « habet differentias , quae sunt extra essentiam generis; « nulla autem differentia posset inveniri, quae esset ex-

---

[1]) Pag. 321.

« tra ens, quia non ens non potest esse differentia [1] ».

Rosminius, sicuti diximus, sensit ens ideale a reliquis generibus differre, eo quod ipsum est *per se*. Sed Vir, ceteroquin acutissimus, vehementer falsus est. Etenim, omissis multis aliis huius doctrinae noxis, quas in *Idealogia* patefaciemus, ens prout *per se* esse intelligitur, non est, ut inferius dicemus, aliquod praedicabile, seu *categorema*, sed est primum praedicamentum, seu prima *categoria*, quae *substantia* nuncupatur, atque a ceteris praedicamentis distinguitur, quia horum proprium est *esse in alio*.

Praeterea, sententia, quam hic expendimus, ad pantheismum ducit. Enimvero, si quod esset genus unicum cunctis generibus superius, illud de his, quemadmodum paulo ante dictum est, sine ullis differentiis ipsum determinantibus praedicaretur. Iam, si genus supremum de cunctis generibus inferioribus sine ullis differentiis praedicaretur, una, eademque esset essentia generis supremi, et omnium generum, quae supremo subiiciuntur, quippe quod, cum genus de aliis generibus, vel speciebus sibi subiectis secundum essentiam praedicetur [2], essentia generis unici supremi tota in cunctis generibus sine ullis differentiis inveniretur. Atqui, si omnium una, eademque esset essentia, omnia unum, idemque forent, quia, cum quaelibet res, uti alias ostendemus, per suam essentiam sit id, quod est, patet non posse admitti plura, diversaque genera, et species in hac universitate rerum, nisi plures, diversaeque essentiae rerum admittantur. Ergo, si genus cunctis generibus superius daretur, omnia, quae sunt, unum esse dicendum foret,

---

[1]) I, q. III, a. 5 c. Hinc idem Doctor asseruit ens in cunctis rebus inveniri, sed in ente non inveniri aliquid, quod sit aliud, quam ens: « Ipsum esse est communissimum, unde ipsum « quidem participatur in aliis, non autem participat aliquid « aliud »; *In lib. Boët. de Hebd.*, lect. I.

[2]) S. Thomas I, loc. cit. inquit: « . . . genus significat es- « sentiam rei, cum praedicetur in eo quod quid est ».

quodcumque tandem, secundum diversas Pantheistarum sectas, hoc unum esse dicatur, et quacumque voce designetur. Id quoque per idem exemplum *entis idealis* rosminiani perbelle illustratur. Enimvero, si ens, tanquam genus supremum, de cunctis generibus entium praedicaretur, sane omnia entia unicum ens forent, propterea quod, cum extra ens nulla differentia esse, et intelligi possit, nihil in cunctis generibus inferioribus entis esse, et intelligi quit, per quod a genere summo *entis idealis* differant. Atqui pantheismus in eo consistit, quod omnia entia, quae diversa esse videntur, unicum ens re vera esse dicantur. Ergo, si *ens ideale indeterminatum* Rosminii esset genus omnium supremum, purus, putusque pantheismus admittendus foret.

Tandem, antequam ad Giobertium veniamus, adnotandum quoque est, Rosminium, quemadmodum in primo, ita in postremo praedicabili admittendo errasse. Re vera, cl. Philosophus *reale* inter praedicabilia recensuit, hoc nixus fundamento, quod singulare, et individuum de se ipso praedicari potest. Atqui singulare, seu individuum, de se ipso praedicari posse absurdum est [1]. Ergo absurdum est fundamentum, cuius gratia Rosminius reale inter praedicabilia recensuit. Veritas assumptionis ante a nobis declarata est brevi argumentatione, quam hoc in loco repetere, aliorumque Scholasticorum auctoritate comprobare lubet. Nihil de aliquo proprie praedicari quit, nisi quod ei inesse intelligitur, quia, cum cunctae res creatae, in quas dumtaxat praedicatio proprie dicta cadere potest, aliquam compositionem habeant, in ipsis aliquid, cui aliud inest, ab eo, quod ipsi inest, intellectus distinguere semper potest. « Omnis propria praedicatio, s. Bonaventura ait, est per inhaerentiam, quia « nihil est omnino simplex [2] ». Atqui nihil sibi ipsi inesse intelligi potest, quia repugnat unum, idemque esse

---

[1]) Cf p. 216, et p. 240, not. 2.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. V, a. 1, q. 1 *ad arg.*

illud, quod inest, et illud, cui inest; unde Gabriel Biel, celeberrimus inter Ockamistas, « Nihil, inquit, quod inest « alteri, est idem ei, cui inest: sive inesse dicat inexi- « stentiam per inhaesionem realem, sive inexistentiam « per praedicationem [1] ». Ergo singulare, sive individuum de se ipso proprie praedicari absurdum est.

Opinio Giobertii peculiaribus vitiis laborat, quorum, quae ad doctrinam universalium pertinent, haec praecipua sunt. Primo, si genus unicum supremum daretur, hoc certe *complexum*, nempe ex diversis principiis conflatum, esse repugnaret. Et sane, si ex principiis diversis constaret, tanquam superius cunctis generibus rerum, intelligi non posset. Namque, cum in ordine praedicabilium unum praedicabile altero superius ex eo dicatur, quod totam essentiam suam cum eo communicat, certe supremum genus in qualibet categoria illud dicendum est, quod essentiam suam a nullo alio praedicabili accipit, et cum ceteris praedicabilibus immediate, aut mediate communicat. Sed, si genus supremum ex diversis principiis secum copulatis constaret, 1° essentiam suam a diversis principiis ex quorum coniunctione efficitur, proindeque ab aliis praedicabilibus acciperet; 2° essentiam suam cum nullis aliis praedicabilibus communicaret, quia ex principiis, a quibus essentiam suam accipit, omnia principia propria diversarum rerum, et scientiarum, ipsius Giobertii iudicio, oriuntur, et pendent. Si quod igitur genus supremum esse posset, hoc procul dubio complexum esse nequiret.

Secundo, si genus supremum unicum daretur, istud in vinculo, quod duo extrema copulat, consistere neutiquam intelligi posset. Namque illud, quod duo extrema coniungit, medium inter utrumque extremum esse intelligitur. Atqui genus esse simul supremum, et medium repugnat. Repugnat igitur genus supremum esse vin-

---

[1]) *In lib. I Sent.*, t. I, Prolog. q. III, concl. 3, t. I, p. 19, Brixiae 1574.

culum , quod duo extrema coniungit. Adde , quod , si genus supremum esset aliquid , quod duo extrema coniungit, sequeretur ipsum esse particeps utriusque extremi. Atqui , nedum genus supremum, nullum genus , uti ostensum est, particeps duorum extremorum esse potest. Ergo genus supremum in quodam vinculo , quod duo extrema coniungit, consistere nequit.

Quae cum ita sint, liquet absurdam esse notionem generis cunctis generibus superioris , eoque absurdiorem, si genus illud non simplex , sed complexum , sive, uti Giobertius locutus est, *complexivum* esse dicatur.

Quod si genus omnium generum supremum nec esse, nec intelligi potest, consequens est ne principium quidem primum , et supremum omnium scientiarum dari posse, quia principia scientiarum generibus rerum , circa quas scientiae versantur, respondeant necesse est. Sed de hac altera quaestione in *Methodologia*.

ARTICVLVS SEXTVS

De Proprio, et Accidente

Hactenus praedicabilia exposuimus , ex quibus essentiam rei constitui intelligimus , quia *genus* essentiam rei inchoat , *differentia* essentiam in genere inchoatam perficit, et species totam essentiam rei ex genere , et differentia constitutam exhibet. At, quandoquidem in subiectum aliquae qualitates ab eius essentia promanant, sive, uti s. Thomas loqui solet, *resultant* [1], liquet de quolibet subiecto , praeter genus , differentiam , et speciem, posse praedicari aliquas qualitates , quae essentiam eius non constituunt, sed ipsam iam constitutam consequuntur. Illud , quod a principiis essentialibus rei naturaliter oritur , seu *resultat*, *proprium* , ἴδιον , a Porphyrio

---

[1]) I, q. LXXVII, a. 1 ad 3.

post Aristotelem [1] nuncupatum [2], et pro quarto universali positum fuit. Eodem modo proprium a Scholasticis secundum Porphyrium explicitum est. Revera, Albertus M. inquit: « Est ergo proprium quod manat de substantia speciei iam constitutae per differentiam coniunctam generi in speciei constitutione [3] ». Eum, ceteris missis, Henricus a Gandavo, et s. Thomas secuti sunt, quorum ille ait: « proprium est in specie aliquid ipsius speciei, scilicet consequens ad ipsam iam constitutam in esse speciei per differentiam [4] »; atque hic: « Proprium non est de essentia rei sed ex principiis essentialibus speciei causatur; unde medium est inter essentiam, et accidens [5] ».

Vt vero ad intelligendum hoc quartum universale via nobis aperiatur, quaedam in antecessum monere iuvabit. Primo, proprium, uti Scotus animadvertit, accipi potest vel prout est notio prima, vel prout est notio secunda. Ad rem s. Bonaventura: « Vno modo proprium dicitur contra communitatem. Alio modo dicitur contra improprietatem [6] ». Si priori modo accipiatur, id denotat, quod in unaquaque re est principium, cuius gratia ipsa res ab alia discriminatur, et ad speciem, vel ad individuum pertinet, prout huiusmodi principium, quod a proprio denotatur, vel ab elementis essentialibus speciei constituitur, vel in conditionibus individualibus fundamentum habet. Ita dici solet: *est proprium hominis animalitate, et ratione gaudere*, itemque *est proprium Socratis esse naribus simis*. Sin posteriori modo, id significat, quod essentiam speciei necessario consequitur, proindeque de pluribus individuis, uti ipsa species, praedicatur, et proprium speciei dicitur, puta *hominem esse animal risibile*.

---

[1]) De proprio Aristoteles disseruit *Top.* lib. I, c. 5, et lib. V, c. 1, ed. Th. Waitz, t. II, p. 83, et p. 149-151, Lipsiae 1846.

[2]) Vid. *Op. cit.* Porph. c. 4, quod de *proprio* totum est, p. 394, et 395 ed. cit.

[3]) *Op. cit.*, tract. VI, c. 1.—[4]) *Op. cit.*, art. LX, q. 5, n. 4.

[5]) I, q. LXXVII, a. 1 ad 5.—[6]) *In lib. I Sent.*, Dist. XII, dub. 3.

« Intelligendum autem, Doctor Subtilis scribit, quod *pro-*
« *prium* est aequivocum: quia potest esse nomen primae
« intentionis, et sic opponitur communi, potest enim
« aliquid dici proprium individui, sicut et speciei, et sic
« est concretum, et a proprietate dictum, alio modo *pro-*
« *prium* est nomen secundae intentionis, significans in-
« tentionem secundam, scilicet praedicatum non prae-
« dicans essentiam, ut definitur *I Top.* c. 4, et sic est
« species Vniversalis [1] ».

Secundo, omne proprium, sive speciei, quod modo innuimus, sive individui, de quo mox dicemus, *esse accidentale* habet, quia omne id, quod essentiam rei non ingreditur ei advenire, hoc est *accidere*, συμβεβηκειν, intelligitur. « Quod advenit, s. Bonaventura ait, iam com-
« pleto in esse est accidentale [2] ». Hinc sanctus Damascenus post Boëthium [3] sanxit, proprium esse *substantiae adiectitium quid, seu essentiam consequens*, ἐπουσιῶδες ἢ ἐπεισουσιῶδες [4], et cum eo s. Bonaventura [5], et Gandavensis [6] eumdem Boëthium laudarunt quod proprium *de genere accidentium* esse dixit. Accidens, cum hoc universali modo accipitur, idem valet, ac non essentiale, et tum proprio speciei, quod est quartum universale, tum accidenti proprie dicto, quod est quintum universale, convenit. « Alio modo, subdit Scotus,
« significat (*accidens*) idem, quod praedicatum non es-
« sentiale, et sic distinguitur contra praedicatum essen-
« tiale, et est commune duobus ultimis universalibus [7] ».

Tertio, quandoquidem aliquid ab essentia subiecti quatuor diversis modis oriri potest, proprium, ut scite Porphyrius docuit, quadrifariam, τετραχῶς, dividitur.

---

[1]) *Op. cit.*, q. XXX, ad quaest. n. 2.

[2]) *In lib. II Sent.*, Dist. XIII, a. 3, q. 2 *in fund.*

[3]) *In Porphyrium a se translatum* lib. III, § 41, col. 88, Venetiis 1559.

[4]) *Op. cit.*, ibid. Porphyrius quartum universale unica voce σύμφυτον, *naturae concretum*, dixit, § 5, p. 395.

[5]) *In lib. II Sent.*, Dist. III, part. I, a. 11, q. 2 *ad arg.*; cf s. Thomam, *Cont. Gent.*, lib. I, c. 32, n. 3; *Quodlib.* VI, a. 1 c.

[6]) *Op. cit.*, art. LX, q. 5, n. 4.

[7]) *Op. cit.*, q. XXXIV, ad quaest. n. 2.

Huius divisionis ratio, uti peracute Albertus M. observavit [1], posita est cum in eo, quod propria cuiusque essentiae non omnia ex adaequatis principiis eius emanant, tum in eo, quod principia non adaequata, ex quibus emanant, non semper eadem sunt. Enimvero, est proprium, quod oritur ab aliquo principio essentiali proprio alicuius speciei, quo utendi arbitrium penes subiectum est, puta hominem medici, aut geometrae officio fungi; homo enim fit geometra, si ratione ad scientiam quantitatis continuae adipiscendam uti velit. Hoc proprium, aiente Porphyrio, est illud, *quod soli alicui speciei accidit, etsi non omni* [2], hoc est, quod nonnisi uni speciei, et non omnibus individuis eius convenit. Aliud proprium oritur ex principio, quod uni speciei cum alia commune est; ex quo fit, ut cunctis individuis alicuius speciei, sed non soli illi speciei conveniat. Hoc secundo modo homini proprium est esse bipedem, quia, si ipse est bipes, alia animalia quoque duos pedes habent. Hinc Porphyrius ipsum definivit, *quod omni accidit speciei, etsi non soli* [3]. Est et proprium, quod ex principio non formali, sed materiali subiecti oritur; e. g. hominem in senectute canescere. Hoc illud est, *quod soli, et omni, et aliquando accidit* [4], scilicet, quod omnibus individuis alicuius speciei, et soli uni speciei, sed non omni tempore convenit, quia, uti Albertus M. [5], post s. Augustinum [6], observavit, cum principium materiale, ex quo emanat, mutationi obnoxium sit, efficitur, ut, mutata aliqua dispositione materiae, proprium in subiecto exurgat, vel ab eo abscedat. Denique est proprium, quod ex cunctis, et adaequatis principiis speciei oritur, uti *hominem esse aptum ad ridendum*. Hoc proprium illud esse Porphyrius dixit, *ad quod concurrunt et o-*

---

[1]) *Op. cit.*, tract. VII, c. 2. — [2]) *Op. cit.*, c. cit. § 2, p. 394.

[3]) *Ibid.* § 3. Hoc proprium s. Thomas innuit 1ª 2ªe, q. LXXII, a. 5 c., cuius verba exscripsimus p. 256, et 257.

[4]) *Ibid.* § 4. — [5]) *Op. cit.*, loc. cit.

[6]) *De Trinitate*, lib. V, c. 4, n. 5.

mni, *et soli*, *et semper* [1]. Et scite. Namque hocce proprium convenire debet 1° uni speciei, quia, cum id, per quod una species ab altera differt, essentiale sit, cuncta, et adaequata principia essentialia unius speciei alteri inesse haud possibile est; 2° omnibus individuis speciei, quia, cum in singulis individuis tota essentia speciei inveniatur, nullum individuum iis carere potest, quae essentiam speciei necessario consequuntur; 3° semper, quia, si nullum individuum aliquando expoliari potest essentia speciei, cui subiicitur, ne aliquid quidem eorum, quae ab essentia speciei promanant, aliquando amittere potest. Haec Scotus luculenter exposuit, ubi de hoc proprio loquens, « Proprium, scribit, egreditur ex « principiis subiecti, et maxime a forma: non est autem « possibile causam necessariam, et immediatam alicu- « ius poni, nisi ponatur effectus, et ideo, quia inest « semper subiecto suo forma, quia non est id, quod est, « nisi per illam, ideo semper sibi inerit proprium [2] ».

Evidens porro est quartum hocce proprium cum subiecto vicissim dici, seu *reciprocari*, ἀντιστρέφεσθαι, seu ἀντιστρέφειν, quia, cum sit praedicatum, quod soli subiecto, et cunctis individuis notione subiecti comprehen-

---

[1]) *Loc. cit.* § 5.

[2]) *Op. cit.*, q. XXXIII, ad quaest. n. 2. Aristoteles triplex proprium descripsit, scilicet *absolute*, ἁπλῶς, *relate*, seu *ad aliquid*, πρός τι, et *aliquando*, ποτέ. Primum quarto, et tertium tertio Porphyrii respondet. Secundum duo reliqua Porphyrii complectitur, scilicet primum, et secundum. Re vera, proprium est alicuius hominis esse geometram non absolute, οὐχ ἁπλῶς, cum plures alii homines geometrae sint, sed *relate*, πρός τι, nempe, si cum multis aliis hominibus, qui geometrae non sunt, comparetur, itemque proprium hominis est esse bipedem, si comparetur cum equo, bove, aliisque quadrupedibus, sed non absolute, quia columba, aliaeque aves quoque bipedes sunt. Hanc interpretationem Stagiritae Albertus M. innuit his verbis: « Propter quod Aristoteles « tripliciter assignat proprium. Proprium igitur quando; et pro- « prium ad aliquid, et proprium simpliciter: quia proprium ad « aliquid duo comprehendit, scilicet quod convenit omni, sed non « soli: et quod convenit soli, sed non omni »; *Op. cit.*, tract. VI, c. 1.

sis, et unicuique individuorum semper convenit, uti ipsum de subiecto, ita subiectum de ipso universe affirmatur. E. g. « si quid, Porphyrius inquit, equus est, « et hinniens; et si quid hinniens, equus [1] ». Hinc apposite Scotus monuit illa verba *omni*, et *soli*, et *semper* esse *circumlocutionem* illius conceptus, qui unica voce *convertibiliter*, αντιστρέφως, significatur: « per omnia « illa copulata, *omni*, et *soli*, et *semper*, debet intelligi « unum circumlocutum, scilicet *convertibiliter* [2] ». Cuius rei idem Doctor hanc rationem assignavit, quod essentia subiecti est causa per se, immediata, et necessaria huiusce proprii. Exscribamus ipsamet eius verba: « Est « praeter haec accidens, quod inest speciei ratione formae, ita quod forma speciei est eius per se, et immediata causa: posita autem causa necessaria, et praecisa, « et immediata, ponitur et effectus, et amota, amovetur; « ideo omni habenti formam speciei, inest tale Accidens, « et semper, et non habenti formam speciei, non inest « tale: ergo est simpliciter, convertibile cum specie [3] ».

Praestat brevem locum sancti Damasceni exscribere, in quo haec omnia in compendium redacta occurrunt: « Pro« prium quatuor modis dicitur. Primum, quod soli speciei « inest, sed non omni, ut homini Geometram esse; solus « enim homo Geometra est, sed non omnis homo Geo« metra. Secundo, quod omni quidem speciei inest, sed « non soli, ut bipedem esse. Omnis quippe homo bipes « est; at non solus homo est bipes, sed etiam columba, « et similia. Tertio, quod omni quidem ac soli, et non « semper; quemadmodum homini canescere. Hoc enim « omni et soli homini convenit, at non semper; verum « in senectute tantum. Quarto, denique, quod tribus pri« mis in unum coëuntibus exurgit, hoc est, quod o« mni, ac soli semperque convenit: quod item conver« titur; ut risus homini, hinnitus equo, aliaque id ge-

---

[1]) *Ibid.*, § 6, p. 395.—[2]) *Op. cit.*, q. XXXI, ad 5 n. 3.
[3]) *Ibid.*, q. XXXIII, ad quaest. n. 2.

« nus. Solus enim homo risibilis est, et omnis homo, « et semper; tametsi ea facultate non semper utatur. « Nam, si quidem est homo, risibilem esse necessum « est, ac quidquid risibile est, hominem esse oportet. « Hoc est enim converti, ac reciprocari [1] ».

His praestitutis, nullo negotio intelligitur quartum proprium, ut de ceteris in praesentia taceamus, a Porphyrio inter praedicabilia iure, meritoque adnumeratum fuisse. Vt hoc planum fiat, advertendum est cum Alberto M. quartum proprium esse verum proprium, alia autem propria dici ex eo, quod cum illo magis, minusve conveniunt, quia in illo cuncta requisita proprii, in his vero aliqua tantum occurrunt. « Attendendum est enim, inquit, quod vere proprium est, quod « convenit omni et soli, et semper, et conversim praedicatur de illis: et per respectum ad illud accipiunt « alia propria, scilicet illud, quod soli, sed non omni, « aut omni, sed non soli, aut omni, et soli, sed non « semper [2] ». Qua in re Beatus Doctor Aristotelem, et Porphyrium secutus fuit. Stagirita enim illud solum proprium, quod deinceps Porphyrius quarto loco recensuit, nomen proprii mereri dixit, illudque definivit hoc modo: « Proprium vero est, quod non declarat quidditatem, sed « soli inest, et cum re reciprocatur [3] ». Porphyrius autem post eum docuit quartum proprium esse *praecipue*, κύριως, proprium, quia cum subiecto reciprocatur [4].

Iam, quin hoc proprium sit quoddam speciale praedicabile, seu universale, in dubium revocari non potest. Primo enim ipsum est quoddam praedicabile, seu universale. Et sane, quandoquidem proprium ab essentia speciei necessario emanat, tum ad ipsam speciem, tum

---

[1]) *Op. cit.*, c. 14. — [2]) *Op. cit.*, tract. VI, c. 1.

[3]) *Topic.* lib. I, c. 5, ed. et vert. Bekker, Berolini 1831.

[4]) « Haec vero etiam praecipue propria dicuntur, quia recipro« cantur »; *Op. cit.*, c. 4, § 6, p. 395, ed. cit. Nicephorus Blemmides sec. XIII, logices aristoteleae abbreviator, quartum proprium κυρίως ἴδιον nuncupavit; *Epist. log.* c. 13, Aug. Vindel. 1665.

ad individua, quae specie continentur, naturaliter refertur. Atqui ex utroque capite consideratum universale esse debet, quippe quod universalis est species, quam necessario consequitur, ut plura sunt individua, de quibus per speciem praedicatur. Ergo haud dubium est, quin proprium sit aliquid universale. Scotus hoc ipsum probavit luculenta argumentatione, quae huc redit: Proprium, ut ex eius definitione patet, cum subiecto reciprocatur. Atqui subiectum, cum quo reciprocatur, est universale, quia est species, ex cuius essentia emanat. Ergo proprium quoque universale est [1]. Quod si quaeratur, utrum proprium ex eo re vera fiat universale, quod refertur ad speciem, an ex eo, quod per speciem ad individua refertur, in promptu responsio Scoti est [2], proprium esse universale, prout ad individua per speciem refertur, quia hoc modo consideratum est eiusmodi, ut de pluribus praedicari queat.

Secundo est etiam speciale praedicabile. Namque illud universale, quod de pluribus diverso modo, ac reliqua universalia, praedicatur, ab aliis universalibus, seu praedicabilibus differt, quia, cum omne universale ex eo praedicabile fiat, quod de multis praedicatur, oportet diversa esse praedicabilia, si modi, secundum quos universalia de multis praedicantur, diversi sunt. Atqui proprium diverso modo, ac alia praedicabilia, de pluribus praedicatur. Re vera, genus, differentia, et species de subiecto secundum essentiam eius praedicantur, quia intellectus intelligit essentiam rei in genere inchoari, per differentiam perfici, et perfectam specie contineri. Proprium vero de subiecto praedicatur secundum aliquid, quod ab essentia subiecti fluit, sed extra illam est. Apposite s. Thomas: « Dicendum, quod risibile, quamvis convertatur cum homine, tamen addit aliquam « naturam extraneam super hominem, quae est praeter « essentiam hominis [3] ». Accidens autem, quod est quin-

[1]) *Op. cit.*, q. XXX, ad quaest. n. 2. — [2]) *Op. cit.*, q. III.
[3]) *Qq. dispp., De Ver.*, q. XXI, a. 1 ad 1.

tum praedicabile, etsi de subiecto, ut mox videbimus, quoque praedicetur secundum aliquid, quod extra essentiam ipsius subiecti est, tamen a proprio etiam differt, quia illud praedicatur de subiecto secundum aliquid, quod essentiam *contingenter*, hoc autem secundum aliquid, quod necessario concomitatur. Ergo proprium est praedicabile, quod ab aliis praedicabilibus differt, proindeque est quoddam praedicabile speciale.

Quae cum ita sint, vides rectam esse definitionem proprii, quam ex Aristotele adduximus. Nam, cum ipse asseruit proprium non declarare, quid res sit, ipsum a genere, differentia, et specie distinxit, et, cum addidit, quod cum sola specie, cui inest, convertitur, ipsum ab accidenti discriminavit, quia accidens, uti paulo post videbimus, cum non semper subiecto insit, cum eo reciprocari nequit [1]. Hinc Scotus secundum Aristotelem proprium breviter definivit hoc modo: « Proprium est praedicatum, non essentiale conversim [2] ».

Verum, ut notio proprii, quam hactenus exposuimus, firmo stet talo, iuvat quasdam dubitationes exsolvere, quae cuipiam illam consideranti fortasse occurrere possunt.

Atque in primis, proprium universale dici non posse videtur, quia ipsum non est pluribus commune, sed uni soli inest, scilicet speciei, cuius est proprium. Ast Albertus M. sapienter observavit hanc dubitationem esse prorsus futilem, quia illud unum, cui proprium inest, non est numero unum, sed genere, aut specie unum, quod potestate semper multa complectitur. Quocirca, si hoc unum multis commune est, sequitur etiam proprium, quod illi *uni* semper inest, commune esse.

---

[1]) Et sane, uti verum est omnem hominem posse ridere, ita verum est, quidquid ridere potest, esse hominem. At, quamvis verum sit omnem corvum esse nigrum, tamen verum non est, quidquid est nigrum, esse corvum. Non aliud discrimen, quam hoc, inter proprium et accidens a Logicis post Porphyrium agnitum est.

[2]) *Op. cit.*, q. XXXIII, ad quaest. n. 2.

« Quamvis, ait, proprium, et universale secundum ra-
« tionem nominum proprii, et universalis repugnare vi-
« deantur: quia proprium est quod uni soli convenit:
« universale autem, quod convenit multis. Sed ad hoc
« est dicendum, quod quamvis proprium conveniat soli:
« hoc tamen solum est species communis, quae est in
« multis potentia, vel actu, vel simul actu, et poten-
« tia: et, quamvis sic soli convenjat: tamen est in mul-
« tis, et de multis, in quibus, et de quibus est illud
« solum, cuius ipsum est proprium, et hoc non est con-
« tra rationem universalis [1] ».

Verum obiiciunt alii: Si proprium de multis praedicatur, quia inest speciei, quae multis communis est, sequitur ipsum de multis praedicari *per aliud*, non vero *per se*, proindeque non esse praedicabile *per se*, sed *per accidens*. At, si est praedicabile per accidens, non est praedicabile a ceteris distinctum, quia unumquodque per id, quod ei per se, non per id, quod per accidens inest, discriminatur. Proprium igitur aliquod praedicabile speciale non est.

Sed idem Albertus M. huic obiectioni respondit proprium, etsi per speciem, hoc est mediate, de multis praedicetur, tamen non *per accidens*, sed *per se* de ipsis praedicari, quippe quod de ipsis non secundum idem, ac species, praedicatur. Re vera, proprium de individuis speciei subiectis praedicatur non secundum essentiam notione speciei contentam, sed secundum aliquam qualitatem, quam essentia vel ex parte principii materialis, vel ex parte principii formalis in individuis adquirit. « Sed ad hoc dicendum est, Beatus Doctor in-
« quit, quod proprium re vera praedicatur de specie,
« cuius est proprium, immediata praedicatione. Sed (ut
« dictum est) respicit speciem, prout est in materia et
« particulari, ideo praedicatio eius per se refertur ad
« particularia: et sic per se, et non per accidens est

[1]) *Op. cit.*, tract. VI, c. 1.

« universale [1] ». « Praedicationem ergo universalis, ut « idem Doctor subdit, habet proprium, quamvis individua « propria non habeat [2] ».

Sed oggerunt: Eadem individua ad plura universalia pertinere non possunt, nisi unum horum alteri subiiciatur, quia oppositorum universalium, quemadmodum diversae sunt differentiae, et species, ita diversa individua esse debent. Atqui proprium non subiicitur speciei, cuius est proprium, sed ipsi aequale est, quia ipsi omni, et soli, et semper inest. Ergo eadem proprii, et speciei individua esse nequeunt.

At, principium huius argumentationis, uti Albertus quoque observavit, verum est, si de generibus, et speciebus sermo sit, quia individua ad aliud genus referri non possunt, quam cui species subiicitur, sed verum non est, si de cunctis universalibus enuncietur, quia eadem individua ad plura universalia pertinere possunt ex eo solum, quod unum ad alterum refertur. Ita, quoniam differentia ad genus, quod dividit, et ad speciem, quam constituit, refertur, eadem individua, in quibus differentia invenitur, secundum diversos modos pertinent ad speciem, quam differentia cum genere efficit, et ad genus, cui species per differentiam constituta subiicitur. Hinc, cum proprium ad speciem, cuius proprium est, referatur, non repugnat eadem esse individua proprii, et speciei, cuius proprium est. En verba laudati Doctoris: « Dicen- « dum, quod est verum de generibus, et speciebus: sed « de universalibus sic est, quod plura eorum referuntur « ad invicem, sicut genus ad speciem, et species ad « genus, et similiter differentia refertur ad utrumque il- « lorum, et sic etiam proprium refertur ad speciem: et « ideo possunt habere individua eadem [3] ».

Quod ut facilius intelligatur, advertendum est non unum, eumdemque, sed plures, et diversos esse modos, secundum quos eadem individua pluribus universalibus subiiciuntur.

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. — [2]) *Ibid.* — [3]) *Ibid.*

Etenim individua subiiciuntur generi, quia de ipsis inchoata essentia eorum, generis notione contenta, praedicatur; speciei, quia de ipsis praedicatur essentia per differentiam determinata, quae speciei notione continetur; differentiae, quia de ipsis per speciem illud essentiale principium praedicatur, quod genus dividit, ipsamque speciem constituit; proprio denique, quia de ipsis qualitas praedicatur, quae ex principiis essentiae necessario emanat, sed non est ullum ex principiis, quae essentiam constituunt. Atqui plura diversis modis de uno, eodemque praedicari haud repugnat, quia diversitas modorum efficit, ut illud, quod unum, idemque est, multiplex ratione fiat, prout intellectus illud vel ad genus, vel ad speciem, vel ad proprium relatum considerat. E. g. Socrates est re unum idemque individuum et prout est *hoc animal*, et prout est *hic homo*, et prout est *hoc risibile*, quippe quod haec omnia unicum re Socratem efficiunt; sed, quandoquidem in eo *animal*, *rationale*, et *risibile* ab se distinguuntur, intellectus secundum diversos respectus intelligit idem individuum prout est hoc animal, prout est hoc rationale, et prout est hoc risibile [1]. Ergo non solum speciem, sed etiam proprium de individuis praedicari non repugnat. Hinc idem Albertus M., postquam ostendit eadem individua speciei, et proprio posse subiici, illico adiecit: « non tamen eodem modo. Alius enim modus individui est hoc animal, et hic homo, hoc rationale, et hoc risibile: quamvis per suppositum omnia haec eadem sint, est enim Sortes hoc animal, et hic homo, et hoc risibile. Et si individuum formaliter accipiatur: tunc formaliter diversa sunt individua, sicut diversa sunt universalia. Sed in hoc est differentia, quod hoc animal non habet esse hoc rationale per hoc, quod est hic homo, sed per se:

---

[1]) Id fortasse s. Thomas sibi voluit, cum scripsit: « Res intellecta non individuatur, nec multiplicatur, nisi ex parte operationis intellectualis »; *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 9 ad 13.

« sed hoc risibile habet esse hoc risibile per hoc, quod « est hic homo, quia risibile principiatur ab homine, « sive ab hominis specie : animal autem, et rationale « ab homine non principiantur, sed potius principia « sunt hominis [1] ».

De proprio satis, superque: ad accidentis, quod quintum, et ultimum universale est, explicationem accedamus. Ne ullus aequivocationi adytus pateat, monendum est cum s. Thoma [2] accidens duobus modis accipi posse, scilicet vel prout substantiae, nempe essentiae rei, prout *per se* est, consideratae, vel prout essentiae *absolute* sumptae, nempe essentiae, prout naturam rei constituit, opponitur. Si priori modo accipiatur, conceptus eius omne id denotat, quod nonnisi tanquam alteri, nempe substantiae, inhaerens intelligi potest, cum substantiae conceptus denotet illud, quod per se esse intelligitur. Sin posteriori modo, conceptus eius illud denotat, quod intellectus extra essentiam subiecti, cuius accidens est, esse intelligit [2]. Iamvero, in primis accidens, prout substantiae opponitur, non est ullum praedicabile, sed est, ut inferius dicemus, ens, seu *esse*, quod est commune cunctis categoriis, excepta prima, nempe substantia. Et sane, cum quidquid est, ut inferius quoque videbimus, non aliter intelligi queat, quam vel prout per se est, vel prout alteri inest, consequitur cunctas categorias, excepta substantia, non aliud deno-

---

[1]) *Op. cit.* loc. cit. — [2]) *Qq. dispp.*, q. unic. *De sp. cr.*, a. 11 c.

[3]) S. Bonaventura hanc doctrinam latius evolvens advertit unum de altero *secundum accidens* dici posse tribus modis, nempe vel prout opponitur ei, quod *secundum substantiam* dicitur, et significat id, quod alteri inest; vel prout opponitur ei, quod dicitur *per se*, et illud denotat, quod *per aliud* est, aut prout opponitur ei, quod *necessario* inest subiecto, et significat id, quod subiecto *contingenter*, hoc est non necessario inest. Advertito modos secundum, et tertium respondere primo, quem ex s. Thoma, et Scoto passim exposuimus, quia nec proprium, nec accidens, de quo in praesentia agimus, ad principia substantialia rei pertinent. Vid. *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, a. 1, q. 2 *resol.*

tare posse, quam diversos modos, quibus ens, sive *esse*, inesse posse substantiae intelligitur. Ast accidens, prout essentiae opponitur, aliquod praedicabile esse potest. Nam, cum in qualibet re creata inveniantur non solum illa, quae eius essentiam constituunt, aut determinant, sed etiam alia, quae essentiae, iam constitutae, aut determinatae advenire, seu, ut Scholae aiunt, *accidere*, συμβεβηκειν, intelligitur, illud inde fluit, quod antea innuimus [1], aliquid de subiecto posse praedicari, non modo prout id, quod eius essentiam efficit, ut genus, et species, aut determinat, uti differentia, sed etiam, prout essentiae constitutae advenit, hoc est secundum accidens. « Quando autem dici- « tur, Albertus M. scribit, quod omne, quod est, aut « est substantia, aut est accidens: hoc verum est, se- « cundum quod substantia est ens per se, et accidens « est ens per aliud in alio . . . Secundum autem, quod « sunt diversi modi entis per se, secundum quod va- « riatur praedicatum substantiale in quid, et in quale, « sic sunt diversi modi entis in alio, et per aliud, se- « cundum quos variatur modus praedicationis, sive prae- « dicabilis accidentalis [2] ».

Secundo, sciendum est accidens, prout essentiae opponitur, et praedicabile de multis est, aut a principiis essentialibus speciei per se consideratis, aut ex iisdem principiis non per se consideratis, sed prout in individuis determinantur, emanare. Si ex primis emanet, est, uti antea diximus, accidens speciei, et *proprium* vocatur, quia non alii universali, quam speciei convenit; sin ex secundis, est accidens individui, et vocatur *commune*, quia principia, ex quibus emanat uti in individuis unius speciei, ita quoque in individuis alterius speciei, aut generis se habere queunt. « Dicendum, idem Doctor subdit, quod (*proprium, et accidens*) differunt in hoc, quod proprium « est accidens manans de principiis essentialibus spe-

---

[1]) Pag. 338. — [2]) *Op. cit.*, tract. VII, c. 1.

« ciei , et maxime proprie proprium , cuius principia « principiis speciei immobiliter sunt adaequata. Sunt « autem sub principiis speciei principia substantialia in- « dividui componentia ipsum , sicut talis anima , et ta- « le corpus , et talis complexio , et talis membrorum « compositio, et talis habitudo , et huiusmodi , ex qui- « bus oritur et manat accidens individui . . . Ideo etiam « dicitur accidens commune , quia talis habitudo princi- « piorum communiter in diversis generibus, et speciebus « particularium invenitur [1].

Ex hactenus dictis intelligere potes 1° accidens proprium esse aliquid medium inter substantiam , et accidens, quia ipsum , etsi ad essentiam subiecti non pertineat , tamen ex principiis , quae essentiam componunt, necessario fluit. Hinc s. Thomas advertit , si accidentis nomine illud significetur , quod substantiae opponitur, non esse ullum medium inter substantiam , et accidens; sin quartum universale denotetur , esse aliquid medium inter utrumque, idque esse proprium. En verba sancti Doctoris : « . . . Si accidens accipiatur, secundum quod di- « viditur contra substantiam , sic nihil potest esse me- « dium inter substantiam, et accidens : quia dividuntur « secundum affirmationem , et negationem , scilicet se- « cundum esse in subiecto, et non esse in subiecto . . « Si vero accipiatur accidens, secundum quod ponitur « unum quinque universalium , sic aliquid est medium « inter substantiam , et accidens : quia ad substantiam « pertinet quidquid est essentiale rei ; non autem quid- « quid est extra essentiam, potest sic dici accidens, sed « solum id, quod non causatur ex principiis essentiali-

---

[1]) *Ibid.* Adde Henricum Gand., qui breviter ait: « . . . pro- « prium sequitur formam, et speciem rei, sive rationem spe- « ciei, et formae, sicut accidens sequitur rationem individui ». (*Op. cit.*, art. LV, q. 2, n. 1); et s. Thomam, qui de accidente individui inquit: « Accidens, quod est individui, non conse- « quens totam speciem, consequitur materiam, quae est indi- « viduationis principium »; I, q. LIV, a. 3 ad 2.

« bus speciei. Proprium enim non est de essentia rei, sed « ex principiis essentialibus speciei causatur: unde me- « dium est inter essentiam, et accidens [1] ».

2° Intelligis quoque Logicos non inscite accidens proprium peculiari nomine *proprii*, accidens vero commune nomine communi *accidentis* designasse, quia ratio accidentis per aliquam specialem perfectionem in proprio invenitur. Id Gandavensis luculenter exposuit his verbis: « quaecumque enim aliquorum contentorum sub nomine « communi res communis per aliquam praerogativam « convenit uni illorum, illi appropriatur nomen, quod « praerogativa exprimit, et alteri reservatur nomen com- « mune: sicut nomen accidentis simpliciter tenet omne « accidens, quod a communibus principiis subiecti cau- « satur. Quod vero causatur a principiis propriis subie- « cti, nomine appropriato dicitur proprium, licet manet « de genere accidentium, ut dicit Boëthius [2] ».

His praemissis, manifestum est accidens, de quo hic agimus, non esse, uti ante innuimus [3], accidens, quod est novem postremis categoriis commune, quia, ut s. Thomas monuit, cum huiusmodi accidens generi, et speciei opponatur, illud absurdum inde flueret, qualitatem, quantitatem, aut ullam aliam ex categoriis, quae a substantia distinguuntur, genus, aut speciem esse non posse [4]; nec esse accidens speciei, quod proprium dicitur, quodque quartum praedicabile esse ostendimus, sed esse accidens individui, quod communi voce accidentis nuncupatur. Iam, quin accidens, hoc ultimo modo spectatum, re

---

[1]) I, q. LXXVII, a. 1 ad 5; Cf *Qq.dispp.*,q. un. *De sp. cr.*,a.11 c.
[2]) *Op. cit.*, art. VI, q. 2, n. 13. — [3]) Pag. 350.
[4]) « Si enim haec esset eadem acceptio (*accidentis*) cum primo « (*quod est commune novem generibus*), cum accidens sic acceptum « (*secundum quod significat habitudinem accidentalem praedicati ad « subiectum*) dividatur contra genus, et speciem, sequeretur, quod « nihil, quod sit in novem generibus, posset dici vel genus, vel « species, quod patet esse falsum; cum color sit genus albedinis, « et numerus binarii »; *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 11 c.

ipsa sit, uti Scholastici docent, aliquod speciale praedicabile, nemini ipsum attente consideranti dubium esse potest. In primis, accidens individui, seu commune, est aliquod praedicabile. Namque hoc accidens eiusmodi est, ut et ipsum sine subiecto, cui inest, et subiectum, cui inest, sine ipso intelligi queant [1], quippe quod, uti mox videbimus, conceptus unius conceptu alterius non continetur, et vicissim. E. g. nos possumus Socratem cogitare, quin eum philosophum fuisse cogitemus, et vicissim possumus conceptum philosophi nobis efformare, quin de Socrate cogitemus, propterea quod, licet Socrates desineret esse philosophus, non desineret esse Socrates, atque esse philosophum procul dubio sine notione hominis intelligi non potest sed necesse non est, ut in Socrate, aut in Platone esse intelligatur. Hinc idem Aquinas docuit accidens posse de multis praedicari non ex eo, quod in uno individuo invenitur, sed per se, hoc est secundum essentiam suam spectatum, quia, si, prout in uno individuo determinatur, in altero esse nequit, nihil prohibet, quin in altero individuo aliter determinetur [2]. Atqui id, cuius conceptus conceptum alicuius subiecti non continet, et conceptu eius non continetur, est aliquid indeterminatum, quia non solum subiecto, in quo inest, sed aliis pluribus inesse intelligi potest. Ergo conceptus accidentis, de quo hic agimus, est conceptus rei indeterminatae, hoc est certi modi entis, qui pluribus convenire potest. Hinc, quandoquidem illud, quod pluribus inesse posse intelligitur, est praedicabile, accidens commune, quod accidens sine ulla additione a Logicis dictum fuit, esse praedicabile certum est.

---

[1]) « Omne, Aquinas ait, dicimus per accidens se habere ad « aliquid, sine quo illud esse potest »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 8 ad 6.

[2]) « Haec albedo non prohibetur habere sub se multa indi« vidua ex hoc, quod est albedo, quod pertinet ad rationem « speciei, sed ex hoc quod est in hoc, quod pertinet ad ra« tionem individui »; *Qq. dispp.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 8 ad 4.

At, si indubium est accidens commune esse aliquod praedicabile, indubium quoque est ipsum esse praedicabile, quod a quatuor hactenus recensitis differt. Quod ad genus, differentiam, et speciem spectat, res per se patet, quia ipsa ad essentiam rei referuntur, accidens vero commune non solum ad essentiam rei non pertinet, sed etiam conceptus eius per se aliquid denotat, quod extra essentiam rei est. Illud declaremus necesse est, quomodo ipsum a proprio differat, quia proprium quoque de subiecto secundum aliquid, quod extra essentiam eius est, praedicatur. Ratio discriminis in eo posita est, quod, cum proprium ex cunctis, et adaequatis principiis essentialibus subiecti emanet, ipsum necessario de subiecto praedicatur; sed e contrario, cum accidens ex principiis rei, prout haec in individuo determinantur, procedat, de subiecto contingenter praedicatur [1]. Exinde fit, ut accidens commune, secus ac de proprio diximus, cum subiecto suo haud reciprocetur. Nam, quum ipsum cum essentia subiecti contingenter, non necessario coniungatur, neque in cunctis individuis, quibus essentia, subiecti notione contenta, inest, neque in eodem individuo semper invenitur. Iam, si accidens de subiecto secundum aliquid, quod extra essentiam eius est, aliter ac proprium, praedicatur, aliud praedicabile esse accidens, aliud proprium concludendum est.

Itaque Scotus sapienter docuit, quoniam in qualibet re praeter principium materiale, et principium formale quae eius essentiam constituunt, et accidentia, quae ex cunctis, et adaequatis illis principiis manant, sunt etiam accidentia, quae non per se essentiam eius consequuntur, admittenda

[1]) Hoc certe s. Thomas sibi voluit, cum ait: « Cum accidentali « praedicato vero (*proprium*) convenit, in hoc, quod nec est es- « sentia rei, nec pars essentiae, sed aliquid praeter ipsam. Dif- « fert autem ab accidentali praedicato, quia accidentale praedi- « catum non causatur ex principiis essentialibus speciei, sed ac- « cidit individuo, sicut proprium speciei; quandoque separabili- « ter, quandoque inseparabiliter »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Spirit. creat.* a. 11 c.

esse non solum praedicabilia, quae essentiam rei, uti *genus* et *species*, aut qualitatem essentialem, uti *differentia*, et praedicabile, quod accidens reciprocum cum subiecto denotat, uti *proprium*, sed etiam quintum praedicabile, quod accidens non reciprocum significat, quodque *accidentis* nomine a reliquis distinguitur. Venerabilis Doctor, postquam monuit accidens accipi posse vel pro eo, quod substantiae opponitur, atque est novem ultimis categoriis commune, vel pro eo, quod praedicatum non essentiale significat, et duobus ultimis praedicabilibus convenit, statim subdit: « Alio modo dici- « tur idem, quod praedicatum non essentiale, nec per « se, nec convertibile: et sic est quintum Vniversale. « Et patet, quod sic praedicatur de pluribus, et habet « modum praedicandi distinctum ab aliis: sic enim « praeter materiam, et formam, quae sunt essentia rei; « et accidentia egredientia ex illis principiis per se, est « reperire aliqua consequentia essentiam non per se, « nec convertibiliter; sic praeter praedictos modos prae- « dicandi *in quid*, et *in quale essentiale*, et *accidenta- « le convertibiliter*, est alius modus praedicandi *in qua- « le accidentale non convertibiliter* sumtus a modo es- « sendi in re, et tale praedicatum dicitur accidens, ut « hic sumitur [4] ».

Antequam ulterius progrediamur, illud, quod antea quodammodo innuimus [2], in memoriam revocandum nobis est, scilicet accidens commune, uti Porphyrius docuit [3], esse aut *inseparabile*, ἀχώριστον, aut *separabile*, τὸ χωριστὸν, quia illud, etsi cum essentia subiecti necessario haud coniungatur, tamen eiusmodi est, ut quandoque a subiecto cogitatione, sed non re, salvo eo, et incolumi, separari queat, puta esse *nigrum* Aethiopi et corvo, quandoque vero non solum cogitatione, sed etiam re ipsa, eo incolumi, separari possit [4], puta *stare*, *curre-*

[1]) *Op. cit.*, q. XXXIV, ad quaest. n. 2.
[2]) P. 258. — [3]) *Op. cit.*, ibid., § 2, p. 395.
[4]) Lucretius, elegantiarum latinarum adprime callens, accidens

re, et similia. S. Augustinus, qui secundum Porphyrium de accidente cum logice, tum ontologice spectato saepe, et subtiliter disputavit, distinctionem accidentis in *separabile*, et in *inseparabile* non semel innuit, et explicavit. Vt id, quod ad praesentem rem facit, attingamus, ipse docuit eorum, quae alicui insunt, alia esse eiusmodi, ut ab eo seiungi possint; alia autem, ut seiungi nequeant, atque ex his alia, quae essentiam eius, in quo sunt, necessario, alia vero, quae contingenter, licet inseparabiliter, consequuntur, sed, quaecumque sint, nullum accidens sine subiecto, in quo inest, esse intelligi posse [1]. S. Damascenus vero observavit accidens separabile differentiae, quae *communiter*, κοινῶς, dicitur, et accidens inseparabile differentiae *proprie*, ἰδίως, nuncupatae respondere, et, quemadmodum de differentiis communi, et propria antea dic-

---

inseparabile vocavit *coniunctum*, utpote quod semper cum suo subiecto iunctum est, et ab eo sine eius pernicie divelli non potest; separabile vero *adventum*, quia evenire potest, ut in subiecto non sit. Lubet eius versiculos exscribere:

« Coniunctum est id, quod nunquam sine perniciali
« Dissidio potis est seiungi, seque gregari
« Pondus uti saxis, calor ignibus, liquor aquai.
« Servitium contra, libertas, divitiaeque
« Paupertas, bellum, concordia, cetera, quorum
« Adventu manet incolumis natura, abituque
« Haec soliti sumus, ut par est, eventa vocare.

De rerum natura, lib. I, vv. 452-459.

[1]) « R. Esse aliquid in aliquo nos non fugit duobus modis dici. « Vno, quo ita est, ut etiam seiungi, atque alibi esse possit, ut hoc « lignum in hoc loco, ut sol in oriente. Altero autem, quo ita est « aliquid in subiecto, ut ab eo nequeat separari, ut in hoc ligno « forma, et species, quam videmus, ut in sole lux, ut in igne ca- « lor, ut in animo disciplina, et si qua sunt alia similia. An tibi « aliter videtur? A. Ista quidem vetustissima sunt nobis, et ab « ineunte adolescentia studiosissime percepta, et cognita. Quare « non possum de his interrogatus, quin ea sine ulla deliberatione « concedam. R. Quid illud nonne concedis, quod in subiecto est « inseparabiliter, si subiectum ipsum non maneat, manere non « posse? A. Hoc quoque video necessarium; nam, manente sub- « iecto, posse id, quod in subiecto est, non manere, quisquis « diligenter res advertit, intelligit. Siquidem huius corporis co-

tum est [1], per accidentia separabilia distingui, cum unum individuum ab altero, tum idem individuum a se ipso, per accidentia inseparabilia autem unum quidem individuum ab altero, sed neutiquam idem a se ipso [2].

Postquam haec omnia de accidente, quod est quintum universale, perspeximus, in promptu est varias eius definitiones, quas Porphyrius tradidit, explicare.

Omnium celeberrima, et maximis exagitata Logicorum controversiis illa est, qua accidens esse dicitur illud, « quod adest, et abest sine subiecti ipsius corruptione [3] ». Hac definitione accidens esse aliquod praedicabile speciale aperte declaratur. Namque ex eo quod potest subiecto adesse, vel ab eo abesse, quin subiectum pereat, colligitur; quemadmodum ostensum est, non solum illud esse praedicabile de multis, sed etiam a genere, specie, differentia, et proprio differre. At, non paucis Logicis negotium facessit, quod accidens illud esse dictum sit, quod a subiecto sine eius corruptione separari potest. Nam, si id Porphyrius de separatione *reali* intellexit, definitio angustior re definita est, quia accidens inseparabile a subiecto, cuius accidens est, re ipsa separari nequit. Sin de separatione *logica*, definitio latior est re definita, si

---

« lor potest vel valetudinis ratione, vel aetate immutari, cum « ipsum corpus necdum interierit. Et hoc non peraeque in omni- « bus valet, sed in his, in quibus non ut sint ipsa subiecta, ea, « quae in subiectis sunt, coexistunt. Non enim ut sit iste paries, « paries hoc colore fit, quem in eo videmus, cum etiam, si quo « casu nigrescat, aut albescat, vel aliquem alium mutet colorem, « nihilo minus tamen maneat paries, ac dicatur. At vero ignis, si « calore careat, ne ignis quidem erit, nec nivem vocare, nisi can- « didam possumus. Illud vero, quod interrogasti, quis concesse- « rit, aut cui posse fieri videatur, ut id quod in subiecto est, ma- « neat, ipso intereunte subiecto? Monstruosum enim, et a veritate « alienissimum est, ut id, quod non esset; nisi in ipso esset, « etiam cum ipsum non fuerit, possit esse »; *Solil.*, lib. II, c. XII-XIII, n. 22, et 23. Videsis s. Bonav. *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, dub. 5.

[1]) Vid. p. 258. — [2]) *Op. cit.*, c. 13.

[3]) *Op. cit.*, ibid. § 1, p. 395.

quidem subiectum non solum ab accidente inseparabili, sed etiam a proprio cogitatione separari potest, cum nihil vetet, quin, sicut corvus sine nigredine, ita homo sine risibilitate intelligatur.

Interpretes introductionis porphyrianae diversas vias iniverunt, ut ad huius dubitationis solutionem pervenirent. Scotus, cui Caietanus [1], Toletus [2], Balforeus [3], aliique adstipulati sunt, nostra quidem sententia, rem acu tetigit. Ipse enim primo, secundum Ammonium [4], Boethium [5], et non paucos veteres censuit illa verba *adesse*, et *abesse* non *re ipsa*, et *actu*, sed *cogitatione* intelligenda esse, ita ut illorum sensus sit, sive accidens subiecto adesse, sive a subiecto abesse cogitetur, salvam, incolumemque esse subiecti notionem. Re vera, quandoquidem accidens essentiam subiecti minime ingreditur, totam essentiam eius cogitatione complecti, notionemque eius nobis conficere possumus, quin ullam accidentium rationem habeamus [6]. Quin autem *adesse*, et *abesse* cogitatione accipi possint, is certe haud dubitabit, qui memoria reputaverit praedicabilia non esse notiones, quae naturas rerum repraesentant, nempe notiones primas, sed esse notiones ordinem, quem intellectus inter notiones primas ponit, repraesentantes, hoc est notiones secundas. Iam, si praedicabilia non res, quales in se ipsis sunt, sed quales intellectus illas in-

---

[1]) *Op. cit.*, c. 4, fol. 13 vers., et 14 recto, ed. cit.

[2]) *Op. cit.*, *In c. V Porphyr. de Accid.* dub. et quaest. fol. 34 et 35, ed. cit.

[3]) *Op. cit.*, In cap. *de Accid.* Q. sect. 2, et 3, p. 141-145.

[4]) In h. l. *Isagoges*, ed. cit.

[5]) *Op. cit.*, lib. IV, p. 92, Basileae 1546.

[6]) Hinc Caietanus sapienter monuit illa verba *sine subiecti corruptione* idem valere, ac quin *ratio*, seu essentia, quae notione rei continetur, destruatur. « Accidens, ait, est, quod de subiecto affirmatur, et negatur non quocumque modo: sed tali modo, sci« licet non destruendo eius rationem »; atque *ibid.*:« praeter sub« iecti corruptionem; idest absque hoc quod destruat subiecti ra« tionem »; *Op. cit.*, ibid. fol. 14 recto, col. 1.

telligit, repraesentant, sequitur nos posse notionem alicuius subiecti habere sine aliquo accidente inseparabili eius, quia hoc, etsi semper in eo sit, tamen, quoniam ad eius essentiam non pertinet, ad eius notionem efficiendam haud expostulatur [1]. Quod si notio accidentis non expostulat, ut re ipsa accidens a subiecto, cuius est accidens, seiungi queat, sed solum cogitatione, profecto prima definitio eius, quam Porphyrius tradidit, utrique accidenti, nempe separabili, et inseparabili convenit. Hinc Caietanus Averroem secutus scite dixit, quod *adest* idem valet, ac *existimatur adesse*, et *abest* idem, ac *existimatur abesse* [2].

Secundo, Scotus illud quoque inculcavit, etsi subiectum, quemadmodum sine accidente inseparabili, ita etiam sine proprio intelligi queat, tamen magnum in hac re discrimen inter proprium, et accidens inseparabile intercedere. Et sane, quoniam proprium, aeque ac accidens, ad essentiam subiecti non pertinet, licet certe nobis subiectum intelligere, nulla habita ratione proprii, non aliter ac intelligere ipsum, non considerato accidente. At vero, nos non possumus subiectum intelligere, si proprium non inesse ipsi cogitemus, puta hominem non esse risibilem, quia, cum proprium ab essentia subiecti necessario fluat, negato proprio de subiecto, notio eius tollitur. Apposite s. Bonaventura: « Quamvis « substantia possit abstrahi a quantitate, tamen quod cor- « pus vivat et sit organizatum, et non sit quantum, hoc « nec esse, nec intelligi potest [3] ». Contra ea, quandoquidem

---

[1]) Apposite s. Thomas: « Omne illud, sine quo res aliqua potest « intelligi secundum suam substantiam intellecta, habet rationem « accidentis »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 4 ad 8.

[2]) « Glossat namque Averrois sic: Accidens est, quod adest: id- « est existimatur adesse; et abest; idest existimatur abesse; idem « autem est dicere: existimari adesse, et abesse: et dicere, quod « affirmatur et negatur: quoniam affirmatio nonnisi in aestima- « tione intellectus est: et e converso aestimatio nonnisi in affir- « matione, vel negatione existit »; *Op. cit.*, fol. 13 verso, col. 2.

[3]) *In lib. IV Sent.*, Dist. X, p. I, a. 1, q. 2 *resol.*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

accidens cum subiecti essentia contingenter coniungitur, notionem subiecti non tollimus, etiamsi subiecto oppositum accidentis[1], quod seiungi ab eo nequit, inesse cogitemus, puta albedinem corvo, aut Aethiopi. Id ipsemet Porphyrius haud obscure innuit, quia post definitionem accidentis, quam in praesentia excutimus, ait: « . . . nigrum autem esse, inseparabiliter corvo, et Aethiopi « accidit. Potest tamen cogitari et corvus albus, et Aethiops, abiecto colore, sine corruptione subiecti[2] ».

E re est pauca ex multis, quae Scotus subtiliter disseruit, extant, exscribere. « Proprium est praedicatum, « non essentiale, conversim. Et ideo sub eius opposito « non potest intelligi illud, cuius est, sine repugnantia, « quia intelligeretur immediata per se causa et necessaria sub opposito sui effectus primi, sed *accidens est, quod adest, vel abest, vel quod contingit eidem inesse, et non inesse*, ut dicitur *I Topic.* c. *de accidente*, id est sub quo, et eius opposito potest intelligi « illud, cuius est, sine repugnantia, quod dicit Porphyrius de accidente inseparabili, de quo minus videtur, « quomodo abest, vel adest, quia subiectum potest intelligi sub opposito, dicens: *potest enim corvus intelligi albus, et Aethiops nitens candore*[2] ». Et rursus: « . . . dicitur, quod accidens abest secundum intellectum « per positionem sui oppositi, praeter subiecti corruptionem: non sic proprium; id est accidens est praedicatum non essentiale subiecto, sub cuius opposito « potest subiectum intelligi complete, sine repugnantia « intellectum: non sic proprium abest[3] ».

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., § 2, p. 395. Ex his intelligere potes, quid differentia propria a proprio differat (vid. p. 255 et 256), Scilicet, proprium, cum ex cunctis, et adaequatis principiis subiecti emanet, eiusmodi est, ut subiectum cum opposito eius intelligi nequeat, differentia proprie autem, utpote quae in accidente inseparabili communi consistit, aliquid denotat, cum cuius opposito subiectum intelligi potest.

[2]) *Op. cit.*, q. II, XXXIII, ad quaest. n. 2.

[3]) *Op. cit.*, q. XXXV, n. 3 ad cont., cf ibid. 6 et 7.

Alia difficultas, qua definitio porphyriana laborare videtur, praetermittenda non est, quippe quod Flaccus Illyricus lutheranus illam ad doctrinam catholicam de peccato originali temerandam valde inculcavit. Nimirum fuere inter veteres, qui primam definitionem porphyrianam culparunt, cum sint quaedam accidentia, puta morbi lethales, aliaque id genus, quae subiectum corrumpunt [1]. Illyricus, definitione porphyriana retenta, argumentatus est peccatum originale non esse dicendum accidens, sed substantiam, propterea quod ipsum, cum mors animae in Sacris Litteris dicatur, non inest animae, aut abest ab anima, quin ipsa corrumpatur, sed, cum animae adest, ipsam corrumpit. Tilmannus Heshusius, aliique ex eadem secta lutherana, opinioni veterum, quos commemoravimus, adhaerentes, definitionem porphyrianam, iamdiu in scholis tritam, reiecerunt, quia, hac retenta, impium, ridiculumque Illyrici errorem haud posse confutari putarunt.

At vero, Bellarminus, fortissimus ille Protestantium malleus, contendit primam definitionem accidentis, quam Porphyrius tradidit, non esse, uti Tilm. Heshusius, aliique voluere, vitiosam, atque hanc, secus ac Illyricus sensit, admitti posse, quin peccatum originale esse accidens negetur. Ipse, postquam adnotavit mortem, quam peccatum originale animae adfert, non esse substantialem, et proprie dictam, sed accidentariam, et metaphoricam, quia per ipsum essentia animae non perit, subdit, etiamsi peccatum originale vitam animae substantialiter tolleret, nihilominus ipsum fore dicendum accidens, non vero substantiam, nec definitionem Porphyrii reprehendendam. Etenim Porphyrius, cum voluit accidens esse id, quod sive subiecto adsit, sive ab eo absit, ipsum non corrumpit, non id sibi voluit, non esse aliqua accidentia, quae subiectum ad corruptionem disponunt, sed non posse dari ullum accidens, quod praesentia, vel

[1]) Vid. Alb. M., *Op. cit.*, tract. VII, c. 3.

absentia sui essentiam subiecti corrumpat, sive, ut Scholae verbis utamur, non posse dari accidens, quod *formaliter*, non vero non posse dari accidens, quod *dispositive* [1] subiectum corrupit. Re vera, febris pestilens corpus, quod afficit, corrumpit, sed tantum abest, ut corpori, quod interimit, repugnet, ut ipsa sine corpore, quod corrumpit, esse nequeat, nec tamquam corruptrix corporis intelligi possit, nisi in corpore esse intelligatur. Hinc s. Thomas acute animadvertit accidentia, quae subiectum corrumpunt, non ipsi subiecto, sed principiis, quae eius essentiam constituunt, repugnare [2]. Praetermissis iis, quae Albertus M. contra veteres breviter asseruit [3], lubet exscribere verba Bellarmini: « Quod enim Porphyrius dicit de « subiecti destructione, non intelligitur efficienter, sed « formaliter. Neque enim significare voluit non esse ac- « cidentia qualitates illas, aut actiones, quae subiectum « efficienter corrumpunt, ut febres pestilentes, ustionem, « sectionem, et alia id genus; sed res illas non esse ac- « cidentia, quarum praesentia, vel absentia facit, ut sub- « iectum essentiam non retineat suam. Si corvo addis « candorem, adhuc corvus essentiam retinet, si addas « animam rationalem, iam non erit amplius corvus; « igitur candor corvo esset accidens, anima rationa- « lis substantia. Contra vero, si tollas a corvo ni- « gredinem, adhuc erit corvus, si tollas animam sen- « tientem, non erit corvus: igitur nigredo corvo est « accidens, anima sentiens est substantia. Qualitates au-

---

[1]) « . . . accidens, s. Thomas ait, non corrumpit subiectum effe- « ctive, sed dispositive »; *Quodlib.* X, a. 3 ad 2.

[2]) « Sunt quaedam accidentia per violentiam inducta, sicut ca- « lor in aqua, et ista sunt repugnantia principiis subiecti »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. I, a. 2 ad 2. Idem ex hac descriptione accidentis, quam sanctus Doctor tradidit, perspicitur: « . . . Ac- « cidens describitur quod potest adesse, vel abesse praeter cor- « ruptionem subiecti compositi ex materia et forma. Si autem « referatur ad principia compositi subiecti, verum non inveni- « tur »; *Cont. Gent.*, lib. II, c. 81. — [3]) *Op. cit.*, ibid.

« tem, quae efficienter [1] subiectum corrumpunt, tantum abest, ut eidem formaliter repugnent, ut nisi in ipso esse non possint: et idcirco, illo destructo, ipsas quoque interire necesse sit. Quare iuxta Porphyrii definitionem, peccatum non est substantia, sed accidens, quia ipso et manente per reatum, et maculam, et sublato per iustificationem, adhuc subiectum, id est anima suam essentiam retinet; et si (quod naturaliter fieri nequit) animae substantia interiret, ipsum peccatum, quod in anima sedem habebat, sine dubio interiret [2] ».

Altera definitio accidentis, quam Porphyrius secundum Aristotelem [3] tradidit, haec est: « Accidens est, quod contingit eidem inesse, et non inesse [4] ». Haec, uti Albertus M. advertit, primae definitionis causam exponit, quia aliquid alicui subiecto adesse, aut ab eo abesse, incolumi eodem subiecto, potest, quia ei inesse, aut non inesse contingit. Enimvero, quoniam accidentis est in aliquo inhaerere, seu inesse [5], profecto non aliter dici potest accidens adesse subiecto, quam quod ei inhaeret, nec aliter dici potest a subiecto abesse, quam

---

[1]) Strictius, et proprius s. Thomas locutus est, quod dixit, uti vidimus, accidens non efficienter, sed *dispositive* subiectum corrumpere. Nam subiectum, quemadmodum alias ostendemus, corrumpitur, cum *transmutatur*, hoc est, cum propriam formam substantialem amittit, novamque adquirit; ast « impossibile est, « monente s. Bonaventura, accidens transmutare subiectum » (*In lib. IV Sent.*, Dist. XII, part. I, a. 1, q. 3 resol.); quia accidens novam formam substantialem in subiectum minime inducit. Reliquum igitur est, ut accidens non aliter subiectum corrumpat, quam quod ipsum ad *transmutationem*, hoc est ad novam formam in se recipiendam disponat.

[2]) *De amissione gratiae, et statu peccati*, lib. V, c. 3 ad Obiect. sext.

[3]) *Top.*, lib. I, c. 5, vol. II, p. 83 ed. Waitz.

[4]) *Op. cit.*, ibid., § 3, p. 393, et 394.

[5]) « Esse, s. Bonaventura inquit, dicit actum entis absolute, « sed inesse actum esse accidentis »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, p. 1, a. 1, q. I *ad arg.*

quod ei non inhaeret[1]. Hinc s. Bonaventura monuit verbum adesse intelligendum esse *per inhaerentiam*. « Ad illud, ait, quod dicitur, quod absunt praeter corruptionem dicendum, quod ista diffinitio est accidentis secundum quod adesse est per inhaerentiam[2] », ob idque alibi dixit, quod « Accidens dicit modum adhaerendi[3] ». Verbum *contingit* autem causam significat, ob quam subiectum non corrumpitur, sive accidens, quo carebat, adquirat, sive accidens, quod ei inerat, amittat. Namque ratio, quare subiectum non corrumpitur, in eo posita est, quod causa, ob quam accidens adest, et causa, ob quam abest, ad essentiam subiecti non pertinent, ob idque contingentes, non vero necessariae sunt. Operae pretium est audire Albertum M. « Sic enim, ait, « intelligitur quod dicunt, quod contingit eidem inesse, et non inesse, ut contingens sit ad utrumque. « Contingit enim inesse, quod non habet suae inhaerentiae causam essentialem: et contingit eidem non « inesse, quod non habet essentialem causam, quae impediat quod non insit... principia enim, quae in subiecto accipiuntur, et sunt accidentis inhaerentis principia, contingentia, et non essentialia sunt principia: « et ideo quicquid ex talibus principiis contingit inesse, « contingit etiam non inesse, mutatis principiis[4] ».

Perspicuum porro est accidens secunda definitione etiam a quatuor reliquis universalibus distingui. Etenim quatuor prima praedicabilia secundum causam necessariam subiecto inesse dicuntur, sive haec causa sit aliquid, quod ad essentiam subiecti spectet, sive sit aliquid, quod essentiam subiecti concomitetur. « Solum autem accidens, idem Albertus ait, per contingentem

---

[1]) Albert. M., *Op. cit.*, ibid. c. 3. Hoc ipsum s. Bonaventura significavit his verbis: « Accidens dicitur quod inest subiecto, ab « illo trahit originem, et propterea potest adesse, et abesse »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. 1, dub. 7.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, a. 1, q. 2 *ad arg.*

[3]) *In lib. III Sent.*, Dist. VI, a. 1, q. 3 *ad arg.*—[4]) *Op. cit.*, ibid.

« causam dicitur inesse, et per contingentem causam « dicitur non inesse [1] ».

Porphyrius tertiam definitionem, eodem Stagirita duce [2], proposuit, quae ita se habet: « Quod neque ge- « nus est, neque differentia, nec species, nec proprium, « semper autem in (aliquo) subiecto inest [3] ». In hac definitione explicanda non immorabimur, quia ipsa, ut patet, per negationem reliquorum universalium effecta est. Duo tantummodo adnotanda esse censemus, scilicet 1° ipsam, etsi negativa sit, tamen non esse vitiosam, quippe quod, cum accidens sit quintum, et postremum universale, per ceterorum negationem ab eo definiri potuit; 2° ipsam esse ceteris inferiorem, quia « necesse « est, aiente Aristotele, si quis est eam intellecturus, « ut prius cognoscat, quid sit definitio, et genus, et « proprium [4] », cum reliquae duae quid sit accidens per se declarent.

ARTICVLVS SEPTIMVS

Nonnulla ad categoriarum intelligentiam necessaria exponuntur

Hactenus de praedicabilibus. Ad categoriarum, seu praedicamentorum tractationem in praesentia accedamus oportet.

Atque in primis, quinam Philosophi de categoriis data opera disseruerint, unde nomen categoriae originem traxerit, et quonam modo categoriae in logica considerandae sint, breviter exponamus necesse est. Non defuere, qui Iamblichi, Simplicii, et Dexippi auctoritate permoti Archytam pythagoricum fuisse primum inventorem categoriarum, et Stagiritam universam suam de categoriis doctrinam ab eo mutuatum fuisse scriberent [5]. Ast, haec

[1]) *Ibid.* —[2]) *Op. cit.*, ibid. —[3]) *Op. cit.*, ibid. p. 396.
[4]) *Op. cit.*, ibid.
[5]) Apud Boeth. in *Praedicamenta Aristotelis*, lib. I, Prooem. p. 114.

opinio a Themistio, Boethio, et aliis antiquis reiecta, atque ab Eruditis sacc. XV, in primisque a Laurentio Valla [1], iniquo aristotelicae philosophiae censore, explosa, nullum inter recentes, nuperosque fautorem nacta est, cum omnes opus Archytae de categoriis pro spurio concorditer habeant [2]. Quamobrem rei exploratae, atque extra omnem controversiam positae loco habendum est Aristotelem inter graecos, omnium principem, categorias recensuisse, et explicasse in eo libro, quem primi operum eius collectores, et interpretes ad caput *Organi* collocarunt, et Κατηγοριαι inscripserunt [3]. Post Aristotelem, si Stoicos, qui quamdam reductionem categoriarum aggressi sunt [4], et Plotinum, qui quaedam dubia de Aristotelis, et Stoicorum categoriis exposuit [5], nihil penes graecos de hoc logicae capite occurrit, quod commemoratu dignum sit. Inter Indos, missis Gotàma, sectisque Djinae, et Boudhae, multa de categoriis, licet subobscure, et sine certo ordine Kanada disseruit [6]. Illud inter eruditos non con-

---

[1]) « Quare, ipse ait, non Archytam, sed Aristotelem praedica- « mentorum esse inventorem confitendum est »; *Dialect.*, lib. I, c. 13, p. 646, Basileae 1540.

[2]) Praeter ea, quae Saint-Hilaire (*De la logiq. d'Arist.*, part. 3, sect. III, c. 6, vol. II, p. 156, et 157, et Append. p. 537-539) breviter innuit, legesis Egger, *De Archytae Tarentini vita, operibus et philosophia*, Paris 1833.

[3]) De vero titulo huius operis lis inter antiquos interpretes Organi fuit, eaque adhuc sub iudice est. Probabilior titulus est, quem amplexi sumus, cum ipsum, praeterquam quod ex locis Simplicii, Boethii, et Davidis colligitur, idem Davides aperte laudavit (vid. *Scholl. coll.* Brandis, p. 18, ed. cit.). Legere e re erit Krugium, *Prolusio De Categoriis*, p. 4, Lipsiae 1809, et Brandisium, *Commentatio De Organo* (germ.), p. 266 sqq, inter *Commentt. Acad. Berolinensis*, Berol. 1833.

[4]) Cf Simplic., *Op. cit.*, fol. 17 ed. cit., ubi categorias aristotelicas cum stoicis contulit, et Plotinum, *Enn.* VI, lib. I, c. 25, ed. Creuzer, et Moser, t. I, p. 1083, Oxonii 1835. Videsis Christ. Petersen, *Philosophiae Chrysippeae fundamenta*, part. I, c. I, p. 36-43, Hamburgi 1827.

[5]) *Enn.* VI, lib. I, II, et III, t. I, p. 1044-1177 ed. cit.

[6]) Kanadae, Gotamae, aliorumque Indorum de hac re placita

venit, utrum Kanada Aristoteli, an Aristoteles Kanadae aetate praecesserit, et num alteruter alterum exscripserit, quia de vera aetate philosophiae apud Indos nihil certi adhuc nobis praesto est [1].

Arabes, et Philosophi Christiani mediae aetatis in eo adlaborarunt, ut librum Stagiritae de categoriis interpretarentur, et controversias, quae ex diversis eius interpretationibus exurgebant, exagitarent. Post instaurationem litterarum ii Philosophi et eruditi, qui Aristotelicae philosophiae bellum indixere, vel quaedam in categorias Aristotelis animdverterunt, vel illas ad pauciores reducere studuerunt. At ✟ Cartesio, qui recentis philosophiae parens habetur, usque ad Kantium controversia de categoriis a Philosophis ex industria tractata haud fuit: quocirca, quid ipsi de hac re senserint, ex eorum pronuntiatis idealogicis, uti alibi dicemus, perspici potest. At Kantius, uti mox videbimus, tractationem de categoriis exsuscitavit, eamque politiores nuperi Philosophi usque ad Rosminium, et Giobertium copiose persecuti sunt.

Quod ad originem vocis attinet, non pauci opinati sunt verbum κατηγορεῖν, a quo nomen categoriae derivatum est, proprie idem valere, ac *accusare*, et translate idem, ac *enunciare*, vel *praedicare*, quia, qui alterum accusat, aliquid de eo praedicat. Verum, Gher. Vossius, cui post Iacob. Facciolati [2], aliosque Trendeleburgius [3] adstipulatus est, scite observavit verbum κατηγορεῖν utrumque primo, et proprie significare, quia praeposito κατὰ et *de* et *contra* valet. Iuvat afferre verba Vossii: « Nam pri-
« mario aiunt significare accusationem. At secundario,
« praedicationem: nempe quia qui alterum accusat, ali-

---

videre licet apud Colebrooke, *Essais sur la philosophie des Hindous*, trad. par G. Pauthier, passim, Paris 1836.

[1]) Cons. Ritter, *Histoire de la phil. ancien.*, trad. Tissot, lib. II, c. 2, t. I, p. 53 sqq, Paris 1835.

[2]) *Inst. Log. perip.*, part. 2, c. 1, p. 50, not. 2, Venetiis 1772.

[3]) *Elem.* etc., § 3, p. 53 et 54 ed. cit.

« quid de eo praedicat. Sed plane hi errant: nec atten-
« dunt diversas hasce significationes esse a diverso usu
« particulae κατὰ, quae nunc denotat *de*, nunc *contra*.
« A priori usu est, quod κατηγορεῖν notet aliquid de a-
« liquo dicere, sive praedicare. Ab altero est, quod si-
« gnet aliquid contra aliquem dicere, sive alterum accu-
« sare [1] ». Iam, tum κατηγορεῖν, tum κατηγορία, et κατηγόρημα, quae inde derivantur, apud Aristotelem vim praedicandi habere quamplurimis eius operum locis, quae brevitatis gratia omittimus, nuperi eruditi comprobarunt [2]. Vnde iure Trendeleburgius scripsit: « Etenim κατηγορεῖν, mis-
« sa accusandi potestate, apud Aristotelem generalem
« referendi, et enunciandi vim tenet, atque, quae inest,
« praepositio κατὰ non *contra*, sed *de* valet. Ita factum
« est, ut κατηγορία a Boethio *praedicamentum* verteretur.
« Neque aliter ab Aristotele τὰ κατηγορήματα [3] ». Hinc propriam, non vero translatam vim graecae vocis Boethius expressit, cum κατηγορίαν *praedicamentum* vertit [4]. Quintilianus vero non vocis, sed notionis vim prae oculis habens categorias *elementa* vocavit. « Aristoteles,
« ipse ait, elementa decem constituit, circa quae ver-
« sari debet omnis quaestio [5] ». « Haec Quintilianus, subdit
« Laur. Valla, qui ideo vocavit elementa, quod sensus
« caeterorum vocabulorum ad ista, tanquam elementa,
« et principia referantur: ob eamque rem dicuntur ge-
« nera, quod ex his caetera significata gignuntur: quo-
« rum nullum est alio superius, aut alteri genus: sed

---

[1]) *Op. cit.*, lib. IV, *Log.* c. 10, § 1, p. 221.

[2]) De discrimine, quod Stagirita inter categoriam, et categorema statuit, legendus est Simplicius (*Prol. ad categ.*, fol. 3, Basil. 1551). Nos illud, ducibus Scholae Doctoribus, ante statuimus. Hic omittendum non est Stagiritam non semper categoriam a categoremate distinxisse, eamdemque vocem categoriae non eodem sensu ubique usurpasse: qua de re videre licet Theod. Waitz, *Comm. in Organ.* vol. I, p. 267, et 268, ed. cit.

[3]) *Op. cit.*, ibid.

[4]) *Op. cit.*, Prooem.

[5]) *Instit. Orat.*, lib. III, c. 6.

« ipsa sunt genera principalia, et, si sic dicere licet, « principalissima [1] ».

Vt vero, quomodo categoriae hic considerandae nobis sint, patescat, illam litem, quae inter Philosophos nullo non tempore exarsit, dirimamus oportet, scilicet utrum categoriae sint voces, an conceptus, an res. Ne, more anadabatarum, quod aiunt, pugnemus, sciendum est Philosophos, quemadmodum inter fere cunctos historiae Philosophiae scriptores convenit, neutiquam in dubitationem adduxisse, quin cuilibet voci aliquis conceptus, et cuilibet voci, et conceptui aliqua res respondeat [2], sed tantum disputasse, utrum categoriae proprie sint voces, quae ordinem, quem intellectus inter notiones rerum ponit, designant, an naturas, licet ab intellectu apprehensas, puta *hominis*, aliasque id genus repraesentent, an denique sint notiones quaedam communes, ad quas intellectus cunctas conceptiones rerum revocat, et quibus illas intelligit, puta *substantiae* et *accidentis*.

Haec quaestio primum ab Aristoteleis exagitata fuit. Qui, prout Aristotelem diverse interpretati sunt, diversam sententiam defenderunt. Nonnulli cum Alexandro, et Eustachio pugnarunt Stagiritam categoriis non aliud, quam quasdam voces intellexisse, quia de rebus non res, aut notiones, sed voces praedicari putabant; alii, secundum Porphyrium, res, quia nec voces, nec notiones, sed res, quatenus per notiones interius, et per voces exterius significantur, re ipsa praedicantur, alii

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. p. 646.

[2]) Rosminius (*Aristotele esposto ed esaminato*, Pref. § 12, not. 3, p. 21, Torino 1858) questus est Cousinium (*Ouvrages inèdits d'Abaïlard*, Introd. p. CLXXXI, Paris 1836), eiusque discipulum Bouchittè (*Diction. des scienc. phil.*, art. *Conceptualisme*, vol. II, p. 542, et 543, Paris 1844) in ea sententia versatos fuisse, quod Roscellinus, Nominalistarum mediae aetatis princeps, vocibus aliquos conceptus respondere non negavit. At quanta iniuria illos, cum quibus alii permulti nuperi consentiunt, redarguerit, alias videbimus.

denique, duce Hermino, notiones, quia, cum hae inter res, quas significant, et voces, quibus significantur, interiaceant, non modo sui, sed etiam rerum, et vocum vim continent. David Armenus, qui horum opiniones enarravit, categorias esse dixit voces simplices, quae per simplices intellectiones res simplices significant [1].

Missis Arabibus, quorum alius in aliam ex tribus sententiis concessit, Albertus M., s. Thomas, Scotus aliique Davidis Armeni sententiam amplexati sunt [2]. Re vera, categoriae, illorum iudicio, sunt voces simplices, quae notiones simplices, et res simplices significant, sed qua sunt res, sive suprema genera rerum, pertinent ad metaphysicam, qua autem notiones sunt, ad logicam, et qua sunt voces, per se ad grammaticam, per accidens vero ad logicam. Excipiendi sunt Nominales qui, duce Ockamo, cum nullum conceptum universalem agnoscerent, categorias aiebant aliud non esse, quam quasdam voces, quae ordinem inter conceptus rerum singularium denotant [3].

A Scholasticis ad Kantium progrediamur; philosophi enim recentes, qui ante Kantii aetatem floruerunt, uti diximus, hanc controversiam data opera haud tractarunt. Itaque, Kantius, qui primus recentium mentes Philosopho-

---

[1]) Εἰς τας κατηγοριας, *Proleg.*, c. 2 (inter *Scholia* etc. p. 19, ed. cit.). Fragmentum, quod huc spectat, gallice translatum edidit Barth. de Saint-Hilaire ad calcem t. I sui operis, *La logique d'Arist.* etc. (p. 523-530, Paris 1838). Jamblichus, ut in hoc eodem fragmento videre licet, censuit hosce Philosophos verbo, non re discrepasse, propterea quod ii, qui aiebant categorias esse voces, vocibus res, et notiones designari non negabant, qui vero res, concedebant res per notiones in animo repraesentari, et per voces significari; qui denique notiones, notiones ad res referri, et vocibus manifestari non abnuebant. At, Jamblichi pace, quaestio non in eo versabatur, utrum, necne categoriae haec tria essent, sed ex quonam horum trium categoriae efficiantur.

[2]) Horum loca in hac tractatione passim afferemus.

[3]) Vid. Gabr. Biel, *In lib. I Sent.*, Dist. II, q. VII, et VIII, t. I, p. 82 sqq, ed. cit.

rum ad categoriarum tractationem revocavit, categorias docuit esse formas subiectivas, quibus *ratio pura* ad triplex genus idearum, nempe *Dei*, *mundi*, et *animae* assurgit, quibusque intellectus mundum phaenomenicum, sive sensilem sibi construit, cum mundus noumenicus, sive realis nos prorsus lateat [1]. Herbartius eamdem fere, ac Kantius, sententiam propugnavit [2]. Sciendum porro est Kantium sententiam suam Aristoteli acceptam retulisse, eumque tantummodo culpasse, quod categorias suas ab unico principio non derivavit, sed, prout occasio ipsi oblata fuit, recensuit [3]. Tennemannus [4], et Ritterus [5], in historia philosophiae in primis periti, non negarunt Aristotelem categorias ab unico principio derivasse, sed ei obiecerunt, quod, cum illud principium esse abstractum effatum contradictionis putasset, categorias omni realitate obiectiva expoliavit. Contra ea, Trendelenburgius [6], cui Bonitzius [7], Rassovius [8], et Bonghius [9], pollicem presserunt, horum opinionem reiecit, quia putavit Stagiritam ipsum effatum contradictionis a naturae contemplatione efformasse, et categorias ex grammaticis orationis modis invenisse, quamvis inventas ita pertractaverit, ut, grammatica earum origine relicta, ipsas notiones, et rerum naturas spectaret. Notandum hic est Kantium, cum Aristotelem categorias ab observatione rei singularis immediate haud derivasse asseruit, Baconi adhaesisse; hic enim graecum Philosophum redarguit,

---

[1]) *Critique de la raison pure* (germ.), *Log. transc.*, lib. I, sect. 3, § 10, vol. I, p. 137-144, ed. cit.

[2]) *Introd. ad phil.* (germ.), § 391, ed. 3, Konisb. 1834.

[3]) *Op. cit.*, ibid. p. 142.

[4]) *Hist. phil.* (germ.), vol. III, p. 54, Lipsiae 1801.

[5]) *Hist. de la phil. ancien.*, lib. IX, c. 3, t. III, p. 63 sqq, ed. cit.

[6]) *Elem. log.*, § 3, p. 56, ed. cit., et § 63, p. 143, not. 1. Vid. eiusdem *Prolusio acad. De categoriis*, Berolini 1833, et *Hist. categoriarum* (germ.), Berol. 1846.

[7]) *Aristotelis Metaphysica*, p. 185, Bonnae 1849.

[8]) *Op. cit.*, part. 2, c. 1, p. 49, et 50.

[9]) *Metafisica di Aristotele volgarizzata e commentata*, lib. IV, c. 3, § 5, not. 2, p. 165, Torino 1854.

quod, quemadmodum syllogismo scientiam, ita categoriis mundum fabricandum susceperit [1].

Tennemannus [2] vero, Hamiltonus [3], aliique cum Laurentio Valla [4], aliter ac Kantius, contenderunt categorias non aliud esse, quam suprema rerum principia; unde ipsis in una metaphysica, eorum sententia, locus dandus est.

Heghelius vero edixit categorias esse simul res, et ideas, sive res-ideas, propterea quod ipsae non aliud sunt, quam diversae determinationes Ideae-Entis, et, quandoquidem nihil est praeter Ideam-Ens, eiusque determinationes, universam logicam, quam a metaphysica non distinguebat, in unica tractatione categoriarum consistere contendit [5].

Saint-Hilaireus autem sententiam, quam ipse Stagiritae tribuit, propugnans, tenet categorias non esse aliud, quam voces quasdam communes, quae suprema genera rerum, sive suprema praedicata significant, ipsasque diversos modos prae se ferre, secundum quos intellectus res considerat, non quatenus ad ipsum spectant, sed quatenus in se sunt. Quocirca contra recentes invehitur, qui categoriarum tractationem a logica exterminatam volunt, pugnatque, si de illis, prout res sunt, in metaphysica, certe, prout sunt voces, in Logica disputandum esse [6]. E contrario, Car. Remusatius contendit Stagiritam, etsi voces supremas sermonis explicare videatur, re ipsa notionum recensionem instituisse, et de illarum vi obiecti-

---

[1]) « Huius autem philosophiae (naturalis) iam consensu Princi-
« pem *Aristotelem*, intacta fere, ac illibata Natura, in communi-
« bus notionibus, atque earum inter se comparatione, collisione,
« et reductione versatum esse. Neque sane quidquam solidi ab eo
« sperari, qui mundum Categoriis fabricaverit »; *Cogitata et Visa; Opp.* vol. III, p. 18, Amstelaedami 1685.

[2]) *Op. cit.* ibid.—[3]) *Op. cit.*, art. *Logiq.* p. 218, ed. cit.

[4]) *Dialect.*, lib. I, c. 1, p. 645, et 646.

[5]) *Encyclop.*, § 86 sqq, Addit. ed. cit.

[6]) *Logique d'Arist.* trad. etc., Prèf. t. I, p. LXXI sqq, Paris 1844.

va in metaphysica tractasse ; quapropter categorias voces, conceptiones , et res esse secundum Stagiritam sentit [1].

Giobertius cum Heghelio consensit categorias esse res, et notiones, sed eum deceptum esse dixit, quod illas ab actu creativo disiunxit in principio pantheistico, scilicet in confusione *idealis*, et *realis* fundavit. Iamvero, categoriae, eius iudicio, sunt res, quia revera Deus, qui est suprema categoria, sive *protocategoria*, categorias secundas quae circa res contingentes versantur, in se complectitur, easque ex se educit non per sui ipsius evolutionem, uti Heghelio visum est, sed per actum creationis. Sunt vero notiones, quia mens nostra, ex eo quod Deum creantem mundum perenniter intuetur, Deum, tamquam categoriam supremam, et res ab Eo creatas, tamquam categorias secundas, cognoscit [2]. Hinc intuitionem Dei creantis mundum, qua omnes categorias cognoscimus , esse universae scientiae principium, et fundamentum docuit [3].

Rosminius categorias in *ontologicas* , *dialecticas* , et *idealogicas* divisit, et Aristotelem, eiusque sive interpretes, sive adversarios reprehendit, quod alias ab aliis haud distinxerunt. Omissis ontologicis, quas, uti alibi videbimus, ad tres formas entis , nempe *realitatem* , *idealitatem*, et *moralitatem* revocavit, tenuit dialecticas esse diversas relationes identitatis , quas praedicatum ad subiectum habet, et idealogicas esse diversas relationes, quae inter categorias dialecticas secundum ambitum, aut complexum intercedunt , hasque esse , quas Logici post Porphyrium praedicabilia, sive universalia dicunt. Iam , quisquis facile videt categorias dialecticas Rosminii , de quibus hic agimus, non esse res, sed notiones, quia attributum, quatenus attributum est, opus est rationis, ne-

---

[1]) *Essais de phil.*, Ess. IV, t. I, p, 366, 367, Paris 1842.

[2]) *Protologia*, Saggio I, n. 5, *Del pensiero*, t. I, p. 247 sqq, Torino 1857.

[3]) *Ibid.*, Saggio III, *Dialettica*, t. II, p. 664, ed. cit.

que hisce notionibus categorias reales, sive metaphysicas in rerum natura respondere [1].

Pro notionibus denique categorias habere videntur Cousinius [2], eiusque sectatores, quippe qui, Andronicum Rhodium, Syllae, et Ciceroni aequalem, secuti [3], tenent mentem nostram quidquid de rebus intelligit, sub ratione vel absoluti vel relativi intelligere, itemque Renouvierius [4], qui omnes categorias in relatione consistere posuit.

Iamvero, quin categoriae ad res quodam modo referantur, sive, ut Scholae aiunt, res quodam respectu sint, ii dumtaxat dubitare possunt, qui cum Kantio, et Herbartio putant intellectum ope categoriarum non cognoscere universitatem rerum, qualis in se est, sed qualem ipse per categorias sibi insitas construit. Etenim, quum categoriae hoc modo acceptae nullo pacto a rebus pendeant, sed dumtaxat illarum naturas prae se ferant secundum modum, quo intellectus illas, prout natura eius fert, concipit, certe nonnisi notiones purae, et subiectivae sunt. At, reliqui philosophi, quibus persuasum est cognitionem nostram non esse merum opus mentis nostrae, sed a rebus extra mentem positis pendere, fateri coguntur categorias ad res extra nos positas quodammodo referri, propterea quod, si ipsae ad res, quae extra mentem humanam sunt, quodammodo non referrentur, naturas rerum, illarum ope, cognoscere haud possibile foret. Scite igitur s. Thomas docuit ens, quod per decem categorias dividitur, distingui ab ente rationis ex eo quod huic nihil in rerum natura, illi semper aliquid respondet. « In nullo praedicamen- « to, scribit, ponitur aliquid, nisi res extra animam e-

---

[1]) *Logica*, lib. II, sez. I, c. 9-12, p. 116-122, Napoli 1857.

[2]) *Fragmens phil.*, Prèf. de la prem. èd., *Oeuvr.*, t. II, p. 32, et 33, Bruxelles 1841.

[3]) Vid. Simplic., *Op. cit.*, fol. 6, et 15, ed. cit.

[4]) *Essais de critique générale*, part. 3, § XXVI, p. 98, Paris 1854.

« xistens. Nam ens rationis dividitur contra ens divi-
« sum per decem praedicamenta, ut patet in V Metaph. [1] ».
Atque alibi asseruit categorias, etsi non in rebus, sed in anima sint, tamen esse in rebus aliquid, quod eis respondet. « In omnibus intentionibus, inquit, hoc
« communiter verum est, quod intentiones ipsae non
« sunt in rebus, sed in anima tantum, sed habent a-
« liquid in re respondens, scilicet naturam, cui intel-
« lectus huiusmodi intentiones attribuit [2] ». Idem Doctor hanc doctrinam subtilius evolvens animadvertit categorias medium locum habere inter notiones, quae *esse completum* extra mentem habent, puta *homo*, vel *lapis*, et notiones, quae nihil extra mentem habent, puta *chimaera*, quippe quod ipsae *esse* quidem extra animam habent, sed *incompletum*, puta substantia, aut qualitas [3]. Iam, si categoriae sunt quaedam supremae notiones, ad quas cunctae notiones rerum revocantur, oportet ipsas esse consentaneas, quibusdam modis, secundum quos res in natura sunt.

At vero, si dubitandum non est, quin categoriae sub aliquo respectu res sint, ne dubitare quidem licet, quin ipsae, quatenus res sunt, ad metaphysicam, non vero ad logicam pertineant. Nam logica, uti saepe diximus, non investigat diversas affectiones, et relationes entis, ob idque circa conceptus, qui illas exhibent, non versatur, id enim proprium metaphysicae est opus, sed diversos expendit modos, quibus res, earumque affectiones intelliguntur, simulque voces, quae illas significant, exponit, ut intellectus ex iis, quae de rebus novit, ad ignota detegenda progrediatur. Enimvero, categoriae in logica tractantur ex ea parte, qua ordinem inter conceptus rerum ponunt. Iam, ordo, quem intellectus inter

---

[1]) *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 9 c.
[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1 ad 3.
[3]) *Ibid.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 c.; cf *In lib. II*, Dist. XXXIV, q. I, a. 1 c., et *In lib. IV*, Dist. I, q. I, a. 4 *sol.* 2 ad 1. Sed de hac doctrina s. Thomae plura alias.

conceptus suos ponit, ut Albertus M. ait, proprie non est in natura, in hac enim dumtaxat sunt res, inter quas ordo est, sed ponitur ab intellectu, qui res ordine contentas complectitur [1]. Categoriae igitur sunt et notiones, et res; sed, prout res sunt, ad metaphysicam, non vero ad Logicam pertinent [2]. Locis s. Bonaventurae, et s. Thomae, quae ante attulimus, addere lubet hunc alterum Scoti : « Praedicamenta, dupliciter possunt considerari. « Vno modo, in quantum sunt entia. Alio modo, in « quantum considerantur a ratione, sive aliqua pro- « prietas ab intellectu causata eis attribuitur. Primo « modo de eis considerat Metaphysicus, subiectum enim « eius est ens in quantum est : Secundo modo hic de « eis consideratur [3] ».

Itaque metaphysica, uti Albertus M. scribit, categorias tractat « secundum rem, et secundum quod sunt naturae « quaedam, et partes entis », sive, ut infra subdit, « prout « sunt partes entis, et principia diversitatis rerum »; logica autem « secundum quod sunt aliquid praedica- « bile vel ordinabile in genere secundum hunc, vel il- « lum modum praedicandi, vel subiiciendi [4] ». Quod ut planius fiat, advertendum est cum s. Thoma, categorias in cunctis locis logicae, in quibus tractantur, tamquam notiones considerari. Etenim in primis exponuntur uti suprema genera praedicationis ; dein, uti partes iudicii; denique, uti ordinis syllogistici effectrices [5]. Atqui, quemadmodum in *Prolegomenis* dictum est, praedicatio, quae essentiam categoriae constituit, necnon compositio, et collectio opus rationis sunt. Categoriae igitur in universa logica notiones sunt.

Ex his perspicis primo falli Giobertium, et cum eo ceteros omnes, qui, etsi sentiant categorias esse res, et

---

[1]) Vid. p. 168.—[2]) Cf ea quae diximus p. 212, et 213.
[3]) *In lib. Praedicament.*, q. 2, ad quaest.
[4]) *Praedicam.* lib. II, tract. I, c. 1.
[5]) Vid. locum ex *I Poster. Analit.* lect. I, quem adduximus pp. 207, et 208.

notiones, tamen illas sub unica tractatione comprehendunt. Id sane Heghelio dandum est. Hic enim, cum Ens, et Ideam unum esse putasset, consequenter in categoriis, quas Entis-Ideae determinationes esse censuit, duplicem respectum discernere haud potuit, ob idque illas, eo ipso quod sunt notiones, esse res, et eo ipso, quod sunt res, esse notiones docuit; ex quo factum est, ut ipse metaphysicam cum logica confunderet, atque in hac de genesi categoriarum ageret [1]. Quamobrem ii tantum, qui cum Heghelio ideale a reali non distinguunt, unicam esse tractationem categoriarum asserere possunt.

Secundo, intelligis quoque falsum esse Rosminium, quod sensit categoriarum alias esse *logicas*, alias *idea-logicas*, alias *ontologicas*. Nam diversi modi praedicandi non sunt veri, nisi diversos modos, secundum quos res sunt, adamussim repraesentent, neque notiones sunt verae, nisi diversos modos praedicandi adamussim exhibeant. Quapropter necesse est, ut categoriae, de quibus in diversis philosophiae partibus disputatur, sint prorsus eaedem, et non differant, nisi secundum diversos modos, quibus considerantur. Enimvero, ontologia illas spectat, tamquam partes entis, et principia diversitatis rerum: idealogia, tamquam notiones, quibus illa principia repraesentantur; logica denique, tamquam diversos respectus, secundum quos aliae aliis subiiciuntur, aliaeque de aliis praedicantur, ut a notis ignotum elici possit [2].

Hac quaestione soluta, haud difficulter intelligere nobis licet, quomodo categoriae, prout voces sunt, ad logicam spectent.

Fuerunt enim, uti diximus, qui contenderent totam tractationem de categoriis proprie consistere in recensendis, explicandisque supremis quibusdam generibus vocum, ad quae omnes voces aliquid significantes revocantur, ut summa, et certa genera rerum, ad quae

---

[1]) Cf p. 191.
[2]) Cf loc. Alberti M., quem p. 214 exscripsimus.

res omnes reducuntur, illis vocibus designata cognoscamus. Vt quam abnormis sit haec opinio facile perspiciatur, sciendum est illos Philosophos in hanc opinionem adductos fuisse, eo quod putarunt, sicut nulla res universalis in natura rerum est, ita nullam conceptionem universalem in intellectu fieri posse. Iam, ex eo, quod nulla notio universalis existit, statuebant non aliud, quam voces, esse universale, proindeque categorias non esse, nisi voces, quibus conceptus singularum rerum communes designantur, et, quoniam genera rerum, prout in se sunt, in metaphysica tractantur, in logica dumtaxat de vocibus, per quas ipsae significantur, tractandum esse. At quisquis ab absurda hac doctrina Nominalium, de qua loco suo agemus, abhorret, et vocibus, per quas categoriae designantur, notiones universales significari sentit, fateri debet categorias non prout voces, sed prout notiones sunt, esse proprium, et directum obiectum logicae. Re sane vera, quoniam logica in eo tota est, ut communem modum e notis ad ignotum progrediendi tradat, categoriae ea parte ad logicam pertinent, qua aliquid conferunt ad ratiocinationem, cuius ope ignotum e noto elicitur. Ast, ipsae hoc munere funguntur, non qua sunt voces, sed qua sunt notiones. Etenim ad arguendum ignotum e noto oportet unum cum altero relatum intelligere, ordinemque nosse, quo utrumque continetur. Atqui, categoriae, qua voces sunt, significant quidem ordinem, qui inter conceptus rerum existit, sed illum, non qua voces, sed qua notiones sunt, producunt. Categoriae igitur non prout voces, sed prout notiones sunt, aliquid ad deducendum ignotum e noto per ratiocinationem conferunt. Hinc, quandoquidem ipsae, prout hoc munere funguntur, ad logicam pertinent, liquet ipsas esse proprium, et directum obiectum logicae non prout voces, sed prout notiones sunt. Iuvat idem argumentum concinnare hoc alio modo, qui adversus Nominales proprie facit: Categoriae ad logicam pertinent, pro eo ut ad cognitionem ignoti efficiendam conferunt. Atqui, quaecum-

que connexio inter voces, et cognitionem rerum ponatur, certum est cognitionem rerum, uti s. Thomas monuit, non pendere a vocibus, sed a notionibus, quae per voces significantur [1]. Ergo categoriae, non prout voces, sed prout notiones sunt, ad logicam pertinent [2]. Hinc idem sanctus Doctor iure optimo sanxit praedicamenta nulli usui ad scientiae adeptionem fore, nisi vocibus, quibus designantur, notiones responderent. « Frustra, ait, ali- « quod nomen de aliquo praedicatur, nisi per illud « nomen aliquid de eo intelligamus [3] ».

Verum, si categoriae, prout sunt voces, non primum et proprium, procul dubio secundarium obiectum logices sunt. Re vera, notiones, ad quarum intelligentiam tractatio categoriarum spectat, sine vocibus nec plane intelligi, nec ullo modo exponi possunt. Certe, intelligi non possunt, quia illi etiam, qui sentiunt mentem nostram sine vocum auxilio posse notiones rerum sibi efformare, non diffitentur ipsam sermone opus habere, ut illas et claras, distinctasque efficiat, et menti firmiter infigat. Iam, quoniam notiones partem suam ad ratiocinationis effectionem explere nequeunt, nisi clarae, distinctaeque in mente existant, ipsis vel ex ea parte, qua voces sunt, in logica locus esse debet. Neque exponi possunt, quia natura humana ita comparata est, ut homines sine signis quibusdam in sensus incurrentibus cogitationes suas secum invicem communicare non possint. Quapropter, si ad logicam efficiendam opus nobis est supremas, et simplices notiones investigare, quibus omnes notiones rerum immediate continentur, opus nobis etiam est quasdam notas communes, et simplices in promptu habere, ut, harum notarum auxilio, scientiam illarum notionum, quae in sola animae contemplatione consistunt, tum facilius nobis comparemus, tum commodius cum aliis communi-

---

[1]) « Cognitio rerum non dependet ex vocibus, sed ex ratione « nominis »; *Cont. Gent.*, lib. I, c. 33, n. 3.

[2]) Cf p. 166 et 167. — [3]) *Op.* et loc. citt., n. 5.

cemus. Hinc Albertus M., postquam sermonis sive interioris, sive exterioris in tractatione categoriarum necessitatem demonstravit, hoc pronuntiatum statuit : « Propter quod praedicabilia oportet considerare secundum « quod vocibus significantur [1] ».

Quod si logicus in analysi, et expositione categoriarum a vocibus, per quas significantur, abstinere nequit, quisquam inde perperam inferret tractationem de categoriis circa voces versari, eamque esse veluti quamdam partem grammatices. Nam logica de vocibus, quae categorias significant, aliter ac grammatice, disputat ; si quidem, grammatica illas voces exponit, quatenus ad sermonem efficiendum concurrunt, Logica autem, prout mentem ad notiones secundas efformandas adiuvant, easque cum aliis communicandi capacem efficiunt. Itaque logica categorias vocibus illas significantibus exponit, non quia ad vocum cognitionem spectat, sed quia sine vocum subsidio illas neque ad certum ordinem redigere, neque exponere valet. Iamvero, cum obiectum proprium uniuscuiusque scientiae non sit illud, quo scientia pro finis, ad quem intendit, consecutione indiget, sed illud ipsum, in quod intendit, Card. Caietanus post Avicennam, Albertum M., s. Thomam, et Scotum, sapienter statuit voces esse obiectum huius tractationis necessarium non *per se*, sed *ex consequenti*, sive *per accidens*, indeque confecit hanc tractationem proprie non circa voces, sed circa res, easque non absolute spectatas, sed simpliciter apprehensas, et vocibus significatas, sive, ut brevius loquamur, circa notiones vocibus significatas versari. Ex multis, quae Vir subtilissimus de hac re disputavit, haec pauca afferamus : « Optime ab Avicenna « in principio suae logicae dicitur, quod considerare de « vocibus non est logici negotii ex intentione, sed ne-

---

[1]) *De Praedicam.*, lib. II, tract. I, c. 1. Ne haec aliaque verba B. Doctoris, quae adducturi sumus, perperam intelligas, scito eum saepe vocem praedicabilis pro praedicamento usurpasse.

« cessitas ad hoc compulit : quoniam res sic conceptas « non nisi verbis exterioribus exprimimus :. docemus : « adunamus : et ordinamus . . . Et res acceptae nihil « aliud sunt , quam res dictae verbis interioribus ; vel « (quod idem est) quam res conceptae conceptibus sim- « plicibus: et res huiusmodi nihil aliud sunt, quam res « significatae vocibus incomplexis ; quando voces sunt « signa conceptuum, et conceptus rerum . . . Et pro- « pterea, si quaeratur de vocibus, an de rebus principa- « liter hic tractetur, respondendum est , quod de rebus « non absolute , sed incomplexe conceptis consequenti « necessitate significatis [1] ».

Ex his nullo negotio colligitur , etsi grammatica , et logica cum circa notiones, tum circa voces versentur, tamen diversum esse utriusque obiectum. Et sane , grammaticus , uti Zabarella post Scotum [2] observavit , examen notionum instituit , non ut ipsas notiones in se , sed ut voces , quae illas significant , cognoscat ; contra ea logicus voces , quae notiones significant , expendit , non ut ipsas voces, sed ut notiones, quas ipsae significant, intelligat : unde « logicus , ait, primario conceptus « respicit , secundario voces ; contra grammaticus pri- « mario voces, conceptus secundario [3] ». Praeterea, Grammaticus, observante Alberto M., voces usurpat , prout hae sunt immediata signa rerum , Logicus vero , prout conceptiones intellectus significant [4]. Iam, cum obiectum uniuscuiusque scientiae sit proprium et primum , non secundarium , et idem obiectum secundum diversos respectus consideratum non sit unum, sed multiplex , liquet obiectum tractationis de categoriis aliud esse, ac obiectum grammaticae, quamvis ambae et de notionibus et de vocibus tractent [5].

---

[1]) *In lib. Arist. de Praedicam.*, Ante Praed. Prologus, fol. 16, et 17 ed. cit.

[2]) *In lib. Praedicament.*, q. I, ad quaest. n. 3.

[3]) *De nat. log.* c. 10, inter *Opera logica*, p. 16 ed. cit.

[4]) *De Periher.*, lib. I, tract. II, c. 1. — [5]) Cf p. 168 et 169.

Ea , quae hactenus disputavimus , ad haec pauca revocantur : Categoriae secundum diversas rationes sunt notiones secundae, res, et voces. Sunt notiones secundae, quia diversos modos exhibent , quibus intellectus notiones primas disponit , resque ex his repraesentatas intelligit ; sunt et res , quia per notiones primas ad res extra intellectum ipsum positas referuntur; sunt denique voces , quia singulae categoriae proprias notas habent , quarum ope et distinctae in intellectu fiunt, et cum aliis communicantur.

Porro , quin haec re ipsa fuerit opinio Aristotelis, dubitare licet nemini. Hic enim de illis in Metaphysica, et in Logica tractat. Iamvero , etsi in utroque opere quarumdam vocum examen persecutus sit, tamen certum est eum non id sibi proposuisse , ut voces exponeret, quippe quod , quemadmodum in confesso apud omnes est , in metaphysica ipsas , prout sunt summa principia rerum, et in logica, prout sunt elementa ratiocinationis, exposuit. Verum , categoriae sub primo respectu sunt res, sive, ut Alb. M. inquit, *partes entis*, et sub altero notiones secundae, quia ratiocinatio est opus intellectus. Ergo pro re explorata habendum est , Aristotelem in logica categorias tamquam notiones secundas , et in metaphysica tamquam partes entis spectasse, atque in utroque opere vocibus usum fuisse , ut ope sermonis , qui omnibus familiaris est , illas facilius commodiusque exponeret. Quapropter categoriae , Aristotelis sententia , sunt res, notiones, et voces; et qua res, sunt obiectum proprium metaphysicae, qua notiones secundae, obiectum proprium logicae , et qua voces , obiectum seeundarium utriusque [1]. Quod attinet ad Logicam , de qua in praesentia agimus , s. Thomas [2] iam observavit Stagiritam categorias tamquam notiones in cunctis libris *Organi*

---

[1]) Cf Scaynum, *Paraphrasis in Arist. Organum. In lib. Praedicam. explanatio*, p. 59-66, Vrsellis 1603.

[2]) Cf p. 207.

tractasse, et Albertus M. scripsit se de categoriis hoc modo tractante sequi « sectam Philosophorum, qui Peripatetici vocantur, et maxime Aristotelis, qui huius « sectae princeps, et primus inventor fuisse perhibetur [1] ».

ARTICVLVS OCTAVVS

Principium, ex quo divisio categoriarum petenda est, investigatur

Cum iam compertum sit categorias, ex ea parte, quatenus in Logica de ipsis tractatur, esse notiones, et proprie illas, quae *secundae* dicuntur, restat ut duas alias quaestiones instituamus. Prior est, utrum illas intellectus in se inveniat, ut Kantius sensit; an ex notionibus rerum sibi efformet, ut politioribus Peripateticis placuit; an denique, uti Trendelenburgius, eiusque asseclae hodie tuentur, ex grammaticis modis orationis eliciat. Altera autem est, utrum categoriae ab unico principio derivandae sint, et si res ita se habeat, quodnam illud principium sit. Perspicuum est has duas quaestiones ita comparatas esse, ut solutio prioris a solutione posterioris dependeat. Nam natura, et vis categoriarum cognosci non potest, nisi qua via ad illarum cognitionem intellectus perveniat, cognoscatur, et vicissim, detecta illarum origine, non potest, quin illarum vis simul patescat. Quamobrem hae duae quaestiones re ipsa ad unicam revocantur, cum una alterius quoddam consectarium sit. Operae autem pretium facturos arbitramur, si hanc controversiam ita tractaverimus, ut germana sententia Aristotelis, de qua adhuc inter Philosophos lis est, una aperiatur; si quidem non solum veteres, sed etiam fere omnes nuperi hanc quaestionem ab Aristotele repetunt, eamque diversis modis explicatam se aut sequi, aut refellere profitentur.

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

Principio praemittendum est Philosophos qui de categoriis tractarunt, consentire in duobus, quae huius controversiae fundamentum sunt, scilicet categorias ab unico principio oriri oportere, atque hoc principium esse *ens*. Et iure quidem optimo. Nam, cum categoriae conveniant in ratione praedicationis, sive in eo, quod singulae certum quemdam modum denotant, quo aliquid de aliquo praedicatur, oportet quidquam omnium commune esse, ex quo ipsae vim suam praedicandi sumunt, proindeque diversas categorias diversos modos prae se ferre, per quos illud commune dividitur. Hocce principium, uti Albertus M. et post eum Doctores Scholae cum Stagirita [1] docuerunt, non aliud esse potest, quam *ens*, sive *esse*. « Primum, B. Doctor ait, omnium, quod praedi« catur, est ens [2] ». Et sane, quidquid de subiecto praedicatur, ipsi inesse significatur ; si quidem non potest aliquid cum aliquo coniungi, nisi in eo reipsa esse intelligatur. Ergo quidquid de subiecto praedicatur, ad eius *esse* pertinet. Iam ex his conficitur categorias esse suprema praedicandi genera, quia diversos modos essendi significant. « Quot modis, ait s. Thomas, aliquid « praedicatur, tot modis significatur aliquid esse. Et « propter hoc ea, in quibus dividitur ens primo, di« cuntur esse praedicamenta, quia distinguuntur secun« dum diversum modum praedicandi [3] ». Quod si categoriae diversos modos essendi significant, liquet categorias ens pluribus, diversisque modis determinatum exhibere, proindeque *ens* esse principium, ex quo categoriae promanant.

Idem hoc altero argumento evincitur. Perspicuum est intellectum nostrum non posse cognoscere diversos modos, quibus notiones rerum de rebus praedicantur, nisi ipsas notiones cognoscat, neque posse has cognoscere, nisi supra se ipsum reflectatur. Iam intellectus, cum refle-

---

[1]) *Met.*, lib. VI, c. 1 ed. cit. — [2]) *Log.*, lib. II *De Praedicamentis*, tract. I, c. 2. — [3]) *In lib. V Met.*, lect. IX.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ctitur supra notiones rerum, quas in se habet, ipsas notiones secundum eumdem ordinem, quo illas adeptus est, intelligat oportet. Atqui ipse, uti Aquinas scite scripsit [1], nosque, illo duce, alias ostendemus, primo res sub confusa notione entis intelligit, quippe quod in res vim suam intendens, primum intelligit ipsas esse. Ergo, cum supra notiones rerum reflectitur, illas in primis sub notione communis entis intelligere debet. Quod si ens est illud, quod primum omnium intellectus in notionibus rerum intelligit, oportet illius notionem esse principium, ex quo ordo praedicationis inter notiones derivatur. Itaque firmum, ratumque sit ens esse unicum principium categoriarum.

At vero, quandoquidem vox *ens* plura significat, factum est, ut Philosophi illam diversa significatione sumtum pro principio categoriarum capesserent. Hinc investigemus oportet, qua significatione acceptum ens est verum principium categoriarum. Iam, tres sunt, quemadmodum s. Thomas saepe adnotavit, diversae huius vocis acceptiones. Ipsa enim quandoque significat veritatem compositionis in enunciatione; uti cum dicitur, *Socrates est philosophus*. Namque, cum veritas enunciationis, quae *Logica* nuncupatur, uti alibi videbimus, in eo consistat, quod enunciatio denotat esse, quod est, et non esse, quod non est, liquet *esse*, quod copulae officio in enunciatione fungitur, veritatem enunciationis significare [2]. Quandoque autem essentiam, sive *quidditatem* rei, nempe id, per quod quaelibet res in sua specie constituitur; puta *humanitatem* in Socrate, quia per humanitatem Socrates est homo. Quandoque tandem

---

[1]) « Primum enim, ait s. Thomas, quod cadit in *imaginatione* « *intellectus* est ens, sine quo nihil potest apprehendi ab intellectu »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 3 c., et *ibid.*, p. IV, a. 1 ad 1.

[2]) « . . . ex hoc, idem s. Thomas ait, quod aliquid in rerum « natura est, sequitur veritas, vel falsitas in propositione, quam « intellectus significat per hoc verbum est, prout est verbalis « copula »; *In lib. V Met.*, lect. IX.

existentiam actualem rei, hoc est illud, quo res actu est in natura, et ex quo quidquid est in rerum natura, nomen habet, si quidem quidquid est in rerum natura, essentiam *actu* completam habet. Quo modo *vivere* dicitur *esse* animae, quia *vivere* est principium, per quod anima *actu* est in natura, et denominatur *actu* anima. Revera, quidquid *actu* essentia est in natura, habere debet et *esse*, per quod in aliqua specie constituitur, nempe *esse essentiae*, et *esse*, per quod *actu* est, nempe *esse existentiae* [1]. Vnde scite idem sanctus Doctor ait: « In « omni creato essentia differt a suo esse, et comparatur « ad ipsum, sicut actus ad potentiam [2] ».

Illud quoque cum eodem Aquinate animadvertendum est, ens, hoc modo sumtum, esse ens *perfectum*. Hoc enim ens est perfectius ente essentiam denotante, quia non modo *esse essentiale*, sed etiam *esse actuale* complectitur, ob idque essentiam per existentiam completam denotat, estque etiam perfectius ente, quod compositionis in enunciatione veritatem significat, quia hoc, ut inferius videbimus, iis etiam convenit, quae essen-

---

[1]) « Sed sciendum est, sanctus Doctor inquit, quod esse dicitur « dupliciter. Vno modo dicitur esse ipsa quidditas, vel natura rei, « sicut dicitur, quod diffinitio est oratio significans quid est esse: « diffinitio enim quidditatem rei significat. Alio modo dicitur esse « ipse actus essentiae, sicut vivere, quod est esse viventibus, est « animae actus: non actus secundus, qui est operatio, sed actus « primus. Tertio modo dicitur esse quod significat veritatem com- « positionis in propositionibus, secundum quod *est* dicitur co- « pula » (*In lib. II Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1 ad 1). Acceptionem entis, cui s. Thomas hic secundum locum dedit, nosque tertium assignavimus, idem sanctus Doctor clarius exposuit aliis in locis, ex quibus haec duo seligimus: « Alio modo esse dicitur « actus entis, in quantum est ens, idest, quo denominatur aliquid « ens actu in rerum natura » (*Quodlib.* IX, a. 3 c.); atque alibi: « Alio modo dicitur esse, quod pertinet ad naturam rei... et hoc « quidem esse est in re, et est actus entis resultans ex principiis « rei, sicut lucere est actus lucentis »; *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. II, a. 2 c.

[2]) I, q. LIV, a. 3 c. « In qualibet creatura, alias scribit, est aliud « ipsa natura, quae habet esse, et ipsum esse »; *Quodlib.* II, a. 3 c.

tia carent, puta coecitati, omnique alii privationi [1]. Hinc Henricus Gandavensis, qui diversas entis acceptiones saepe explicuit, scite inquit: « Esse simpliciter et absolute « non dicitur res aliqua , nisi ab eo , quod est ens e- « xistens in effectu in rerum natura..... Tunc vero res « dicitur esse , quando est in rerum natura existens in « effectu [2] ».

Quod si *ens* plura significat , nemo non videt Philosophos diversum numerum categoriarum recensere, diversamque ipsis vim tribuere debuisse, prout ens, quod pro principio categoriarum sumsere, alii aliter acceperunt. Enimvero , si diversas opiniones Philosophorum de natura, et vi categoriarum, quas ante exposuimus, parumper expenderimus , nullo negotio perspiciemus diversam acceptionem entis in causa fuisse , quamobrem Philosophi , cum ex eodem principio entis ad divisionem categoriarum statuendam profecti essent , non easdem categorias exinde deduxerint , neque eamdem vim in his agnoverint.

Emm. Kantius ens priori modo accepit, scilicet prout veritatem compositionis in enunciatione designat. Etenim ipse arbitratus est categoriis non aliud designari, quam diversos modos, quibus praedicatum ad subiectum in iudicio refertur. Iam, relatio inter praedicatum , et subiectum per verbum *est*, quod copulae munere fungitur, designatur. Principium igitur, a quo Kantius in categoriarum recensione profectus fuit , est ens priori modo acceptum, sive ens, quod veritatem compositionis in e-

---

[1]) Cons. Caïetanum in Opusc. s. Thomae, *De Ente et Essentia*, c. I, et VI.

[2]) *Op. cit.*, art. XX, q. IV, n. 5; cf ibid., n. 15, et Caïetanum, *Op. cit.*, l. cit. Hinc s. Thomas *esse*, quod non est in natura rerum, sed tantum in mente, modo *diminutum*, modo *incompletum* vocavit. « Ens, ait, quod est in anima , est ens diminu- « tum » (*In lib. IV Sent.*, Dist. I, q. I, a. 4 *sol.* 2 c.); atque alibi: « Ens incompletum, quod est in anima, dividitur contra ens di- « stinctum per decem genera »; *ibid.* ad 1.

nunciatione significat. Hinc categoriae, secundum Kantium, cum sint diversi modi, secundum quos ens in iudicio asseritur, ab universali forma iudicii, tamquam ab unico principio, oriuntur, et, quoniam iudicium est opus subiecti iudicantis, ipsae non aliud sunt, quam leges quaedam subiectivae, secundum quas intellectus humanus res cogitat [1]. Iam, ex hac opinione Kantii, ut alibi fusius ostendemus, idealismus prono alveo fluit; si enim leges, quibus cogitatio efficitur, subiectivae sunt, cogitatio nihil de rebus extra subiectum positis continere potest. Neque id Kantius negavit, quippe qui sensit mentem humanam mundum, qualem ipsa sibi confingit, non qualis re ipsa est, nempe, ut eius verbis utamur, mundum *phaenomenicum*, non *numenicum* cognoscere.

Heghelius, scopulum, in quem Kantius praeceps ruerat, vitaturus, ens cum idea unum, idemque fecit, atque hocce *ideale-reale* pro principio categoriarum statuit. Ipse enim, uti antea diximus [2], docuit categorias esse diversos modos, quibus *Idea-Ens*, nempe *Deus*, sive *Absolutum* se evolvit, ponit, determinat, et per quos seipsum egressus fit *mundus*, deinde in se rediens fit *spiritus*. Hoc modo Heghelius pro principio categoriarum statuit ens, quod essentiam notionalem rerum denotat. Enimvero, quandoquidem in *Idea-Ente*, sive *Absoluto*, nihil est, nisi essentia, quia in Eo *esse* ab essentia non distinguitur, determinationes *Ideae-Entis* essentiales esse debent. At vero, Heghelius in pantheismum incidit, quin idealismum vitaret, propterea quod, uti mox ostendemus, si omnes categoriae non aliud, quam positiones Absoluti denotant, illud omne, quod est, unum Absolutum esse tenendum est, et, si ideale idem est cum reali, rebus non aliud *esse* convenit, quam illud, quod in mente est.

Giobertius utrumque scopulum non aliter vitari posse

---

[1]) *Op. cit.*, *Log. transcend.*, lib. I, sect. 3, § 10, vol. I, p. 137, 144, ed. cit.—[2]) Pag. 383.

ratus est, quam si non a principio simplici, cuiusmodi est *Ens-Idea*, sed a principio complexo *Entis creantis mundum*, hoc est ex Deo, et mundo per actum creationis connexis categoriae deducantur. Nam, cum per actum creationis Ens ab existente, sive Deus a mundo re distinguatur, categoriae, quae exinde deducuntur, secus ac kantianae, sunt obiectivae; itemque, cum circa terminos reales, et re ab se distinctos versentur, in pantheismum, uti heghelianae, haud ducunt. Porro, ex eo quod Deus est primus terminus illius principii complexi, ab Eoque mundus existit, ipse collegit Ens, sive Deum esse primam categoriam, quae omnes categorias finitas complectitur, illudque modo *categoriam-genus*, modo *proto-categoriam* vocavit. Iam, quandoquidem ea, quae genere aliquo continentur, essentiam generis aliquo modo determinatam complectuntur, Giobertium *esse* essentiae, sive essentiam notionalem pro principio categoriarum accepisse certum nobis videtur [1].

Neque aliter Andronicum Rhodium, eiusque nuperrimos sectatores Cousinium, et fere omnes Eclecticos ens, prout est principium categoriarum, intellexisse dicendum est, quippe quod divisio entis in duas categorias absoluti, et contingentis ab eis propugnata [2] non aliud, quam discrimen inter *esse essentiale* Dei, et *esse essentiale* creaturarum denotat.

Rosminius vero, ni fallimur, ad Kantii sententiam reversus, categorias ab ente, quod copulam enunciationis constituit, deduxit. Et sane, ipse docuit categorias non esse aliud, quam diversos modos, secundum quos intellectus praedicatum cum subiecto coniungit. Iamvero, hi modi non sunt, nisi diversi modi entis, quod veritatem compositionis in enuntiatione denotat; si quidem coniunctio praedicati cum subiecto per verbum *es-*

---

[1]) *Protol.*, Saggio I, vol. I, p. 247, et Saggio III, vol. cit. p. 593.
[2]) Cf p. 375.

se significatur. Itaque Rosminius ens, quod copulam enunciationis efficit, pro principio habuit, ex quo categoriae constituuntur, et cognoscuntur. In eo autem a Kantio dissensit, quod formas, secundum quas praedicatum cum subiecto consentit, ab ipsa natura iudicii elicuit, cum Kantius illas intellectui humano insitas dixerit. Tacendum non est cum Aristoteli obiecisse, 1° quod categorias non ex diversis modis, quibus praedicatum cum subiecto coniungitur, sed ex numero quaestionum, quae de rebus institui possunt, deduxit; 2° quod ens reale a categoriarum numero exterminans, nullum inter illas vinculum ponere potuit [1].

Nobis diversas hasce opiniones mente reputantibus opinio probatur Alberti M., s. Thomae, Henrici Gandavensis, aliorumque docentium ens, quod per categorias dividitur, non esse neque illud, quod veritatem compositionis in enunciatione, neque illud, quod quidditatem rei, sed illud, quod *esse actuale* rei significat. Id sane ex iis, quibus notionem entis esse principium categoriarum ostendimus, luculenter evinci nobis videtur. Enimvero, nos ostendimus, intellectum, cum in se reflectitur, notiones rerum in primis sub communi notione entis intelligere, propterea quod res, ex quibus illas notiones sibi conficit, sub communi notione entis primum intelligit; atque ipsum nonnisi ex eo, quod primum in notionibus rerum intelligit, categorias enumerare, et explicare. Iam, si haec ita se habent, in promptu est demonstrare ens, sub cuius notione intellectus sive res, sive notiones rerum intelligit, nec esse illud, quod copulam in enunciatione, nec esse illud, quod quidditatem rei significat.

Quod ad primum attinet, multa, eaque magni ponderis argumenta ad id probandum apud s. Thomam nobis occurrunt, quippe quod sanctus Doctor non semel veteres quosdam confutavit, qui huic sententiae Kantii praeluserunt.

---

[1]) *Log.*, lib. II, sez. I, c. 9, II, p. 116-122, Napoli 1857.

Atque in primis, Philosophus Regiomontis non negavit categorias esse notiones diversos modos repraesentantes, quibus intellectus res in natura esse intelligit, sed dumtaxat contendit nos latere, utrum necne hos entis modos tales vere repraesentent, quales in natura *actu* sunt. At vero, ens, quod in enunciatione munus copulae obit, significat quidem aliquid entis inesse subiecto, sed cuiusmodi illud entis sit, an substantia, an qualitas, an alius quidam modus entis minime patefacit. E. g. in hac enunciatione, Socrates est philosophus, verbum *est* significat esse philosophum Socrati inesse, sed utrum *esse philosophum* sit substantia Socratis, an qualitas substantiae inhaerens, minime docet. Ens igitur, quod in categorias dividitur, non est illud, quod copulam enunciationis exprimit. Hoc argumentum s. Thomas concinnavit hunc in modum: Categoriis non quaeritur, an sit res, sed cuiusmodi sit; atqui ens, quod copulam enunciationis efficit, non resolvit quaestionem quid sit; ergo ens, quod per categorias dividitur, non est illud, quod copulam enunciationis efficit. Audiamus sanctum Doctorem: « Ens dupliciter dicitur. Vno « modo, secundum quod significat entitatem rei, prout di- « viditur per decem praedicamenta: et sic convertitur cum « re. . . . . Alio modo dicitur ens, quod significat ve- « ritatem propositionis, quae in compositione consistit, « cuius nota est hoc verbum, *est*: et hoc est ens, quo « respondetur ad quaestionem, an est » et non convertitur cum re, nec in decem praedicamenta dividitur [1].

Praeterea, copula notitiam categoriarum in intellectu iam constitutam expostulat. Etenim nos non possumus aliquid cum aliquo coniungere, nisi quo modo unum cum altero coniungendum sit, nobis innotescat. Atqui sine notitia categoriarum cognoscere non possumus, qui-

---

[1]) I, q. XLVIII, a. 2 ad 2; cf *ibid.*, q. III, a. 4 ad 2; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1 ad 1; *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. II, a. 2 c.; *Quodlib.* IX, a. 3 c.; *Quodlib.* XII, a. 1 ad 1.

bus modis aliquid cum aliquo coniungendum, aut ab eo dirimendum sit. Copula igitur categorias iam perspectas intellectui expostulat. Iam, si copula categorias iam animo efformatas expostulat, liquet ens eo sensu acceptum, quo copulam enunciationis significat, non esse illud, quod est categoriarum principium.

Accedit, quod haec opinio Kantii de principio categoriarum non modo in se absurda est, sed etiam ad idealismum, uti ante innuimus, ducit. Enimvero, ens, quod veritatem compositionis in enuntiatione significat, non est vere in natura rerum, sed est solum in intellectu, qui praedicatum cum subiecto comparatum considerat. « Hoc esse, s. Thomas inquit, non est in re, sed in « mente, quae coniungit praedicatum cum subiecto [1] ». B. Albertus M. id subtili et luculenta argumentatione probavit, quae huc redit: Etsi quidquid in natura rerum est, quodam modo multiplex sit, tamen unitum, coniunctumque sibi est, quia nihil reapse in ulla re est, quod subiectum cum eius accidentibus coniungit. Ast, imbecillitas intellectus nostri prohibet, quominus perfectam rei notitiam consequamur, nisi intellectus eius elementa resolvat, resolutaque componat. Quamobrem resolutio, et compositio, nempe, si graecis vocibus uti lubet, analysis, et synthesis, quae enunciationem efficiunt, non in rerum natura, sed in intellectu nostro sunt. Atqui analysis, et synthesis illud sunt, quod ens, quo copula efficitur, significat. Ergo ens, quod copulam, sive veritatem compositionis in enunciatione significat, nonnisi in intellectu consistit [2].

---

[1]) *In lib. III Sent.* Dist. VI, q. II, a. 2 c.

[2]) E re est legere locum Beati Doctoris, quo haec argumentatio continetur: « Adhuc autem, ut omnia ista facilius intelligan- « tur, revocandum est ad memoriam quod in scientia universa- « lium dictum est: ibi enim dictum est, quod compositionis in « vocecausa est inhaerentia, quod unum secundum rem inest alii. « Et, quamvis unum secundum rem inest alii sine aliqua media « compositione, tamen intellectus nec sibi, nec alii significare « potest hoc sermone interiori apud se, nec voce exteriori apud

Vt id luculentius patescat, illud prae oculis habendum est, quod Caïetanus in s. Thomam monuit, scilicet ens quod veritatem enunciationis denotat, non significare *per se* inhaerentiam praedicati in subiecto, sed compositionem utriusque, quam intellectus efficit, et per quam se ipsum obiecto adaequat. Ex quo sane fit, ut intellectus cum subiecto componat non ea dumtaxat, quae ipsi vere insunt, sed etiam ea, quibus caret. Ita, in hac enunciatione, *Homerus est coecus*, verbum *est* non significat caecitatem vere Homero inhaerere, id enim, quod non est, alteri inhaerere nequit; sed significat compositionem caecitatis cum Homero, quam intellectus efficit, et per quam Homerum virtute videndi destitutum cognoscit [1]. Iam, si ens, quod copula continet, non inhaeren-

« alium, nisi ponat unum dici de alio mediante compositione, « quam compositionem primo facit intellectus componens, sicut « facit eam apud se, ita designat eam per sermonem extrinsecum « apud alium. Et quia hoc, quod est apud intellectum, sermo « nuntiat per signum, iste sermo exterior apud Graecos angelus « intelligentiae vocatur. Et quia compositio primo est in anima, « ideo dicit Aristot. 3° *de anima*, quod ubi verum et falsum est, « iam compositio quaedam intellectum est. Et in 6° *phil.* primae « dicit, quod verum et falsum sunt in anima: sicut enim in agente « compositionem est in anima: sicut in signo autem est in voce « enunciativa, sicut autem in causa est in rebus extra; quia hoc, « quod unum est in alio rebus extra, hoc est causa compositio- « nis »; *Periherm.*, lib. I, tract. 2, c. 2.

[1]) Afferre lubet verba Caïetani: « Veritas propositionis, quae « est entis secundo modo significati, nihil aliud est, quam com- « positio facta in secunda operatione intellectus obiecto confor- « mis. V. g. Sortes est coecus, non significat inhaerentiam caeci- « tatis in Sorte, eo quod caecitas omni inhaerentia caret, cum « inhaerere realium accidentium sit, sed significat compositio- « nem factam ab intellectu, adaequante seipsum per illam obie- « cto, Sorti scilicet carenti virtute visiva » (*In c. I De Ente et Ess.*). En locum s. Thomae, ex quo Caïetanus argumentationem suam confecit: « Ens per se dicitur dupliciter. Vno modo, quod « dividitur per decem genera. Alio modo, quod significat pro- « positionum veritatem. Horum autem differentia est, quia se- « cundo modo potest dici ens omne illud, de quo affirmativa « propositio formari potest, etiamsi illud in re nihil ponat: per

tiam praedicati cum subiecto, sed compositionem utriusque ab intellectu factam significat, ipsum sane, ut idem Aquinas docuit, non est in natura rerum, sed in intellectu. Itaque « . . . esse, sanctus Doctor scribit, dupliciter « dicitur . . . Vno modo, secundum quod est copulae « verbalis significans compositionem cuiuslibet enun- « ciationis, quam anima facit, unde hoc esse non est « aliquid in rerum natura, sed tantum in actu animae « componentis, et dividentis, et sic esse attribuitur « omni ei, de quo potest propositio formari, sive sit ens, « sive privatio entis. Dicimus enim caecitatem esse. Alio « modo esse dicitur actus entis, inquantum est ens, « idest, quo denominatur aliquid ens actu in rerum na- « tura, et sic esse non attribuitur, nisi rebus ipsis, « quae in decem generibus continentur, unde ens a tali « esse dictum per decem genera dividitur [1] ».

Ex quibus omnibus facile perspicis 1° categorias non esse deducendas ex diversis formis, quibus in enunciatione praedicatum cum subiecto coniungi potest, quemadmodum Kantius contendit, quia hae formae ab ente per copulam significato, quod principium, et fons categoriarum non est, pendent; 2° Kantium, quemadmodum Renouvierius animadvertit [2], illud ipsum, quod Stagiritae per summam iniuriam obiecit, peccasse: si quidem categorias a principio subiectivo educere aggressus, illas ex arbitrio enumeravit, et nullo vinculo connexas ex-

---

« quem modum privationes, et negationes entia dicuntur: dici- « mus enim, quod affirmatio est opposita negationi, et quod cae- « citas est in oculo. Sed primo modo non potest dici aliquid, « quod est ens, nisi quod in re aliquid ponat. Vnde primo modo « caecitas, et huiusmodi non sunt entia ». Sanctus Doctor idem in multis aliis locis inculcavit, ex quibus hunc afferre lubet: « De privatione, ut de caecitate, formatur una affirmativa propo- « sitio, cum dicitur: Caecitas est, nec tamen caecitas aliquando « est in rerum natura, sed est magis alicuius entis remotio »; *In lib. II Sent.*; Dist. XXXIV, q. I, a. 1 c.

[1]) *Quodlib.* IX, a. 3 c.; cf *In lib. II Sent.*, Dist. cit., loc. cit.

[2]) *Op. cit.*, Ess. I, Append. I, p. 396, Paris 1854.

hibuit. Sed haec duo vitia criticcs kantianae ex iis, quae infra dicturi sumus, luculentius patebunt.

Quod de Kantio dictum est, de Rosminio etiam dictum puta. Nam, si intellectus categorias non aliunde eruit, nisi ex diversis modis, quibus praedicatum ad subiectum referri intelligit, profecto ipse, nisi hos modos ad diversos modos reducat, quibus *esse* in diversis naturis rerum determinatum existit, categoriae omni reali fundamento destituantur oportet, quia relatio praedicati ad subiectum ipsa per se subiectiva est, et non aliter obiectiva fieri potest, quam si ad esse reale, et obiectivum subiecti, et praedicati, in quo fundamentum habet, referatur. Nec Rosminium iuvat, quod intellectum hos modos relationis in se non habere, uti Kantius sensit, sed ex analysi iudicii colligere dixit; quia analysis, et synthesis, ut ex Alberto M., et s. Thoma saepe monuimus, si a realitate obiectiva elementorum, circa quae versantur, segregentur, merum opus intellectus sunt. Quod si Rosminius, secus ac Kantius, non solum categorias logicas, sed etiam ontologicas admisit, non idcirco idealismum kantianum vitavit, siquidem alias categorias ontologicas, alias vero logicas esse voluit.

Peripateticos vero haud effugit, quemadmodum Rosminius habet, categoriis diversos modos relationis praedicati ad subiectum significari. Et sane, ne de omnibus dicamus, s. Thomas, denarii numeri categoriarum aristotelicarum rationem redditurus, ipsum ex decem modis, secundum quos praedicatum ad subiectum se habere potest, deduxit. Incipit enim hoc modo: « Sciendum « enim est, quod praedicatum ad subiectum tripliciter « se potest habere »; et concludit: « Vnde patet, quod « quot modis praedicatio fit, tot modis ens dicitur [1] ». Id ipsemet Rosminius sibi contradicens fassus est. Etenim ipse Philosophos redarguit asserentes Aristotelem in sua categoriarum recensione non ad aliud spe-

[1]) *In lib. V Met.*, lect. IX. Cf p. 385, et *In lib. I Sent.*. Dist. XXII, q. I, a. 3 ad 2.

classe, quam ut ideas ad certum numerum, et ordinem revocaret, quia categoriae ab eo, tanquam praedicata, consideratae sunt [1]. Atqui non potest aliquid, tamquam praedicatum considerari, nisi ad aliquod subiectum referri intelligitur, alioquin esset praedicatum, quod non praedicaretur. Ergo, si Rosminius Aristotelem categorias, tanquam praedicata, considerasse asseruit, sibimetipsi contradixit, cum eum categorias, tanquam diversos modos, quibus praedicatum ad subiectum referri potest, considerasse inficiatus est. Quandoquidem autem omnis quaestio ad relationem aliquam praedicati cum subiecto detegendam destinatur, liquet Aristotelem relationem praedicati cum subiecto non neglexisse, uti Rosminius sibi persuasit, sed e contrario prae oculis habuisse, cum numerum, et ordinem categoriarum e numero, et ordine quaestionum, quae circa quamlibet rem institui possunt, repetivit. Illud inter Rosminium, et Aristotelem, re ipsa interest, quod ille diversos modos relationis praedicati ad subiectum ad naturas rerum non retulit, hic vero, quemadmodum paulo inferius videbimus, cum perviderit communes modos, quibus praedicatum ad subiectum referri potest, fundamentum habere in diversis modis, quibus *esse* rebus actu convenire quit, categorias ab his, non ab illis deducendas putavit, ideoque non *esse*, quod munus copulae obit, sed *esse actuale* rerum pro principio categoriarum posuit.

Perperam quoque Rosminius Aristoteli obiecit eum recensionem praedicamentorum ab *essentia substantiali* incepisse, et *ens reale*, quod omni substantiae praecedit, quodque idcirco prima categoria est, omisisse. Et sane, si categoriae *ontologice*, nempe prout notiones primae sunt, considerentur, Stagirita, uti inferius dicemus, nedum *ens reale* e categoriarum numero exterminavit, docuit primam categoriam esse *hoc aliquid*, τόδε τι, nempe aliquid individuum, et singulare, quod *primam sub-*

---

[1]) *Op. cit.*

stantiam, πρώτην οὐσίαν, vocavit, generaque, et species, quae in substantia prima fundamentum habent, *secundas substantias*, δευτέρας οὐσίας, esse dixit [1]. Sin *logice*, seu prout sunt notiones secundae, ipse *ens reale*, tanquam fundamentum illarum consideravit, si quidem substantiam, prout essentia est, cui *esse* per se convenit, categoriam primam esse statuit. Illud fortasse Rosminium fefellit, quod ens ab Aristotele, et a Scholasticis eius sectatoribus non tanquam categoria a ceteris diversa, eoque minus tanquam categoria, cui ceterae subiiciuntur, sed tanquam principium, ex quo divisio categoriarum oritur, consideratum fuit. Nam, cum intellectus noster quidquid intelligit, sub ratione entis intelligat, relationes, quas inter conceptus suos primos deprehendit, non aliter intelligere potest, quam prout diversos modos entis repraesentant [2]. Hinc Albertus M., qui huic difficultati Rosminii occurrisse videtur, advertit categorias ad ens referri non tamquam ad genus, quo ipsae continentur, sed tanquam ad principium, ex quo deducuntur. « Si quis autem, ait, instet, et dicat, quod substantia « habet superius. Ens enim est ante substantiam per « intellectum, quia omnis substantia est ens, sed non « omne ens est substantia . . . Inferius quidem subtiliter huic satisfaciemus obiectioni: hic autem ad praesens sufficiat, quod, cum ens praedicatur de substantia vel res, vel unum, vel aliquid, non praedicatur « ratione generis, cum non sit una ratione praedicatum « de his de quibus praedicatur, sed per prius, et poste-

---

[1]) De substantia prima, et substantiis secundis mox dicemus.

[2]) « Illud autem, s. Thomas scribit, quod primo intellectus con« cipit quasi notissimum, et in quo omnes conceptus resolvit, est « ens. Vnde oportet quod omnes alias conceptiones intellectus ac« cipiantur ex additione ad ens. Sed enti non potest addi aliquid, « quasi extranea natura per modum, quo differentia additur ge« neri, vel accidens subiecto, quia quaelibet natura essentialiter « est ens; sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in « quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non « exprimitur »; *Qq. dispp., De Ver.*, q. I, a. 1 c.

« rius, sed talia praedicantur *praedicatione principii*, *non « generis* [1] ».

Porro *ens reale* pro prima categoria, quemadmodum Rosminius voluit, statui non posse perspicuum est. Etenim categoriae, uti ex dictis perspicitur, sunt speciales quidam conceptus mentis nostrae, qui speciales modos essendi repraesentant. Atqui ens reale, quod a Rosminio, tamquam prima categoria statuitur, est ens indeterminatum, quia ipsum est praedicatum commune. Ergo ens reale prima categoria esse nequit. Praeterea, cum obiectum logicae sit demonstratio, categoriae ad logicam non aliter pertinere possunt, quam prout subiectum demonstrationis sunt. Atqui ens subiectum demonstrationis esse nequit. Nam, cum intellectus nihil intelligere valeat, nisi prout ens est, ens ad omnem demonstrationem expostulatur; tantum abest, ut demonstrari queat. Ergo ens categoria esse nequit. Multa alia vitia omittimus, quae cum propria rosminianae philosophiae sint, in praesentia exponere haud opportunum foret. Interea concludendum est, ens reale non esse primam categoriam, uti Rosminio placuit, sed, quemadmodum a Scholasticis post Aristotelem ostensum est, esse principium, ex quo categoriae oriuntur, et vim suam accipiunt.

Neque ens, prout ab Heghelio, et Giobertio acceptum est, germanam recensionem categoriarum nobis suppeditat. Hi duo Philosophi, uti diximus, concorditer docent Deum esse supremam categoriam, sive *categoriam-genus*, et categorias secundas esse illius determinationes, atque in eo dumtaxat discrepant, quod categoriae secundae, Heghelii sententia, sunt diversi modi, quibus categoria suprema se ponit, et cognoscit, et secundum Giobertium Deus per actum creationis simul ipsas extra se producit, easque spiritui humano manifestat.

Ast, utrumque philosophum longius, quam Kantium,

---

[1]) Lib. *Praedicabil.*, tract. IV, c. 3.

a vero aberrasse argumenta ab iisdem Scholasticis petita manifeste demonstrant.

Atque in primis omnino repugnat Deum esse supremam categoriam, reliquasque ad Eum, vel tamquam determinationes ad suum subiectum, vel tamquam species ad suum genus, pertinere. Et sane, principio abnorme prorsus est Deum esse ullam categoriam. Nam categoria, qualiscumque ea tandem sit, peculiarem modum aliquid de subiecto praedicandi significat. Atqui, ex sententia Stagiritae superius allata, modus, quo aliquid de subiecto praedicatur, modum significat, quo aliquid subiecto inest. Ergo quaelibet categoria eo ipso, quod peculiarem modum aliquid de subiecto praedicandi denotat, modum peculiarem significat, quo aliquid *actu* est in natura rerum. « Sunt, s. Thomas inquit, diversi gradus entitatis, secundum quos accipiuntur diversi modi essendi, et iuxta hos modos accipiuntur diversa rerum genera [1] ». Quocirca omnis categoria, uti Henricus Gandav., et s. Thomas adverterunt, ex essentia rei, tamquam materia, et ex modo, quo ens ei convenit, tamquam forma, efficitur, quia modus, quo essentia rei *actu* est, rem inter categorias collocat [2]. Ex

---

[1]) *Qq. dispp., De Ver.*, q. I, a. 1 c.

[2]) « Res praedicamenti est quidquid per essentiam, et naturam « suam est contentum in ordine alicuius praedicamenti. Ratio « praedicamenti est proprius modus essendi eorum, quae contine« nentur in praedicamento. Ex quibus duobus, scilicet ex re « praedicamenti, et ratione essendi eius, quae est ratio praedica« menti, constituitur ipsum praedicamentum, et diversificatur « unum praedicamentum ab alio » (*Op. cit.*, art. XXXII, q. V, n. 15). Et paulo post: « Intentio igitur praedicamenti ex re naturae « subiecta, quae est res praedicamenti, quasi materiale in ipso, « et modo, quo esse ei convenit, scilicet non in alio esse, vel in alio « esse, quae est ratio praedicamenti circa rem ipsam, quasi for« male in ipso » (*Ibid.* n. 17). Hoc ipsum s. Thomas docuit. Ipse enim *rationem*, seu essentiam rei ab *esse* distinxit: « In quolibet « autem ente est duo considerare, scilicet ipsam rationem speciei, « et esse ipsum, quo aliquid aliud subsistit in specie illa » (*Qq. dispp., De Verit.*, q. XXI, a. 1 c.), atque hoc aliquam similitudi-

his iidem Doctores confecerunt categorias in iis dumtaxat locum habere, quorum *esse* ab essentia distinguitur; si quidem non licet in re intelligere aliquem modum, quo essentia eius determinatur, nisi in ipsa modus ab essentia distinguatur. Iamvero, essentia non distinguitur ab *esse* in Deo, quia ipsum *esse* Dei est eius essentia, sed tantum in rebus creatis, quia hae esse suum a Deo accipiunt. Ergo ullam in Deum categoriam cadere repugnat. Lubet duarum partium assumptionis unam ex Gandavensi, alteram ex Aquinate comprobare. « Deus, ille scribit, non « est res, cui convenit esse, quasi aliquid extra intention sit ipsum esse eius, sicut contingit in substantia et accidente, sed est ipsum esse, et non alia intentio, quam esse [1] ». Hic vero: « Et quia in istis substantiis (*creatis*) quidditas non est idem, quod esse, ideo « sunt ordinabiles in praedicamento [2] ».

Illud hic tacendum non est, etsi categoriae stricte sumptae in Deum cadere nequeant, tamen aliquas illarum quodammodo posse Ei convenire. Re vera, uti a s. Bonaventura, et a s. Thoma observatum fuit, ex decem categoriis, quas mox exponemus, cum quinque ultima, uti *pati*, *esse in loco*, et cetera ad res corporeas et mutabiles dumtaxat pertineant, *translate* tantum, nempe similitudine a rebus creatis accepta, Deo tribui possunt; puta cum Deus irasci, dolere, aut in aliquo certo loco, aut tempore esse dicitur. Prima quinque vero Deo tribui possunt, *secundum id quod est completionis in eis*, uti s. Bonaventura ait [3], seu, uti s. Thomas locutus est, *secundum differentias completivas* [4], hoc est ex ea parte, quatenus perfectionem denotant: puta cum Deus dicitur substantia ex ea parte, quatenus substantia *esse in se*

---

nem cum forma, illam autem cum materia habere advertit. « Ex « diversa analogia ad formam, penes materiam distinguuntur di« versa rerum genera »; *Super Boët. De Trin.*, q. II, a. 2 c.

[1]) *Op. cit.*, ibid. n. 50. — [2]) *De Ente et Essentia*, c. 11.

[3]) *Declaratio terminorum theologiae*; cf *Breviloq.*, part. I, c. 4.

[4]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 3 c.; cf I, q. XXVIII, a. 1 c.

denotat, quin in Eo, quemadmodum in rebus creatis, *esse* ab essentia distinguatur, aut cum dicitur Deus *aliquid agere*, licet actio in Eo, secus ac in rebus creatis non sit accidens, sed ipsa essentia Eius [1].

Quod si repugnat ullam categoriam stricte, et proprie sumtam in Deum cadere, eo magis repugnat, Deum esse huiusmodi categoriam, quae caeterarum subiectum sit. Atque in primis, si categoriae finitae essent peculiares quaedam determinationes, sub quibus categoria suprema se ipsam manifestat, exinde duo consectaria fluerent, scilicet subiectum posse seipsum determinare, et Absolutum esse determinationis capax. Atqui haec duo consectaria, uti ante ostensum est [2], perabsurda sunt. Perabsurdum igitur est Deum esse subiectum omnium categoriarum. Adhaec, si Absolutum simul est categoria per se, et subiectum, cui ceterae categoriae insunt, *esse* quo Absolutum *actu* est, de Eo simul *absolute*, et *relate* praedicari oporteret; absolute, quatenus esset categoria per se, et relate, quatenus est subiectum ceterarum categoriarum, quia determinationes Absoluti, cum secundum ipsum Heghelium fluxae sint, non aliter, quam relate, intelligi possunt. At vero, hocce consectarium, non secus ac alia duo, quae diximus, perabsurdum est; si quidem, cum nihil de subiecto, uti saepe diximus [3], praedicari queat, nisi illud, quod i-

---

[1]) S. Bonaventura demonstravit quinque priores categorias consideratas, prout Deo conveniunt, reduci ad duo, scilicet ad substantiam, et relationem, earumque prima Vnitatem Dei, et altera Trinitatem Personarum constitui. « Praedicamenta quinque ulti« ma, ait, non sunt in Deo, quia pertinent proprie ad corpo« ralia. Praedicamenta quinque ultima attribuuntur Deo figura« tive. Praedicamenta quinque prima, secundum id, quod est com« pletionis in eis, sunt in Deo, et reducuntur ad duo, scilicet sub« stantiam, et relationem. Ideo dicuntur duo modi praedicandi in « divinis, scilicet per modum substantiae et relationis » (*Decl.* etc. l. c.). « Et hic est, alibi subdit, quod substantia continet unitatem, « et relatio multiplicat Trinitatem, et ideo manent ibi tantum duo « modi praedicandi differentes »; *Brevil.*, loc. cit. Idem s. Thom. ll. cc. docuit. Hoc innuisse satis sit; qui plura nosse cupit, Theologos Scholasticos adeat. — [2]) P. 315 sqq. — [3]) Cf p. 336.

psi inesse intelligitur, aliquod *esse* relatum in Absolutum cadere posse tenendum foret. Hoc autem notioni Absoluti omnino repugnat, propterea quod, cum in Absoluto *essentia*, et *esse* unum, idemque sint, *esse*, quo Absolutum est, non potest esse nisi absolutum. Ergo absurdum est Deum esse simul categoriam, et subiectum, cui categoriae secundae insunt. Accedit, quod, si ita res se haberet, uti Heghelius contendit, in Absolutum simul contraria caderent; si quidem et non omnes categoriae sibi consentiunt, et in nonnullis categoriis contraria occurrunt.

Neque absolutum categorias, quae circa res creatas versantur, tamquam genus species, complecti quit, sive species *potentia*, sive *actu* genere contineri dicantur. Nos iam evicimus contra Giobertium, aliosque nuperos Philosophos species *potentia* esse in genere, non *actu*; unde secundam hypothesim silentio praeterire possemus. At lubet dare utrumque, ne ullum vel absurdum effugium exitiali huic errori patescat. Itaque, si priorem opinionem amplectaris, fateri debes in secundis categoriis aliquid entis esse, quod in suprema non est. Nam, si species *potentia*, et non *actu*, genere continentur, ipsae ex genere effici non possunt, nisi per aliquam differentiam, quae adiecta generi ipsum genus dividit, et speciem constituit. Sed quaelibet differentia aliquid entis est; id enim, quod non est, neque genus dividere, neque species efficere quit [1]. Ergo, si suprema categoria categorias secundas *potentia* continet, necesse est, ut unaquaeque categoria secunda ex suprema per aliquid entis ipsi additum efficiatur. Iamvero, Absoluto nihil entis addi potest, propterea quod, uti saepe dictum est, Ipsum omne *esse* continet. Ergo, si teneas genus species potentia contiuere, pro re absurda habere debes categorias creatas Absoluto, tamquam species genere, contineri.

Sin alteram opinionem tuearis, fateri cogeris *esse*, quo

[1]) Cf p. 277.

essentiae creatae *actu* sunt, re ipsa non distingui ab *esse*, quod est essentia Dei. Nam, si categoriae creatae sunt *actu* in Deo, diversi modi entis, quos categoriae secundae denotant, sunt ipsum *esse* Dei, proindeque ipsa suprema categoria, quae Deus est. Verum, categoriae secundae, ipsius Giobertii sententia, a categoria suprema re ipsa distinguuntur. Ergo, etiamsi genus species *actu* continere dicatur, categorias ad Deum, tamquam species ad genus, pertinere pro absurdo habendum est.

Ceterum, quocumque modo genus intelligatur, semper repugnat Absolutum esse *categoriam-genus*. Namque in primis, Absolutum cum relativo confunderetur, quia genus, uti ostendimus [1], quocumque modo explicetur, nequit intelligi, nisi relatum ad species. Praeterea, Absolutum contingentis natura contineretur, quippe quod species essentiam generis, quocumque modo genus intelligatur, aliquo modo determinatam continet [2]. Denique, ne plura dicamus, ens pro summo genere poneretur; cum enim categoriae secundae denotent quosdam peculiares modos, secundum quos essentiae rerum actu sunt, Absolutum, nonnisi quatenus ens est, *categoria-genus* esse potest. Atqui perabsurdum est 1° notionem Absoluti esse relativam, ut per se patet; 2° Absolutum contingentis natura contineri, quia notiones absoluti, et relativi se mutuo tollunt; 3° ens esse summum genus, uti ostensum est [3]. Ergo Deum, sive Absolutum esse *categoriam-genus* perabsurdum est.

Inscite autem Heghelius idealismum Kantii, et Giobertius pantheismum Heghelii vitasse adblanditi sibi sunt. Certe, Heghelius idealismum non vitavit. Re vera, ipse non modo legibus cogitationis, quas Kantius pro categoriis habuit, sed etiam ipsi subiecto cogitanti realitatem denegavit; si quidem non solum sensit categorias nonnisi positiones quasdam esse, per quas cogitatio seipsam constituit, sed etiam contendit subiectum, quod

---

[1]) P. 234, et 235. — [2]) Cf p. 279. — [3]) Cf p. 334.

cogitat, non esse, nisi ipsam cogitationem, cuius categoriae sunt peculiares positiones. Quocirca idealismo imperfecto, sive *subiectivo* Kantii idealismum *absolutum* suffecit. Ast, ipse non modo non vitavit idealismum, sed etiam in pantheismum ruit. Si enim positiones cogitationis non aliud sunt, quam ipsum subiectum cogitans, quod seipsum sub phaenomenis, seu *apparentiis* materiae, et spiritus producit, nonnisi unum, idemque re vera existit, quod primo in se est *absolutum*, sive *Idea*, dein extra se egrediens est *materia*, tum demum in se rediens est *spiritus*.

Giobertius vero pantheismum Heghelii minime effugit. Nam, cum categorias, prout res sunt, considerat, absolutum, ut modo diximus, cum relativo confundit, Deum eiusdem naturae, ac mundum, facit, atque *esse* Dei ab *esse* rerum creatarum genere haud discriminat. Cum vero categorias considerat, prout ideae sunt, non aliud intelligibile humanae menti, quam divinum, tribuit. Et sane, ipse docet categorias, per quas intellectus noster Deum, et mundum intelligit, esse ipsasmet categorias, quas Deus in se continet, et per quas Deus se ipsum, et mundum intelligit. Iam, si ita res se haberet, Deum, et hominem unum, idemque ens esse oporteret, propterea quod ubi unum, idemque est intelligibile, atque unum, idemque est medium, quo ipsum intelligitur, unus est intellectus, et unus intellectus unum subiectum intelligens arguit. Ergo Giobertius categorias et prout res sunt, et prout sunt ideae, ita exponit, ut nihil pantheismo similius fingi queat. Sed de aliis multis huius giobertianae doctrinae noxis alias plura.

Ex his, quae adversus Heghelium, et Giobertium disputavimus, nullo negotio colligis, primo non posse omnes categorias, quemadmodum Cousinius sensit, ad absolutum, et contingens revocari. Si enim res ita esset, absolutum, et contingens denotarent duos peculiares, et diversos modos, quibus res extra animam sunt, et quibus *esse* de rebus praedicari potest. Atqui id de neutro

dici potest. Ergo omnes categoriae ad absolutum, et contingens revocari nequeunt. Duas partes assumptionis probare in promptu est. Quod ad primam attinet, secundum aliquem peculiarem modum *esse* illis convenit, quae *esse* suum ab alio excipiunt, quia, cum quidquid recipitur, iuxta Scholae effatum, secundum modum recipientis recipiatur, sequitur omne, quod esse suum ab alio recipit, non aliter *esse* posse recipere, quam prout essentia, seu natura eius fert. « Vbicumque, s. Thomas ait, est aliquid receptum, oportet ibi « esse modum, cum receptum limitetur secundum reci« piens [1] ». Atqui absolutum, seu Deus *esse* suum ab alio non recipit, quippe quod, cum in Eo *esse* ab essentia non distinguatur, ipsum est *esse* quod per se, seu per essentiam suam subsistit, et non est *esse*, quod alicui essentiae advenit. « In essentia autem divina, idem « Aquinas subdit, non est aliquid in alio receptum, eo « quod esse eius est ipsa divina natura subsistens, quod « in nulla re alia contingit [2] »; atque alibi: « Ipsum esse « Dei distinguitur, et individuatur a quolibet alio es« se, per hoc ipsum, quod est esse per se subsistens, « et non adveniens alicui naturae, quae sit aliud ab i« pso esse [3] ». Ergo absolutum aliquem modum specialem essendi denotare nequit. Praeterea, si absolutum aliquem modum specialem essendi denotaret, *esse* eius ad aliquod genus cogeretur, ideoque non foret infinitum. Atqui *esse* Absoluti, seu Dei, eo quod est per se, et ab alio non receptum, ad nullum genus entis cogitur, sed, ut s. Thomas inquit, *totius esse perfectionem* habet. « Esse eius (*Dei*), « ita sanctus Doctor, est infinitum, in quantum non est « limitatum per aliquid recipiens [4] »; et rursus: « Esse di« vinum. . . est esse infinitum, non limitatum ad ali« quod genus entis, sed praehabens in se totius esse per-

[1]) *Qq. dispp., De Ver.*, q. XXI, a. 6 ad 5.
[2]) *Quodlib.* VII, a. 1 ad 1.
[3]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 2 ad 5.
[4]) I, q. XXV, a. 2 c.

« fectionem [1] ». Ergo absoluto aliquem specialem modum essendi denotari, repugnat [2]. Quod vero ad alteram partem spectat, nulla categoria res, prout contingentes sunt, per se denotare potest. Nam contingentia est modus generalis, quo *esse* cunctis rebus creatis convenit. Atqui categoriae diversos modos denotant, quibus *esse* rerum creatarum limitari intelligitur. Ergo tenendum est contingens non esse categoriam, sed omnes categorias diversos modos denotare, secundum quos *esse* rebus contingentibus convenit. Ex quibus vides Cousinium post Andronicum Rhodium vehementer deceptum esse, quod omnes categorias Aristotelis ad duas, nempe contingens, et Absolutum, revocavit.

Secundo, intelligis quoque relationem non posse statui pro principio categoriarum, uti Renouvierio visum est. Hic, ni fallimur, ex eo falsus est, quod vidit categorias denotare diversos modos, quibus praedicatum ad subiectum refertur. At vero, ipse illud non advertit, quod saepe innuimus, scilicet relationem praedicati cum subiecto non esse realem, sed logicam, quia « Relatio, « uti observat s. Thomas, secundum rationem suam non « habet, quod ponat aliquid in eo, de quo dicitur, sed « ponit tantum habitudinem ad aliud [3] », proindeque relationem non posse aliquid ad cognitionem subiecti capessendam conferre, nisi in ipsa natura subiecti fundetur. Quare, non possumus cognoscere, quomodo aliquod praedicatum ad subiectum referatur, nisi cognoscamus, quomodo illud *esse*, quod praedicatum denotat, in subiecto sit, neque idcirco cognoscere omnes modos, quibus praedicatum ad subiectum referri quit, nisi cognoscamus omnes modos, quibus essentiae in natura rerum

---

[1]) *Ibid.*, a. 3 c.

[2]) Cf p. 317, not. 2, et p. 321.

[3]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, q. I, a. 1 c. Cuius rei sanctus Doctor hanc causam assignavit, quod « Ratio relationis est ex respectu ad alterum »; *In lib. III Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 5 ad 2.

esse queunt. Iam, si diversi modi, quibus praedicatum ad subiectum refertur, fundamentum habent in diversis modis, secundum quos *esse* de subiecto praedicari potest, non relationem, sed ens, in quo relatio fundatur, esse principium categoriarum pro certo habendum est. Hinc tantum abest; quemadmodum alias ostendemus, ut relatio sit principium, per quod categoriae dividuntur, ut nulla relatio esse queat, quae in aliqua categoria fundamentum non habeat. Id s. Thomas, quasi opinionem Renouvierii prae oculis habuisset, saepe monuit. « Relatio omnis, ipse scribit, fundatur supra quantitatem, « ut duplum, et dimidium, vel supra actionem, et pas- « sionem, ut faciens ad factum, pater, et filius, do- « minus, et servus, et huiusmodi [1] ». Et rursus: « Di- « cendum, quod relatio praesupponit distinctionem alio- « rum generum, utpote substantiae, et quantitatis, quan- « doque etiam actionis, et passionis [2] ».

Ea vero, quae adversus Kantium, aliosque nuperos Philosophos disputavimus, satis, superque evincunt, ens, quod per categorias dividitur, non esse aliud, quam *esse actuale*, seu *esse existentiae*, nempe illud, quod, ut Caïetanus ait, *esse*, et *essentiam*, sive essentiam secundum quemdam modum essendi determinatam complectitur. Nam, si ens, quod per categorias dividitur, non est illud, quod veritatem compositionis in enunciatione significat, uti Kantius cum aliis sensit, neque illud, quod essentiam rerum simpliciter significat, quodque res ipsas in suis speciebus et generibus constituit, uti Heghelio, et Giobertio placuit, dubitari nequit, quin sit *esse actuale*, propterea quod, praeter duas illas priores acceptiones entis, nonnisi haec tertia existit. Re sane vera, ens, quod est principium categoriarum, non aliter, quam pro actuali ente accipiendum esse in primis ex ipsa natura, et obiecto logices perspicere licet.

---

[1]) I, q. XXVIII, a. 4 c.
[2]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VIII, a. 3 ad 12.

Enimvero logica, ut in *Prolegomenis* diximus, tota quanta est, in illud intendit, ut instrumenta ad rerum scientiam assequendam inquirat, et exponat. At res, quae in natura sunt, non solum ex *esse*, aut solum ex *essentia*, sed ex *essentia*, et *esse* constant, quia quidquid existit in natura rerum, quodcumque tandem sit, sive substantia, uti homo, sive accidens, uti color, essentiam rei secundum peculiarem modum entis determinatam exhibet. Ergo, si logica de categoriis agit, ut per ipsas diversos modos exponat, secundum quos aliquid de subiecto praedicatur, categoriae non circa aliud ens, quam quod *esse*, et *essentiam* complectitur, sive circa *esse actuale* versentur necesse est. Atque ex hoc capite tractatus de categoriis ab aliis duobus de enunciatione, et de definitione distinguitur. Etenim tractatus de enunciatione ens discutit, quod veritatem compositionis in enunciatione significat, et tractatus de definitione ens, quod notionem essentiae in se denotat, quia definitio essentiam rei complectitur.

Sed ad penitiorem huius rei intelligentiam iuvat illud memoria revocare, quod saepe innuimus, quodque in *Idealogia* copiose exponemus, nimirum quanam via intellectus notionem entis, quod est principium categoriarum, assequatur. Intellectus noster quidquid cognoscit, principio sub communi notione entis intelligit. Nam, cum perfecta notitia uniuscuiusque rei non ex simplici intuitione intellectus, sed ex discursu rationis in mente efficiatur, et prima actio mentis nostrae intuitio, non discursus sit, consequitur mentem nostram illud primum in rebus intelligere debere, quod omnium maxime commune in rebus ei occurrit, quia cognitio rerum, quae ex principiis communibus ipsarum gignitur, imperfecta est. Id certe cuique ex suipsius contemplatione innotescere debet. Quisquis enim experiri nullo negotio potest se, quoties res externas contemplatur, in primis non aliud cognoscere, quam illas esse quaedam entia, sive *actu* in natura esse, deinde, cum in singulas seorsum mentis aciem inten-

dit, paullatim detegere, quid sit illud ens, quod unamquamque rem sive in se consideratam, sive cum aliis comparatam constituit. Iamvero, quandoquidem intellectus in rerum notionibus conficiendis, priusquam res in suis naturis cognoscat, illas sub notione communi entis intelligit, efficitur, ut super notiones primas rerum reflectens, ipsasque inter sese conferens, omnes communes modos, quibus ens per illas divisum exhibetur, inquirat, et enumeret. Ad rem s. Thomas: « Illud, quod primo cadit in in- « tellectu, est ens. Vnde oportet. quod unicuique ap- « prehenso per intellectum intellectus attribuat hoc, quod « est ens [1] ». Communibus modis entis perspectis, perspicit omnes communes modos, quibus aliquid de subiecto praedicari potest, quia, uti saepe dictum est, quilibet modus praedicandi certo modo essendi respondet. Hi autem communes modi, seu summa genera praedicationis sunt, quibus nomen categoriarum inditum est. Haec de origine idealogica categoriarum Alb. M., s. Thomae, aliorumque Scholasticorum sententia fuit. Namque, cum ipsi animadverterent ens esse illud, quod primum intellectus in rebus perspicit, et sub cuius communi ratione res in primis intelligit, a notione entis profecti, tot categorias, ut inferius dicemus, enumeraverunt, quot modis essentias rerum *actu* esse in natura intellexerunt.

Iamvero, si haec est vera origo categoriarum, perspicuum est 1° ens, quod est principium categoriarum, esse *ens actuale*, si quidem ens, quod intellectus per categorias dividit, est *ens actuale*, nempe illud, quo res *actu* sunt. Id omnes Scholastici docent, et inculcant. Enimvero s. Thomas sexcenties dixit *esse*, quod per praedicamenta dividitur, non esse illud, quod essentiam abstractam generis, aut speciei indicat, neque illud, quod copulam enunciationis continet, sed illud, quod est actu in rerum natura, sive a quo denominatur aliquid

[1]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. XXI, a. 4 ad 4. Cf p. 386.

ens actu in natura. « Alio modo, ait sanctus Doctor, di-
« citur actus entis in quantum est ens, idest, quo deno-
« minatur aliquod ens actu in rerum natura ; et sic
« esse non attribuitur, nisi rebus ipsis, quae in decem
« generibus continentur, unde ens a tali esse dictum
« per decem genera dividitur [1] ». Id a magistro suo Alberto M. didicerat ; qui aperte scripsit ens, quod substantiam, aliasque categorias, quae, ut mox dicemus, accidentia substantiae sunt, esse ens *actu existens*. « Cum autem, subdit, dicitur ens absolute, non intelligi-
« tur, nisi ens actu existens ; et ideo non sequitur,
« si substantia est, ens est: quia esse ens accidit omni
« ei, quod est : accidit enim omni ei, quod actu esse
« potest [2] ».

Et, ne de cunctis dicamus, Henricus, Gandavensis pro principio categoriarum non *esse essentiale*, sed *esse actuale*, seu *esse actualis existentiae* admisit. Ipse enim, *esse*, quod copula enunciationis est, amovit, quia, huiusmodi *esse* non in ipsis rebus, sed tantum in intellectu est [3]. Reiecit quoque *esse essentiae*, sive *esse*, quod essentiam abstractam generis, aut speciei constituit, quia, cum esse essentiae ab ipsa essentia ne in rebus creatis quidem distinguatur [4], sequeretur categorias significare di-

---

[1]) *Quodlib.* IX, a. 3 c. Atque alibi: « Hoc nomen ens, secundum « quod importat rem, cui competit huiusmodi esse, sic significat « essentiam rei, et dividitur per decem genera, non tamen univo-« ce, quia non eadem ratione competit omnibus esse, sed substan-« tiae quidem per se, aliis autem aliter »; *Quodlib.* II, a. 3 c. Cf I, q. XLVIII, a. 2 ad 2; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 3 c., et a. 7 c. et *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, q. I, a. 3 ad 2.

[2]) *De Praedicab.*, tract. III, c. 3.

[3]) « . . . tale esse non est in ipsis rebus, sed in compositione in-« tellectus »; *Op. cit.*, art. XXVIII, n. 4.

[4]) « . . . dico actualis existentiae, quia (*essentia*) cum ipsa facit « compositionem in creatura, non autem ab esse essentiae, quia « illud est proprius actus eius essentialis, sicut vivere est actus vi-« tae in vivente. Vnde in creatura ex essentia, et esse essentiali « non est aliqua compositio, sicut neque in vivente ex vivere, et « vita »; *Ibid.* n. 7.

versas essentias rerum, non vero diversos modos, quibus ens rebus creatis convenire intelligitur, de iisque praedicatur. Contra ea, quandoquidem in rebus creatis *esse existentiae*, seu *actuale* ab *esse essentiae* distinguitur [1], *esse existentiae* considerari potest, tanquam aliquid, quod in rebus creatis et secundum substantiam, et secundum diversa accidentia eius determinatur.

Quae cum ita sint, liquet Rosminium iniuria Stagiritae obiecisse, quod ens reale, quemadmodum a praedicabilibus, ita a praedicamentis exterminavit, quia illud ens, quod Stagirita per categorias dividi in 5 *Met.* dixit, non est aliud, quemadmodum Scholastici iure optimo contenderunt, quam *esse actuale*, sive *ésse*, quo res actu sunt, ob idque *esse reale.* Nisi quod ipse censuit ens per categorias dividi non tanquam genus per species, uti Rosminio placuit, sed tamquam per diversos modos essendi. Et scite. Nam categoriae, uti s. Thomas argumentatus est, secundum diversos modos, quibus esse actuale rerum repraesentant, inter sese differunt. Atqui illud, quo species differunt, non est genus illarum, quia genus totum est in singulis speciebus. Categoriae igitur non referuntur ad ens, tamquam species ad genus. « Sciendum est enim, sanctus Doctor scribit, quod « ens non potest hoc modo contrahi ad aliquod determinatum, sicut genus contrahitur ad species per differentias. Nam differentia, cum non participet genus, est « extra essentiam generis. Nihil autem potest esse extra « essentiam entis, quod per additionem ad ens aliquam « speciem entis constituit. Nam quod extra ens est nihil est, et differentia esse non potest. Vnde in tertio huius probavit Philosophus quod ens genus esse non pot-

---

[1]) « . . . et sic, quia extra intentionem essentiae rei creatae est « suum esse actuale. . . ideo contingit, quod in omni creatura sit « compositio ex essentia, et esse, ut sit esse intentio alia extra in- « tentionem essentiae, et quasi accidentalis ei secundum modum « praedicatum »; *Ibid.* n. 8.

« est [1] ». Quamobrem idem Aquinas docuit unamquamque categoriam non addere entis notioni aliquam differentiam, tamquam generi, neque aliquod accidens, tamquam subiecto, sed dumtaxat determinatum modum, ita ut ipsae ad ens referantur, non tamquam species ad genus, nec tamquam accidentia ad subiectum, sed tamquam diversi modi, secundum quos et esse, et intellectu comprehendi potest. « Enti, ait, non potest addi aliquid quasi extranea « natura per modum, quo differentia additur generi, « vel accidens subiecto, quia quaelibet natura essentialiter est ens; unde etiam probat Phil. in 3 *Met.*, quod « ens non potest esse genus [2] ». Vnde ipse locum *Met.*, quem modo adduximus, exponens, subdit, « oportet, quod « ens contrahatur ad diversa genera secundum diversum « modum praedicandi, qui consequitur diversum modum « essendi ». Et luculentius alibi: « Ens contrahitur per « decem genera, quorum unumquodque addit aliquid « supra ens, non aliquid accidens, vel aliquam differentiam, quae sit extra essentiam, sed determinatum modum essendi, qui fundatur in ipsa essentia rei [3] ».

Nemo vero existimet ens esse genus, quia ipsum in ens, quod est per se, nempe *substantiam*, et in ens, quod est in alio, nempe *accidens* dividitur; haec enim, uti Boëtius monuit, non est divisio stricte sumta, scilicet quae per species fit, sed potius quaedam *enumeratio* [4]. Sanctus Damascenus id subtili argumentatione probavit, quae huc redit : Si substantia, et accidens ens, tamquam genus, dividerent, oporteret totum ens, sive, ut ipse inquit, *totam entis definitionem* tum notione

---

[1]) *In lib. V Met.*, lect. IX. Cf s. Bonav. *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, part. 2, a. 1, q. 4 resol. Cf p. 320-322.

[2]) *Qq. dispp., de Verit.*, q. I, a. 1 c. Cf *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. 1, a. 1, *sol.* 1 ad 2, et *Cont. Gent.*, lib. I, c. 25.

[3]) *Qq. dispp., de Verit.*, q. XXI, a. 1 c.

[4]) « Divisio fere est generis in species; praedicamentorum vero « quoniam genus unum non habent, divisio esse non potest, sed « potius enumeratio »; *Praedic.*, c. 4.

substantiae, tum notione accidentis contineri, quippe quod in unaquaque specie, uti ostensum est, tota essentia generis invenitur [1]. Atqui nec substantiae, nec accidenti tota definitio entis convenit, sed aliam partem definitionis entis substantia, aliam accidens continet. Ergo ens genus dicendum non est ex eo quod in substantiam, et accidens dividitur. Non possumus, quin verba sancti Patris afferamus : Quamquam cum substantia, tum accidens scindantur ab ente, haud tamen ens genus eorum est. Nam illa entis quidem nomen recipiunt, at non item definitionem. Ens quippe in hunc modum definiunt. Ens aut est quod per se subsistit, nec re alia, ut existat, opus habet; vel est quod per se non potest esse, sed in altero suum esse habet. Substantia autem illud tantum est quod per se existit, nec alia re, ut subsistat, opus habet. En substantia totam entis definitionem non accipit: nec proinde ens genus est respectu substantiae ; species enim integram generis sui definitionem absque ulla diminutione suscipit. At nec accidens entis species est : neque enim integram entis definitionem recipit, sed dimidiam partem dumtaxat. Accidens quippe res est, quae per se esse non potest, sed solum in altero suum esse habet. En quo pacto nec substantia integram entis definitionem suscipiat, nec accidens . . . Quapropter licet ens in substantiam, et accidens dividatur, eorum tamen genus non est [2] ».

At memoria hic repetamus oportet Scholasticos, si negarunt ens esse genus categoriarum, ipsum ens pro principio habuisse, a quo categoriae derivantur. Sane, Alb. M., uti diximus, luculenter docuit ens de categoriis praedicari *praedicatione principii*, *non generis*, propterea quod, cum intellectus per illas secundum quemdam ordinem successionis *esse actuale* rerum effici intelligat, *esse actuale*, tamquam illarum principium

[1]) Cf p. 275. — [2]) *Dialect.*, c. 10.

considerat, illudque, quamvis non sit aliquid commune categoriis, sed per categorias divisum, ante categorias intelligit [1].

2° Evidens est veras categorias, quales eae sunt, quae ab ente actuali deducuntur, non esse notiones intellectus omni reali vi destitutas, sed notiones, quae in ipsis naturis rerum fundamentum habent. Enimvero, quoniam notiones primae naturas rerum repraesentant, consequitur notiones secundas, quas intellectus ex primis efformat, naturis rerum consentaneas esse. Perbelle ad hanc rem s. Thomas inquit : « Ens « dividitur in decem praedicamenta non univoce, sicut « genus in species, sed secundum diversum modum es- « sendi. Modi autem essendi proportionales sunt modis « praedicandi. Praedicando enim aliquid de altero dici- « mus hoc esse illud; unde et decem genera entis di- « cuntur decem praedicamenta [2] ». Et sane, quandoquidem in cunctis naturis rerum distinguere licet cum essentiam, cui esse convenit, tum modum, quo *esse* ei convenit, notiones primae, quae ipsas repraesentant, utrumque continere debent. Quocirca, cum intellectus, super notiones primas reflectens, exquirit communes modos, quibus ipsae *esse actuale* rerum repraesentant, categoriasque constituit, re ipsa diversos modos cogno-

---

[1]) Vid. locum *De Praedicab.*, tract. IV, c. 3, quem p. 398-399 excripsimus. Ex quo B. Doctor conficit ens non praedicari absolute de singulis categoriis, sed secundum illud, quod unaquaeque categoria est: « Patet ergo, quod cum dicitur, substantia est « ens, ens, quod praedicatur, est idem, quod substantia, quia « simpliciter ens non est, nisi substantia » (*Ibid.*). Praeceptori suo s. Thomas adstipulatus est: « Cum ens praedicetur analogice « de decem generibus, dividitur in ea secundum diversos modos. « Vnde unicuique generi debetur proprius modus praedicandi »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, q. 1, a. 3 ad 2; cf I, q. XIII, a. 10 ad 4, et *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 2 ad 1.

[2]) *In lib. XI Met.*, lect. IX. Illud, ut inferius dicemus, *univoce* praedicari dicitur, quod eadem ratione de pluribus praedicatur, puta *animal* de *homine*, et *bellua*.

scit, quibus naturae rerum *esse actualis* participes sunt; ex quo consequitur categorias in ipsis naturis rerum fundamentum habere [1]. Quod cum firmum, indubiumque sit, rursus inde intelligere potes Rosminium falsum esse, quod scripsit Aristotelem in categoriarum recensione ens reale praetermisisse; si quidem, huius sententia, categoriae omnes modos denotant, secundum quos ens actu in natura esse quit. Revera, Stagirata et expresse scripsit quolibet praedicamento id significari, quod in rebus est, et, si ipsas in logica, tamquam notiones tractavit, in Metaphysica ipsis communia genera entium significari demonstravit [2].

3° Intelligis quoque Aristotelem, et, qui eum secuti sunt, Scholarun Doctores in categoriarum investigatione ita se gessisse, ut oppositos scopulos, in quos Kantius, et Heghelius inciderant, perbelle vitarent. Illi enim, cum haec duo, nempe naturam, et fundamentum categoriarum accurate distinxissent, neque ideas cum rebus confuderunt, neque res ad ideas revocarunt, sed discrimen inter res, et ideas, sive, uti hodiernis germanis loqui placet, inter *ideale*, et *reale* sartum tectum reliquerunt. Enimvero, principium proximum, a quo Scholastici cum Stagirita categorias derivarunt, procul dubio quidquam ideale est, cum sint opus intellectus illas ex notionibus primis efformantis; sed principium remotum est reale, quia notiones primae reales, et objectivae sunt.

Ex his duobus alia duo colliguntur. Quorum primum est in germana sententia Stagiritae exponenda aberrasse tum Kantium, et Heghelium, qui contendunt Aristotelem in categoriis enumerandis nulli principio institisse, tum Tennemanum, et Ritterum, qui Aristotelem categorias ex abstracto effato contradictionis elicuisse arbitrantur. Quod enim ad primum attinet, Stagirita, quoniam categorias, tamquam diversos modos entis consideravit, certe ens ipsum actuale pro unico illarum principio habuit. Quod

---

[1]) Cf p. 375 et 376, et . — [2]) Cf p. 383, et p. 397.

autem ad alterum spectat, animadvertendum est principio contradictionis inniti primam divisionem entis in *ens per se*, quod est substantia, et in *ens per aliud*, quod est accidens, quia haec divisio entis ad affirmationem, et negationem revocatur, sed hanc divisionem, uti s. Thomas advertit, in notione entis absolute sumti fundamentum habere [1], si quidem intellectus nequit intelligere ens esse posse aut per se, aut per aliud, nisi ens ipsum absolute, et simpliciter intellexerit. Iam, ex his patet effatum contradictionis esse principium, seu medium, per quod divisio categoriarum fit, atque ens absolute spectatum esse principium, ex quo divisio sumitur, quia hoc illius fundamentum est. « Praedicabile de aliquo, Alber« tus M. ait, aut est substantia, aut est accidens, et haec « divisio est per opposita immediate, quae reducuntur « ad affirmationem, et negationem, sicut ens per se, et « non per se [2] ». Itaque Aristoteles effatum contradictionis non adhibuit, tamquam principium, ex quo categoriae fluunt, sed tamquam medium, quo prima divisio categoriarum efficitur.

Alterum est, Trendelenburgium rem acu haud tetigisse, quod vinculum, quo categoriae continentur, nonnisi in rationibus grammaticis sermonis agnovit. Enimvero, haec sententia sane vera foret, si categoriae, uti post nonnullos veteres, et mediae aetatis Peripateticos recentibus Sensistis placuit, nonnisi voces essent, arsque ratiocinandi non aliud esset, quam ars recte loquendi. Nam, cum vocum combinationes ad grammaticen pertineant,

---

[1]) Haec sunt praeclara verba sancti Doctoris: « In his, quae in « apprehensione hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam « illud, quod primo cadit in apprehensione, est ens, cuius intelle« ctus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit. Et « ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est si« mul affirmare, et negare, quod fundatur supra rationem entis, et « non entis: et super hoc principio omnia alia fundantur, ut dici« tur in *IV Met.* »; 1ª 2ae, q. XCIV, a. 2 c.

[2]) *Praedicam.*, lib. I, tract. I, c. 6.

vinculum categoriarum nonnisi structura sermonis, quae obiectum grammatices est, suppeditare posset. At, quandoquidem categoriae sunt notiones intellectus, et voces non gignunt illas, sed manifestant, liquet vinculum, quo categoriae continentur, non existere in rationibus grammaticis, nisi quia inter notiones existit, proindeque grammaticen illud vinculum non producere, sed tantum corporeo vinculo sermonis vestire. Itaque nos non abnuimus categorias inter se aptas, colligatasque in grammatice occurrere, sed contendimus illas hanc connexionem in grammatice habere, eo quod ipsam habent in intellectu, cum grammatice illam non pariat, sed qualem intellectus nanciscitur, manifestet. Iamvero, quandoquidem logicus non vocum quae res significant, uti grammaticus, sed notionum, quae res repraesentant, cognitioni studet, ei non illud vinculum, quod categoriae in grammatice, sed illud, quod in intellectu habent, inquirendum est. Nihilominus cognitio rationum grammaticarum sermonis, quemadmodum in reliquis quaestionibus logicis, uti dictum est, ita in hac etiam maximo adiumento erit.

ARTICVLVS NONVS

De elementis, ex quibus singulae categoriae constant, deque ipsarum numero, et distinctione

Postquam principium nacti sumus, ex quo categoriae fluunt, facile invenire nobis licet elementa, ex quibus categoriae constant, necnon ipsarum numerum, et distinctionem. Equidem, quandoquidem principium categoriarum est *ens actuale* rei, necesse est, ut quaelibet categoria aliquem peculiarem modum *entis actualis*, sive essentiam rei secundum aliquem modum essendi determinatam significet. Iam, si quaelibet categoria peculiarem modum entis actualis significat, oportet quamlibet categoriam ex iis principiis constare, ex quibus *ens actuale* constare intelligitur. Atqui in ente actuali absolute considerato duo, ut ante

diximus, distinguenda sunt, scilicet *essentia*, et *esse* eius, si quidem in qualibet re creata essentia ab *esse* distinguitur [1]. Quaelibet categoria igitur ex aliqua essentia, et ex modo peculiari essendi eius constare debet.

Quod cum ita sit, liquet essentiam absolute spectatam, quae *res* dicitur, esse principium materiale categoriae, et modum, quo essentia est, esse principium formale ipsius [2]. Re vera, essentiae, ex quibus categoriae constant, absolute consideratae, ab se non differunt; si quidem, cum notio essentiae absolute consideratae nonnisi aliquid indeterminatum, cui plures, diversique modi essendi convenire queunt, denotet, simplex, et uniusmodi est. Ergo non aliter differre possunt, quam secundum diversos modos essendi, quibus intellectus ipsas determinari intelligit. Iam, quoniam principium materiale uniuscuiusque rei est illud, quod ei cum aliis commune est, formale vero illud, quo a reliquis differt, consequitur essentiam absolute spectatam, seu *rem* esse materiam, et modum, quo essentia est, seu *ens* esse formam categoriae [3]. Ad hoc, quod e Scholarum Magistris, praesertim Henrico Gandavensi, mu-

---

[1]) Cf pp. 387, et 401.

[2]) Cf p. 400, not. 2. Essentia absolute spectata a Scholasticis *res* nuncupata fuit. « In hoc, ait s. Thomas, differt (*res*) ab ente.... « quod ens sumitur ab actu essendi, sed nomen rei exprimit quid- « ditatem, sive essentiam entis » (*Qq. dispp., De Ver.*, q. I, a. 1 c.; cf *Cont. Gent.*, lib. I, c. 25, et *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 1 c.). Hinc Henricus Gand. de substantia loquens scripsit ipsam esse « praedicamentum quasi compositum quid ex re, et esse suo, « quod est quasi accidens ei »; *Op. cit.*, art. XXXII, q. 5, n. 17.

[3]) Ne cuiusquam mentem confusio subeat, advertendum est cum s. Thoma aliam esse notionem absolutam essentiae, quae *res* dicitur, aliam notionem alicuius essentiae specialis, puta *humanitatis*, atque utramque a notione entis distingui. « Sciendum est, « ait, quod hoc nomen, Homo, imponitur a quidditate, sive a na- « tura humana: et hoc nomen, Res, imponitur a quidditate tan- « tum; hoc vero nomen, Ens, imponitur ab actu essendi »; *In lib. IV Met.*, lect. II.

[4]) « Esse, s. Thomas inquit, est illud, quod est... formale respe- « ctu omnium, quae in re sunt »; I, q. VIII, a. 1 c.; cf *In lib. II Sent.* Dist. I, q. I, a. 1 c., et *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 2 ad 9.

tuati sumus, declarandum, iuvat exemplum sumere ex categoriis substantiae, et accidentis, in quas ens categoricum in primis dividitur. Et sane, essentia tum in categoria substantiae, tum in categoria accidentis est principium materiale, quippe quod utrique categoriae commune est habere essentiam; *esse* autem est principium formale, quia essentia substantiae determinatur per *esse*, quod non est in alio, et essentia accidentis per *esse*, quod est in alio, sed ipsae ab se non differunt ex eo, quod aliquam essentiam habent, sed ex eo, quod essentia substantiae non habet *esse* in alio, et essentia accidentis habet *esse* in alio. Ex quo vides 1° in categoriis esse duplex elementum, nempe essentiam, et *esse*; 2° categorias non differre secundum essentias absolute spectatas, quia in essentiis absolute consideratis nihil occurrit, ex quo una ab altera differt, sed secundum diversos modos, quibus *esse* essentiis ipsarum convenit, hoc est secundum ipsarum essentias diversis modis determinatas [1].

Quod si quaelibet categoria ontologice considerata duo habet elementa, quae diximus, consentaneum est, ipsam logice consideratam ex duabus intentionibus effici, sci-

---

[1] Vid. locum s. Thomae, quem adduximus p. 322, not. 1. Ex his perspicere potes Scholasticos haud sibi contradixisse, eo quod categorias *secundum essentias* inter se distingui, atque unum *esse* ab alio secundum diversitatem naturae differre docuerint. Certe, Henricus Gandav. scribit: « ... secundum essentias rerum est distinctio praedicamentorum, et ordinatio uniuscuiusque eorum » (*Op. cit.*, art. XXXII, q. 5, n. 16); et s. Thomas: « Per hunc modum hoc esse ab illo esse distinguitur, in quantum est talis, vel talis naturae » (*Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 2 ad 9). Ast advertendum est categorias, si inter se comparentur, differre secundum essentias, quia, cum eadem essentia in diversis categoriis secundum diversos modos determinata existat, multiplex re vera, et diversa in ipsis est; unde qualibet res per suam essentiam in certo genere poni dicitur. Contra ea, si categoriae ad essentiam absolute spectatam, quam determinant, referantur, ipsas secundum *esse* distingui dicendum est, quippe quod, prout diversi sunt modi essendi, quibus essentiam, seu *rem* determinari intelligimus, diversae categoriae existunt.

licet ex intentione, quae fertur in essentiam, seu rem, et ex intentione, quae fertur in modum, quo *esse* essentiae, vel rei convenit, ita ut alia sit in qualibet categoria logice considerata intentio rei, alia intentio modi, quo *esse* rei convenit. E. g., in categoria substantiae intellectus intelligere potest illud, quod dicitur res, quin illud esse in alio, aut non esse in alio, intelligat [1]. Quemadmodum autem modus essendi est proprie id, quod categoriam logice consideratam constituit, ita intentio, quae in modum essendi fertur, categoriam logicam efficit. Advertendum porro est, unum esse terminum realem utriusque intentionis, eumque esse essentiam rei secundum aliquem modum essendi determinatam, quia nulla res est, quae non peculiarem modum essendi habeat. At vero, quandoquidem essentia, et *esse* rei inter se re ipsa distinguuntur, intellectus noster potest *esse* ab essentia seiunctum considerare, diversosque modos inquirere, quibus *esse* essentiae convenire potest. Ex quo vides distinctionem duarum intentionum esse logicam, sed in ipsa natura rerum fundamentum habere. Advertendum etiam est omnes categorias, tamquam accidentia, considerari. Nam, cum unaquaeque categoria aliquem modum denotet, quo intellectus *esse*, quod naturae subiicitur, intelligit, efficitur, ut *esse* naturae subiectum, tamquam aliquid, quod naturae inest, consideretur, proindeque, uti s. Thomas monuit, *quasi* accidens, seu *per quamdam similitudinem* accidens sit, et dicatur. *Quasi accidens*, et non simpliciter accidens consulto inquimus. Namque *esse* non est accidens eo modo, quo est accidens id, quod substantiae opponitur, sed ex eo quod pars essentiae non est,

---

[1]) Hinc s. Thomas scite monuit nomine *rei* aliquid intelligi, quod omnes categorias praetergreditur, proinde convenire cum absolutis, cuiusmodi substantia est, tum relativis, cuiusmodi omne accidens est. « Dicendum, ait, quod res est de transcendenti- « bus, et ideo se habet communiter ad absoluta, et ad relata »; *In lib. I Sent.*, Dist. II, q. I, a. 5 ad 2.

essentiaeque, tanquam actus potentiae, *accidit*. « Ac- « cidens, ipse scribit, dicitur large omne, quod non est « pars essentiae, et sic est esse in rebus creatis [1] »; atque alibi: « Dicendum, quod esse est accidens, non « quasi per accidens se habens, sed quasi actualitas cuius- « libet substantiae [2] ». Addatur, maioris perspicuitatis gratia, hic alius locus: « Dicendum, quod esse non dicitur « accidens, quod sit in genere accidentis . . . , sed per « quamdam similitudinem, quia non est pars essentiae, « sicut nec accidens [3] ». Hac ratione Avicenna, quem Henricus Gandavensis laudavit, advertit ea, quae sunt peculiarium scientiarum, puta aliquam substantiam, vel aliquod speciale accidens, tanquam accidentia in Metaphysica, et, ut nobis licet adiicere, in Logica considerari, quia singula obiectu specialia scientiarum in Metaphysica, et in Logica, tamquam specialia accidentia, et modi entis in universum considerati, tractantur [4].

Ex his nullo negotio colligere potes, quid sit, quod categoriam efficit, et quid sit, quo una ab altera differt. Quidquid est, ex principio *potentiali*, seu materiali, quod ei cum aliis commune est, et ex principio *actuali*, seu formali, per quod ab aliis discriminatur, efficitur. Atqui essentia absolute spectata, seu *res*, ut modo demonstravimus, est principium materiale, et *esse* est principium formale categoriae. Ergo quaelibet categoria ab essentia, seu *re*, et *esse* efficitur. Praeterea, unaquaeque res ab aliis per principium suum formale discriminatur, quia per ipsum in sua specie constituitur. Atqui *esse*, ut modo etiam ostendimus, est principium formale cu-

---

[1]) *Quodlib.* XII, a. 5 c.—[2]) *Quodlib.* II, a. 3 ad 2.

[3]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. V, a. 4 ad 3.

[4]) « Avicenna, scribit Henricus, loquendo de subiectis aliarum « scientiarum, quae sunt substantia haec, vel illa, accidens hoc, « vel illud respectu entis simpliciter, quod est subiectum Meta- « phys., dicit quod de quibus tractatur in aliis scientiis, fiunt ac- « cidentia in hac scientia, quoniam sunt dispositiones, quae ac- « cidunt ad esse, et divisiones eius »; *Ibid.*, a. XXVI, q. II, n. 8.

iuslibet categoriae, quia essentia per *esse* suum in speciali categoria constituitur. Ergo una categoria ab altera discriminatur ex eo quod aliud est esse unius, aliud autem esse alterius, sive ex eo, quod essentiae alio modo in una, alio modo in altera *esse* convenit. Haec duo Gandavensis expressis verbis docuit in hoc loco, quem ante laudavimus: « Ex quibus duobus, scilicet ex re praedicamenti, et ratione essendi eius, quae est ratio praedicamenti constituitur ipsum praedicamentum, et diversificatur unum praedicamentum ab alio [1] ». Itaque tot diversae categoriae admittendae sunt, quot sunt diversi modi, secundum quos *esse* essentiae convenire, et intelligi potest [2].

Verum, ut quid sit, quo categoriae constituuntur, et ab se differunt, clarius patescat, e re est inquirere, quanam ratione ens, quod principium categoriarum esse vidimus, ipsis categoriis conveniat. Quandoquidem categoriae ex eo differunt, quod diversos modos entis actualis continent, neque quidquam in eis esse quit, quod non est ens, consequitur ens, quod de ipsis praedicatur, aliquid reale ipsis commune esse non posse; alioquin ipsae ex eadem ratione entis differrent, et convenirent. Enimvero, *esse* substantiae aliud est, ac *esse* accidentis, quia substantia habet *esse*, quod non est in alio, et accidens *esse*, quod est in alio [3]. Item ex ipsis categoriis, in quas accidens dividitur, unaquaeque aliter, quam reliquae, *esse* in alio habet, quia singulae, praeter rationem communem accidentis, quod est inesse, rationem propriam specialis accidentis, hoc est specialem modum inhaerendi habent [4]. Quod si ens, quod de categoriis praedicatur, non est

---

[1]) *Op. cit.*, art. XXXII, q. V, n. 15. Cf loca eiusdem Henrici, et s. Thomae, quae p. 400, not. 2, laudata nobis sunt.

[2]) Cf ll. cit. in art. praec. *passim*.

[3]) « . . . substantia, ait s. Thomas, est ens, tamquam per se habens esse, accidens vero tamquam cuius esse est inesse »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 7 c. Cf p. 411, not. 1, et p. 415, not. 1.

[4]) « In unoquoque novem praedicamentorum, inquit s. Thomas,

aliquid reale eis commune, liquet non dari conceptum entis realis cunctis categoriis communem. Nam, cum aliud sit *esse* substantiae, et aliud *esse* accidentis, intellectus ens creatum intelligere nequit, nisi intelligat substantiam, aut accidens, quia reapse nihil reale est, quod alterutrum non sit. « Omnis res, s. Thomas scribit, « vel est substantia, vel accidens [1] ».

Ex quibus patet ens per categorias dividi non ex eo, quod singulae categoriae aliquid addunt enti, quod est praeter essentiam illius, sed ex eo, quod ens secundum quemdam peculiarem modum contrahunt. « Sunt enim, s. Tho- « mas inquit, diversi gradus entitatis, secundum quos acci- « piuntur diversi modi essendi, et iuxta hos modos acci- « piuntur diversa rerum genera; substantia enim non « addit supra ens aliquam differentiam, quae significet « aliquam naturam superadditam enti; sed nomine sub- « stantiae exprimitur quidam specialis modus essendi, « scilicet per se ens; et ita est in aliis generibus [2] ». Et sane enti universali, ut idem Aquinas docuit, nihil addi potest, quod sit extra essentiam illius, quia nulla res in natura est, quae non sit aliquod ens. At, quandoquidem unaquaeque categoria certum, et peculiarem modum entis significat, exinde fit, ut intellectus unamquamque illarum aliquid addere conceptui entis, atque ens per unamquamque illarum quodammodo contrahi intelligat. « Non aliter potest esse, subdit, quod super ens univer- « sale aliquid addat aliquid primo modo. . . Nulla enim « res naturae est, quae sit extra essentiam entis univer- « salis . . . Secundo autem modo inveniuntur aliqua ad- « dere super ens, quia ens contrahitur per decem gene- « ra, quorum unumquodque addit aliquid super ens [3] ».

« duo invenio, scilicet rationem accidentis, et rationem propriam « illius generis »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 3 c. Cf s. Ioan. Damasc. *Dialect.*, c. 36.

[1]) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VIII, a. 2 c.

[2]) *Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. I, a. 1 c. Cf pp. 398, not. 2, et 413.

[3]) *Op. cit.*, q. XXI, a. 1 c.

Atque alibi: « Dicendum, quod substantia, quantitas, et « qualitas, et ea, quae sub eis continentur, contrahunt « ens, applicando ens ad aliquam quidditatem, seu na- « turam [1] ».

Gandavensis id planius explicaturus, advertit nos res principio sub confusa notione entis intelligere, cum non aliud de rebus principio intelligamus, quam quod ipsae sunt; deinde autem, cum singularum rerum cognitioni studemus, quid ipsae sint, hoc est, naturas illarum perspicere; tum, quandoquidem res principio nonnisi sub confusa notione entis cognoscimus, inde effici, ut deinceps quidquid in rebus intelligimus, tamquam *esse* intelligamus, proindeque diversas naturas illarum, tamquam diversos modos τοῦ *esse*, atque ipsum τὸ *esse* veluti per diversas naturas contractum concipiamus. Neminem piget aurea Henrici verba legere: « . . . huius- « modi est natura nostrae cognitionis a sensu acce- « ptae, quod semper ab indeterminato incipiat, sicut « et ipse sensus per naturam semper sensibilia sub esse « indeterminato prius concipit, quam sub esse determi- « nato, licet quandoque simul duratione concipiat in- « determinatum simul cum determinato . . . Sicut e- « nim sensus de veniente a longe prius cognoscit quod « sit corpus, quam quod sit anima, et prius, quod sit « animal, quam quod sit homo, et prius, quod sit ho- « mo, quam quod sit Sortes; sic et intellectus semper « intelligit de quocumque prius natura, etsi non sem- « per prius tempore, quod sit ens, quam quod sit hoc « ens, et quod bonum, quam quod hoc bonum, et « quod ens, quam quod sit substantia, et sic de cete- « ris gradibus intelligendi, semper prius intelligendo u- « niversalia confusa magis particularibus et determina- « tis, et sic universaliter, quanto intelligibile magis est « indeterminatum, tanto naturaliter prius ipsum intel- « lectus noster intelligit [2] ».

---

[1]) I, q. V, a. 3 ad 1; cf *In lib. I Sent.*, Prolog., a. 2 ad 2.
[2]) *Ibid.*, art. XXIV, q. VII, n. 5. Cf pp. 409, et 410.

Si esse de categoriis non praedicatur, tamquam aliquid reale ipsis commune, eo minus, tamquam aliquid reale commune, de Deo, et de categoriis praedicari potest. Quamvis acerrima lis, quae circa hanc rem inter Philosophos exarsit, alias dirimenda nobis sit; tamen aliquid de ipsa in praesentia innuere e re erit, ut Pantheistarum, aliorumque, qui eis favent, systemata de categoriis erroris magis, magisque redarguantur. Principio, si *esse* esset aliquid reale commune Deo, et categoriis, Deum, et res ab Eo creatas in aliqua re reali convenire oporteret. Atqui hoc est absurdum, quia inter infinitum, et finitum, atque inter illud, quod est a se, et illud, quod est ab alio, nulla proportio naturae est. Ergo *esse* de Deo, et categoriis, tamquam aliquid reale ipsis commune, praedicari absurdum quoque est. Apposite Henricus a Gandavo: « Quare « cum multo minus in aliquo uno reali conveniant Creator, et creatura, quam duae creaturae, substantia scilicet « et accidens, immo multo plus distet ratio essendi « Creatoris a ratione essendi creaturae, quam differt ratio essendi unius creaturae a ratione essendi alterius, « nullo modo ens potest esse aliquod commune reale « Deo et creaturae; et ideo absolute dicendum, quod « esse non est aliquid commune reale, in quo Deus communicet cum creaturis, et ita si ens, aut substantia « praedicatur de Deo, et creaturis, hoc est sola nominis « communitate, non rei [1] ».

Praeterea, si *esse* esset aliquid reale Deo, et rebus creatis commune, oporteret in Deo *esse* ab essentia distingui, quemadmodum revera in rebus ab Eo creatis distinguitur; alioquin diversa ratione Deo, et creaturis conveniret, proindeque commune ipsis esse non posset. Atqui in Deo *esse* ab essentia seiungi non potest, quia *esse* et essentia in eo unum sunt. Rursus igitur patet omnino repugnare, quominus ens reale sit Deo, et creaturae commune. Audiatur rursus Henricus:... « Si Deus

[1]) *Op. cit.*, art. XX, q. II, n. 6.

« in essentia differret a creatura, et conveniret cum ipsa « in esse, necessario in Deo alia intentio, qua est ens, et « alia, qua est Deus, etsi idem esset re, sicut alia est « intentio, qua Socrates convenit cum asino, in quan- « tum est animal, et in quantum differt ab eodem, in « quantum est homo, etiamsi sit una forma simplex, « qua est homo, et qua est animal [1] ».

Accedit his, quod Deus, et res ab Eo creatae, quemadmodum suo loco ostendemus, secundum ipsam rationem entis differunt, quia Deus est *esse* a se, et res ab Eo creatae habent *esse* ab alio. Iamvero, si secundum ipsam rationem entis differunt, ens nequit esse aliquid reale ipsis commune, quippe quod « quaecumque, aien- « te s. Thoma, non conveniunt in uno genere genera- « lissimo non potest de eis aliquid univoce dici [2] ». Ergo *esse* de Deo, et de rebus ab Eo creatis tamquam aliquid ipsis commune, praedicari non potest [3].

Hinc scite Henr. Gand. docuit intellectum non posse conceptum realem entis sibi conficere, quin illud aut Deum, aut creaturam esse concipiat, neque conceptum entis creati, quin concipiat esse aut substantiam, aut accidens. Nam, si ens, quod Deus est, aliud est, quam quod sunt res creatae, atque inter ipsas res creatas aliud est *esse* substantiae, et aliud *esse* accidentis, liquet non posse existere conceptum realem entis simpliciter dicti, qui Deo, et rebus creatis ab Eo communis est, aut conceptum entis creati, qui omnes modos determinatos entis complectitur [4].

---

[1]) *Op. cit.*, art. XXI, q. III, n. 11.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, q. 1, a. 2 *sed contra.*

[3]) Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 7 c.

[4]) « Omnis ergo conceptus realis, quo aliquid rei concipitur con- « cipiendo esse simpliciter, aut est conceptus rei, quae Deus est, « aut quae creatura est, non alicuius communis ad utrumque » (*Op. cit.*, art. XXI, q. II, n. 14). Idem sibi voluit s. Bonaventura, cum ait: « Esse tale (*propter generalitatem*) nihil est habens distinctum « a rebus creatis »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, p. 2, a. 1, q. 4 *resol.*

Fortasse dicet quispiam : Nos possumus intelligere *esse*, quod est Deus, et *esse*, quod est creatura, quin consideremus Deum esse hoc *esse*, et res ab Eo creatas esse hoc *esse*, atque hoc pacto *esse* ambobus commune intelligere ; quemadmodum, si consideraverimus Petrum esse hominem, et Paulum esse hominem, quin consideremus Petrum esse hunc hominem, et Paulum esse hunc hominem, notionem hominis Petro, et Paulo communem conficiemus. At vero, advertendum est, hoc, quo *esse* Dei ab *esse* creaturae distinguitur, haud significare aliquid additum τῷ *esse* Dei, aut τῷ *esse* creaturae, sive aliquid, quo *esse* Dei, aut *esse* creaturae cum *esse* Dei comparatum determinatur, sed significare totum id, quod est *esse* Dei, et totum id, quod est *esse* creaturae. Nam, quoniam « per ipsum suum esse, ut Aquinas inquit, Deus differt a quolibet alio esse [1] », *esse* Dei non secundum aliquid, sed secundum totum, quo est, ab *esse* creaturae distinguatur necesse est. Quapropter non possumus *esse* Dei, aut *esse* creaturae intelligere, quin ipsum hoc *esse* intelligamus. Contra ea, si consideremus Petrum esse hominem, et Paulum esse hominem, quin consideremus Petrum esse hunc hominem, et Paulum hunc hominem, notionem hominis utrique communem habebimus, si quidem, cum humanitas eadem in utroque sit, Petrus non distinguitur a Paulo ex eo quod est homo, sed ex eo quod est hic homo, et non ille homo, qui est Paulus, scilicet non quod humanitatem habet, sed quod hanc, secus ac in Paulo, determinatam habet.

Alia rationis momenta omittimus, cum de hac controversia alias agendum nobis sit. Hactenus dicta, ni fallimur, sufficiunt, ut ens, quemadmodum de singulis categoriis, ita de Deo, et de categoriis, tanquam aliquid reale ipsis commune, praedicari non posse concludamus.

At vero; quandoquidem *esse* ex eo quod diversis modis contrahitur, diversas categorias efficere intelligimus

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 2 ad 4.

oportet, ut ipsum, prout diversis modis contrahitur, diversis vocibus significemus, quia « modus significandi, uti s. Thomas monuit, in dictionibus, quae a nobis rebus imponuntur, sequitur modum intelligendi [1] ». Hinc *esse*, quod est *per se*, essentiae additum, dicimus *substantiam esse*, quod autem est in alio, essentiae additum, *accidens*, et, si est in alio, tamquam eius dispositio, *qualitatem*, si tamquam quod ad aliud *esse* ordinem habet, *relationem*; Deum vero esse simpliciter dicimus, propterea quod, cum in Deo essentia et *esse* unum sint, *esse* « simpliciter, et absolute dictum de solo divino esse intelligitur [2] ».

Ex his perspicis ens, seu *esse*, quod principio sub intellectum cadit, esse *ens indeterminatum*, scilicet sine ulla determinatione apprehensum, propterea quod, quamvis nullum *esse* existat, quod non sit aut *esse* increatum, nempe Deus, aut aliquod *esse* creatum, sive sit substantia, sive accidens, tamen nos possumus concipere *esse* indeterminate, et confuse, hoc est, quin concipiamus esse aut illud, quod est Deus, aut illud, quod est aliqua res creata. Hoc perbelle Gandavensis nos monuit hisce verbis: « sive concipiatur aliquid, quod est res divina, sive quod est creatura, tamen, cum concipitur « esse absque eo quod determinate et distincte concipitur esse Dei, vel creaturae, illud non concipitur, nisi « indeterminate, scilicet non determinando intellectum « ad esse, vel non esse creaturae [3].

Si huius rei causam quaeras, s. Thomas tibi reponit ipsam in eo positam esse, quod notio entis communis non expostulat, neque ut aliquid sibi addatur, neque ut non addatur, sed ad utrumlibet se habet; alioquin nihil ipsi addi intelligi posset, per quod ad naturam aliquam contrahatur. « In intellectu enim entis, inquit, non includitur ista conditio sine addi-

---

[1]) *Ibid.* ad 7.—[2]) *Qq. dispp., De Ver.*, q. II, a. 3 ad 16. Vid. Henr. Gand. *Op. cit.*, art. XXIV, q. III, n. 7; et s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. 1, a. 1 c.—[3]) *Op. cit.*, art. XXI, q. II, n. 14.

« tione ; alias nunquam posset sibi fieri additio , quia « esset contra rationem entis ; et ideo commune est, « quia in sui rationem non dicit aliquam additionem; « sed potest sibi fieri additio , ut determinetur ad pro- « prium [1] ». At, si notio entis in se spectati ullam additionem nec requirit, nec repudiat , sane ens sine ulla determinatione intelligere possumus. Iamvero , cum haec indeterminatio entis nihil ponat in rebus , consequitur *esse* rerum , quod de Deo , et de rebus ab Eo creatis praedicatur , non esse aliquid reale commune Deo , et creaturis [2], neque aliquid reale commune diversis creaturis , sed esse nomen , quod per se, et in primis notionem entis indeterminati significat , et , cum ad Deum, et ad res creatas accommodatur , Deum , et res creatas secundum diversas rationes significat [3]. Si enim *esse* indeterminatum intelligitur esse ipsum *esse subsistens*, quod nullius determinationis est capax, *esse*, quod Deus est , intelligitur ; si quidem Deus , cum sit ipsum *esse* per se , ideoque totum *esse* , re vera est *esse* indeterminatum negative , scilicet eiusmodi , ut nihil ipsi addi queat, per quod ad aliquem modum entis determinetur [4]. Contra ea, si *esse* indeterminatum intelligatur esse illud, quod non est ipsum *esse per se*, sed est quaedam similitudo τοῦ *esse per se* certe illud *esse* intelligitur , quod

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 1 ad 1; cf *De Ente et Ess.*, c. 6, et *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 2 ad 6.

[2]) Hinc Aquinas ait: « esse divinum, quod est Eius substantia, « non est esse commune, sed est distinctum a quolibet alio esse »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 2 ad 4.

[3]) « Ad primum ergo dicendum, quod aliquid, cui non fit addi- « tio, potest intelligi dupliciter: Vno modo, ut de ratione eius sit, « quod non fiat ei additio: sicut de ratione animalis irrationalis est, « ut sit sine ratione: Alio modo intelligitur aliquid, cui non fit ad- « ditio, quia non est de ratione eius, quod sibi fiat additio; sicut « animal commune est sine ratione, quia non est de ratione anima- « lis communis, ut habeat rationem, sed nec de ratione eius est, « ut careat ratione. Primo igitur modo, esse sine additione est esse « divinum; secundo modo, esse sine additione est esse commune »; I, q. III, a. 4 ad 1. — [4]) Cf p. 317, not. 2, et p. 321.

in diversis naturis creatis secundum diversos modos determinatur : omnes enim naturae creatae similitudinem entis increati, quod primum, et universale illarum principium est, diversis modis prae se ferunt. « Illa, s. Thomas ait, quae sunt a Deo, assimilant ei, inquantum « sunt entia, ut primo, et universali principio totius esse [1] ».

Quisquis haec parumper consideraverit, nullo negotio perspiciet 1° nomen entis absolute acceptum Deo duntaxat convenire, quia, quemadmodum s. Thomas advertit, hoc nomen *Qui est*, quod ipsemet Deus sibi dedit, *esse* absolutum, sive totum significat, cum reliqua omnia ens *particulatum*, sive aliquid entis denotent [2].

2° Nomen entis neque Deo, et rebus creatis, neque diversis rebus creatis secundum communem significationem tribui, sed secundum significationem propriam, et immediatam, si quidem aliud *esse* immediate significat, cum Deo, aliud cum rebus creatis; itemque aliud, cum substantiae, aliud cum accidenti tribuitur, ita ut ens, quemadmodum ex Gandavensi antea diximus [3], Deo, et creaturis *sola communitate nominis*, *nulla rei* tribuatur.

3° Nomen entis, si non secundum communem significationem, certe secundum aliquam analogiam, sive similitudinem Deo, et rebus ab Eo creatis convenire. Nam Deus proprie, et primo dicitur *esse*, quia suum *esse* ab alio non habet, sed est ipsum suum *esse* ; res creatae autem nominantur *esse*. quia *esse* a Deo habent, ideoque ipsius *esse* divini similitudinem prae se ferunt. In

---

[1]) I, q. IV, a. 3 c. Vid. hac de re Henr. Gand., *Op. cit.*, art. XXIV, q. 7, n. 9, 10.

[2]) « . . . alia omnia nomina dicunt esse determinatum, et particulatum; sicut sapiens dicit aliquid esse; sed hoc nomen *Qui* « *est*, dicit esse absolutum, et indeterminatum per aliquid addi« tum; et ideo dicit Damascenus, quod non significat quid est Deus, « sed significat quoddam pelagus substantiae infinitum, quasi non « determinatum » (*In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 1 ad 4). Locus Damasceni, quem sanctus Doctor laudavit, extat *De Fide Orth.*, lib. I, c. 9.

[3]) Pag. 426.

rebus creatis autem *esse* primo de substantia dicitur, quippe quod substantia, etsi *esse* habeat ab alio, tamen illud habet in se, et non in alio; deinde de accidente, quia, cum accidens substantiae inhaerent, *esse* eius ab *esse* substantiae pendet [1]. « Et secundum « hunc modum, concludit Gandavensis, ens communissime dictum primo significat Deum, secundario « substantiam, sicut ens creatum primo significat substantiam, secundario accidens, sed alio et alio modo « attributionis [2] ».

Cum haec ita sint, facile vides ens non praedicari de Deo, et categoriis, neque de ipsis categoriis *univoce*, quia non secundum communem rationem, neque *aequivoce*, quia non sine aliquo ordine unius ad aliud, sed *analogice*, nempe secundum aliquam similitudinem, qua res creatae cum Deo, et diversa genera accidentium cum substantia habent [3]. Hinc s. Augustinus asseruit res creatas non omni-

---

[1]) « Vnde notandum circa hoc, quod est alia ratio entis, et in- « tentio eius, scilicet quod est commune analogum Creatori, et « creaturae, et eius, quod est proprium creaturae, et analogum « substantiae et accidenti. Ens enim analogum Creatori et crea- « turae est ens communissime dictum, et sub intentione simpli- « cissima sine omni additione concepta. Et dividitur per puram « negationem, et affirmationem sic. Entium quoddam est non ab « alio existens, quoddam est ab alio existens. Primum ens est « ens per essentiam, quod est Deus, qui non est, nisi esse, nega- « tio enim illa nullius rei determinationem apponit. Secundum « ens est ens per participationem, quod est creatura, quae est a- « liquid participans esse, per quod in ipsa fit ipsius esse deter- « minatio . . . Vnde ens analogum substantiae, et accidenti non « est ens communissime dictum, et simplicissimum, sed est ens « sub determinatione, idest ens, quod est aliquid participans esse, « quod dividitur in substantiam, et accidens per esse in subiecto, « et non esse in subiecto, ut dictum est »; *Op. cit.*, art. XXI, q. II, n. 14. — [2]) *Op. cit.*, art. XXI, q. II, n. 7.

[3]) Quapropter subdit idem Gandav., et si talis imitatio non esset « esse creaturae ad esse Creatoris, nulla diceretur esse inter ea com- « munitas in ente, nisi vocis solum, et esset ens pure aequivocum ad « Creatorem, et creaturam, cum modo sit analogum, ut dictum est, « secundum etiam quod et accidens, quia participat esse per sub-

no esse, quia non sunt id quod Deus est, nempe *esse* Dei non habent, nec omnino non esse, quia similitudines τοῦ *esse* Dei sunt. « Et inspexi, scribit, cetera infra « Te, et vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. « Esse quidem, quoniam abs Te sunt; non esse autem, « quoniam id, quod es, non sunt [1] ». Ex quo illud etiam intelligis, cur nomen *esse*, quod est, ut ait s. Thomas [2], nomen *propriissimum* Dei, etiam rebus ab Eo creatis tribuatur, et vicissim nomina rerum creatarum proprie de Deo dicantur. Nam, cum esse de Deo et de rebus ab Eo creatis non *aequivoce* hoc est secundum rationem omnino diversam, sed *analogice*, hoc est secundum quamdam similitudinem dicatur, nomen Dei rebus creatis, et vicissim nomina rerum creatarum Deo quodammodo tribui posse tenendum est [3].

Postquam, quid categoriam constituat, quidque unam categoriam ab alia discriminet, in universum novimus, necesse est, ut numerum, et distinctionem categoriarum inquiramus. Qua quidem in re sententiam Aristotelis, quae nobis, post s. Augustinum, s. Damascenum, aliosque Patres, et Doctores mediae aetatis, prae ceteris probatur, dumtaxat exponemus, et tuebimur. Stoicorum, et Plotini, aliorumque platonicae doctrinae Interpretum opiniones de numero, et naturis categoriarum, vel passim, vel ad calcem huius tractatus quam brevissime expendemus, cum ipsae parum, aut nihil momenti contineant.

« stantiam, quia est dispositio eius, ideo est aliqua communicatio « analogiae eorum in ente, quae quidem non esset, si accidens non « habeat esse per substantiam, sed per esse non existendo in sub- « stantia »; *Op. cit.*, art. XXI, q. 2, n. 19. Hoc ipsum s. Thomas docuit, cum in permultis locis, tum in Prologo ad *lib. I Sent.* (q. I, a. 2 ad 2), in quo sic conclusit: « creatura enim non habet esse, nisi « secundum quod a primo Ente descendit, unde nec nominatur ens, « nisi in quantum Ens primum imitatur », et cum eo, ne de cunctis dicamus, s. Bonaventura consensit (*In lib. I Sent.*, Dist. VII, a. 1, q. 4 *resol.*). — [1]) *Confess.*, lib. VII, c. 11, n. 17.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 1 c.

[3]) Cf s. Thom., I, q. XIII, a. 5.

Kantii denique, aliorumque nuperorum placita, quippe quae cum fere cunctis philosophiae controversiis arcte connectuntur, hic praeteribimus, eaque in aliis huius operis locis, in quibus occasio se nobis offeret, ad examen revocabimus.

Iam, ad aristotelicam enumerationem categoriarum declarandam Albertus M., s. Thomas, et Henricus Gand. brevem, tritamque viam nobis straverunt. Hi omnes argumentati sunt fere in hunc modum : Primus conceptus intellectus circa esse communiter sumtum versatur, et quoniam enti opponitur *non ens*, intellectus ex eo, quod intelligit ens, intelligit etiam non ens. Iamvero, per comparationem conceptus entis ad conceptum non entis intellectus efformat illud omnium primum iudicium : *non potest aliquid de aliquo simul asseri, et negari* ; si quidem illi, quod est, aut non est, affirmatio, aut negatio in intellectu respondet. Itaque intellectus, antequam ad divisionem entis progrediatur, iam novit non posse de eodem existere simul affirmationem, et negationem. Hoc autem iudicio innixus primam divisionem entis invenit; quippe quod omnis divisio fit per opposita, et omnis oppositio per affirmationem, et negationem progreditur. Scite igitur s. Thomas inquit: « Divisio formalis fit per opposita, cuius prima radix est « oppositio affirmationis, et negationis. Nam illa dividuntur ad invicem ; quae ita se habent, quod hoc non « est illud. Primum igitur intelligitur ipsum ens, et ex « consequenti non ens, et per consequens unum, quod « divisionem privat, et per consequens multitudo, in « cuius ratione cadit divisio [1] ».

Vt vero, quaenam sit haec divisio, patescat, advertendum est opposita circa idem versari; ea enim, uti antea

---

[1]) *In lib. IV Met.*, lect. III; cf I, q. XI, a. 2 ad 4. Ex quo rursus illud intelligere potes, quod ante monuimus, Stagiritam categorias non fortuito enumerasse, sed effato contradictionis usum fuisse non tamquam principio, sed tanquam norma, secundum quam ex notione entis communis deducuntur. Cf p. 417.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

innuimus, sibi invicem opponuntur, quorum unum ponit illud idem, quod alterum tollit. Iam, quoniam illud, quod per categorias dividitur, est ens, liquet oppositum versari oportere circa aliquem modum entis, ita ut illum modum entis una pars divisionis ponat, altera neget. Cuius rei ratio haec est, quod, cum notio entis, prout ens est, sit omnino simplex, non alia oppositio in illam cadere potest, nisi quae modos spectat. Praecipui modi vero, uti ex Alberto M. ante diximus [1], sunt non esse in alio, tamquam subiecto, et esse in alio, tamquam subiecto. Et sane, intellectus non solum intelligit res, sed etiam intelligit ipsas *esse* suum ab alio accipere, propterea quod, quoniam res, quotquot sunt, *esse* suum ex se non habent, illud ab alio accipiant necesse est. Iam, intellectus, si omnes res *esse* suum ab alio recipere intelligit, illud quoque intelligit, res *esse* suum vel in se, sive non in alio, vel in alio recipere. Quocirca, ipse primam divisionem entis efficit in essentiam, seu, ut Scholae quoque aiunt, in rem, cui convenit non esse in alio, et in essentiam, seu rem, cui convenit esse in alio. Id autem ex ipsa rerum natura colligitur. Revera omnia, quae in natura rerum occurrunt, ex eo in primis distinguuntur, quod aut habent *esse* in se, uti *homo*, aut in alio, puta *album*. Ex quo fit, ut intellectus notionem entis, quam ex circumspectione rerum confecit, evolvens, in primis intelligat *esse* posse rei convenire, vel in se, et non in alio, vel in alio. Illud, quod habet *esse* in se, nomen *substantiae*, et illud, quod in alio, nomen *accidentis* accepit. Prima igitur divisio entis est in *esse* substantiale, et *esse* accidentale, ob idque primae categoriae sunt *substantia*, et *accidens*. Apposite s. Augustinus: « In rebus creatis, « atque mutabilibus quod non secundum substantiam « dicitur, restat ut secundum accidens dicatur [2] ».

Quandoquidem accidens non habet *esse* in se, sed in

---

[1]) Cf p. 417, nec non Henric. Gandav., *Op. cit.*, art. 1, q. XII, n. 9.
[2]) *De Trinit.*, lib. V, c. 4, n. 6; cf *ibid.*, lib. VII, c. 5, n. 10.

substantia, *esse* accidentale ab *esse* substantiali pendere, proindeque *esse* verius, et prius substantiae, quam accidenti, convenire manifestum est. Id s. Thomas nos docuit multis in locis, ex quibus seligimus hunc: « Illud pro-« prie dicitur esse, quod ipsum habet esse, quasi in suo « esse subsistens. Vnde solae substantiae proprie, et ve-« re dicuntur entia: accidens vero non habet esse, sed « eo aliquid est, et hac ratione ens dicitur: sicut albe-« do dicitur ens, quia ea aliquid est album. Et propter « hoc dicitur in *VII Met.*, quod accidens dicitur magis « entis, quam ens [1] ».

Aristoteles non solum ens in substantiam, et accidens divisit, sed etiam novem esse genera accidentis docuit. Verum, quamvis haec in suis libris non semel recensuisset, tamen, cur non plura, nec pauciora novem sint, nunquam explicuit. B. Albertus M. hanc explicationem nobis suppeditavit: quapropter eum ducem sequemur. In antecessum monendum est, categoriam substantiae nonnisi unicam esse posse. Re vera, conceptus substantiae, uti inferius dicemus, duo complectitur, scilicet esse essentiam, cui convenit non esse in alio, et esse subiectum accidentium. Atqui ex utroque capite categoria substantiae nonnisi unica esse potest. Ex primo quidem. Nam, conceptus τοῦ *non esse in alio*, per quod essentiam esse substantiam intelligimus, simplex, et unicus est. Atqui, si conceptus τοῦ *non esse in alio*, per quod essentiam esse substantiam intelligimus, simplex, et unicus est, oportet unicum esse modum, quo esse cunctis substantiis convenire intelligimus. Ergo categoria substantiae nonnisi unica esse potest. Item ex secundo. Nam substantia, eo quod est subiectum accidentium, est primus modus essendi, cui ceteri modi

---

[1]) I, q. XC, a. 2 c. Vid. quoque *Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. XXVII, a. 1 ad 8, ubi asseruit, quod « accidentia, quia non sub-« sistunt, non est eorum proprie esse, sed subiectum est aliquale « secundum ea, unde proprie dicuntur magis entis, quam en-« tia »; et *Quodlib.* IX, a. 3 c., in quo probavit, quod « Esse . . . « proprie et vere non attribuitur, nisi rei per se subsistenti ».

essendi incumbunt. Atqui id, quod est primum in unaquaque serie, nonnisi unicum esse potest. Ergo categoria substantiae nonnisi unica esse potest.

At vero, accidentis plura sunt genera. Etenim, cum res creatae, in quas categoriae cadunt, aliquam compositionem necessario habeant, et inter se arcte connectantur, aliquid essentiae, seu rei creatae inesse potest tum ex diversis elementis, quae illam constituunt, tum ex diversis modis, quibus ad alias res comparatur. Re vera, uti Albertus M. animadvertit, ex eo quod quaelibet res creata aliquod principium materiale habet, in ipsam categoria *quantitatis* cadit, quia ipsa ratione materiae capax divisionis, extensionis, et numerationis est, atque ex eo, quod habet aliquod principium formale, in ipsam cadit categoria *qualitatis*, quia qualitas est dispositio substantiae ad quasdam operationes, et forma est principium, per quod substantia aliquid agit. Haec duo accidentia *absoluta* sunt, quia ipsa aliquid denotant, quod substantiae per se, sive *absolute* consideratae inest. Ex eo autem, quod substantia ad aliud comparatur, diversa alia accidentia oriuntur, quae *relata* vocantur, quia substantia per ea ad aliud refertur [1]. Vt huiusmodi accidentia cognoscantur, substantia consideranda est et tanquam principium, et tamquam terminus relationis. Si priori modo consideretur, quatuor accidentia nobis occurrent, nimirum *relatio*, *actio*, *passio*, et *situs*. Nam, si accidens, per quod substantia ad aliud comparatur, ex tota substantia promanat, *relatio* est. Hoc modo creatura ad Creatorem, vel filius ad patrem se habet. Si dumtaxat ex principio formali substantiae, est *actio*, quia forma est principium, per quod substantia aliquid agit. Si tantum ex princi-

---

[1]) Albertus M. advertit accidens absolutum esse illud, quod de substantia *secundum inesse*, sive, ut paulo post ait, *secundum absolute inesse*, praedicatur, atque accidens relatum esse illud, quod de substantia praedicatur *secundum aliquem modum ad aliud se habere*. Vid. *Lib. de Praedicam.*, tract. I, c. 7.

pio materiali eius, est *passio*, quia principium materiale est illud, per quod substantia aliquid patitur. Si denique ad aliud per quamdam coaptationem partium comparatur, *situs* est. Sin posteriori modo spectetur, tria alia accidentia existent, nempe *ubi*, *quando*, et *habitus*. Si enim accidens simpliciter substantiae adiacet, est categoria, quae *ubi* dicitur; sin substantiae adiacet cum motu, est categoria, quae vocatur *quando*; sin tandem non solum substantiae adiacet, sed etiam ei applicatur, habetur categoria *habitus* [1].

Quae cum ita se habeant, liquet decem esse praedicamenta, quorum primum, ceterorumque fundamentum est *substantia*, οὐσία, reliqua autem accidentia, atque haec esse *quantum*, ποσὸν, *quale*, ποιόν, *quod est ad aliquid*, πρός τι, *ubi*, ποῦ, *quando*, τοτὲ, *situm esse*, κεῖσθαι, *habere*, ἔχειν, *agere*, ποιεῖν, et *pati*, πάσχειν [2]. Haec vocibus abstractis s. Bonaventura recensuit hunc in modum: « Decem sunt praedicamenta, scilicet substantia, quantitas, « relatio, qualitas, actio, passio, ubi, quando, situs, et « habitus [3] ». Huiusmodi enumeratio probata est tum Patribus Graecis, quorum inter vetustiores Clemens Alex. [4], atque inter recentiores s. Damascenus [5], recensentur, tum Latinis, quorum instar s. Augustinus esse potest. Praestat prae ceteris praeclarum locum Doctoris Afri afferre, in quo contra Arianos probaturus, si negatio praedicamento addatur, praedicamentum non mutari, decem categorias aristoteleas non solum enumeravit, sed etiam exemplis illustravit: « Sicut secun- « dum substantiam aio, Homo est; sic secundum « substantiam nego, cum dico, Non homo est. Et cum

---

[1]) Cf B. Albertum, *loc. cit.*

[2]) Aristoteles categorias hoc ordine enumeravit *Categ.* c. 4, *Organ.*, t. I, p. 83, ed. Waitz. In aliis libris non omnes decem categorias, sed modo octo uti in *Met.* (lib. IV, c. 7, ed. Bekker), modo quatuor, modo aliter numeravit.

[3]) *Brevil.*, part. I, c. 4.—[4]) *Strom.*, Fragm. lib. VII, c. 8 ed. cit.

[5]) *Dialect.*, c. XLIX-LVI ed. cit.

« quaeritur, quantus sit; et aio, Quadrupedalis est, id « est, quatuor pedum, secundum quantitatem aio; qui « dicit, Non quadrupedalis est, secundum quantitatem ne- « gat. Candidus est, secundum qualitatem aio: Non can- « didus est, secundum qualitatem nego. Propinquus est, « secundum relativum aio: Non propinquus est, secun- « dum relativum nego. Secundum situm aio, cum dico, « Iacet: secundum situm nego, cum dico, Non iacet. « Secundum habitum aio, cum dico, Armatus est; se- « cundum habitum nego, cum dico. Non armatus est. « Tantumdem autem valet, si dicam, Inermis est. « Secundum tempus aio, cum dico, Hesternus est; se- « cundum tempus nego, cum dico, Non hesternus est. « Et cum dico, Romae est, secundum locum aio; et « secundum locum nego, cum dico, Non Romae est. « Secundum id, quod est facere, aio, cum dico, Cae- « dit: si autem dicam, Non caedit, secundum id quod « est facere nego, ut ostendam non hoc facere. Et cum « dico, Vapulat, secundum praedicamentum aio, quod « pati vocatur: et secundum id nego, cum dico, Non « vapulat. Et omnino nullum praedicamenti genus est, « secundum quod aliquid aiere volumus, nisi ut secun- « dum idipsum praedicamentum negare convincamur, « si praeponere negativam particulam voluerimus [1] ». Itaque singulas categorias explicaturi a categoria, quam, tamquam primam, et ceterarum fundamentum, intelligimus, nempe a substantia ordiamur oportet.

ARTICVLVS DECIMVS

De categoria substantiae [2]

Germanam notionem substantiae inquirere volentibus, in memoriam nobis revocandum est quamlibet catego-

---

[1]) *De Trinit.*, lib. V, c. 7, n. 8.

[2]) Ne quid negotii ea, quae dicturi sumus, iuvenibus facessant, monendum est Aristotelem voce τῆς οὐσίας modo *substantiam*, prout categoria est, modo *quidditatem*, sive essentiam, modo *formam* et *materiam*, et quod ex utraque quasi conflatum

riam ex duobus elementis constare, scilicet essentia, seu *re*, et modo, quo essentia, seu res est, nempe *esse*, per quod res ad aliquid praedicamentum pertinet. Iam, ex hoc manifeste perspicitur quamlibet categoriam si proprie loqui velimus, nec esse, nec dici posse aliquem specialem modum τοῦ *esse*, sed dicendam esse essentiam, cui aliquo speciali modo *esse* convenit, ita ut specialis modus, quo essentia est, accidens ipsius essentiae esse

---

est, designasse (cf prae multis locis *Categ.* c. 5 ed. Waitz; *Met.*, lib. IV, c. 8, et lib. VI, c. 7, et alibi, ed. Bekker; *De Anim.*, lib. I, c. 1, ed. Trendel.). Qua de re legendi sunt Trendelenburg. *De An. Comm.* p. 192-194, et 323-327, Ienae 1833, necnon *Elem. log.*, § 3, p. 55, et 56 ed. cit.; Rassow, *Op. cit.*, part. 2, c. 1, p. 51-56 ed. cit.; Bonitz, *Observ. crit.*, p. 119 sqq, Berol.1842, ed. cit., et praesertim Wait, *Comment.*, t. I, p. 281-285 ed. cit. Patres Graeci, etsi interdum nomen τῆς οὐσίας pro categoria substantiae stricte accepissent; tamen idem nomen cum ad substantiam, tum ad essentiam proprie dictam, immo quandoque ad naturam, φύσιν, significandam non raro usurparunt (cf s. Athanas., *De Incarn. Verbi Dei*, n. 4, *Opp.* ed. Maur. t. II, p. 27, Patavii 1777; s. Greg. Nazianz., *Orat.* XXI, n. 35, p. 409, Parisiis 1730, aliosque). Patres Latini Graecorum vestigiis insiterunt, inter quos numerare satis est s. Augustinum (*de Trinit.*, lib. V, c. 2, n. 3; ibid. lib. VII, c. 4, n. 7; *De Mor. Manich.* lib. II, c. 11, n. 2, etc.), et s. Anselmum (*Monol.* c. 27, p. 122, ed. Vbaghs, Louvain 1856). Horum, aliorumque Patrum videre licet in nostro opere *I principali sistemi* etc. (c. III, § 10, p. 504 sqq ed. cit.). S. Augustinus illud quoque nos admonuit voce substantiae interdum significari quidquid est, quocumque modo sit, nempe ens, prout *non enti*, seu nihilo opponitur. « Intelligitur, « ait, alio modo substantia, illud quod sumus quidquid sumus... « Dicitur homo, dicitur pecus, dicitur terra, dicitur coelum, di- « citur sol, luna, lapis, mare, aer: omnia ista substantiae sunt. « Deus est quaedam substantia. Nam quod nulla substantia est, « nihil omnino est. Substantia ergo aliquid esse est » (*Enarr. in Ps. LXVIII*, Serm. I, n. 5). Scholastici diversos hosce modos, quibus Patres post Stagiritam vocem substantiae usurparunt, saepe, et diligenter explicuerunt. Ne cunctos commemoremus, videri possunt s. Thomas (*In lib. I Sent.*, Dist. IX, q. I, a. 1 ad 1; *Ibid.* Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 7; ibid. *In lib. II Sent.*, Dist. XXXVII, q. I, a. 1, c. I, q. XXIX, a. 2 c. etc.), et s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXXVII, dub. 4.

intelligatur [1]. Quapropter, quoniam substantia ab accidente, cui opponitur, ex eo distinguitur, quod *in se*, seu *per se*, et *non alio esse* habet, liquet substantiam non esse dicendam ens, quod in se, aut per se est, sed essentiam, seu rem, cui convenit esse *in se*. S. Thomas, qui id saepe, et valde inculcavit, quoque advertit, si substantia ens per se esse diceretur, illud incommodum inde secuturum, quod ens, tamquam genus, intelligeretur. Enimvero, si substantia esset ens per se, prout ens opponitur accidenti, quod *esse* in alio habet, substantia, et accidens ad ens, tamquam species ad genus suum, referrentur, quia ens in ens, quod est per se, et in ens, quod est in alio, dividerent. Atqui, uti s. Damascenus ait, nosque Scholasticos secuti ostendimus : « Dividitur ens in substantiam, et accidens, non « ut genus in species; verum . . . ut ea, quae sunt ab « uno, et ad unum [2] ». Ergo substantia ens, quod in se est, dici non potest. « Dicendum, Aquinas subdit, quod, sicut « probat Avicenna in sua *Metaph.*, per se existere non est « definitio substantiae, quia per hoc non demonstratur « quidditas eius, sed eius esse, et sua quidditas non est « suum esse, alias non posset esse genus, quia esse non « potest esse commune per modum generis, cum singula « contenta in genere differant secundum esse, sed diffinitio, « vel quasi diffinitio substantiae est res habens quidditatem, cui adquiritur esse, vel debetur, ut non in alio [3] ».

Praeterea, illud *per se*, seu *in se*, quo *esse* substantiae ab *esse* accidentis, quod in alio est, distinguitur, non *affirmative*, sed *negative* accipiendum est, nempe ita ut substantiam in alio tanquam subiecto, *esse suum* habere negetur. Et sane, quoniam omnis divisio, uti suo loco dicemus, per opposita fieri debet,

---

[1]) Cf p. 419 sqq, et s. Thom. *Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. XXVII, a. 1 ad 8.

[2]) *Dialect.* c. XLVI. Vid. s. Thomam, I, q. III, a. 5 ad 1; *Quodl.* IX, a. 5 ad 2, et ll. citt. p. 424-425.

[3]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1 *sol.* 1 ad 2.

necesse est, ut prima, et generica divisio entis in categorias per ea fiat, quae in eodem ente sibi opponuntur, quia prima divisio entis primos, et genericos modos entis complecti debet. Iamvero, in eodem ente, prout ens est, nonnisi *ens*, et *non ens*, seu *nihil* sibi opponi queunt. Etenim opposita circa idem ita versantur, ut quod unum illorum affirmat, alterum neget. Atqui de ente, quod est categoriarum principium, nonnisi *non ens*, seu *nihil* negari potest, quia conceptus entis est primus conceptus intellectus, qui a nullo alio conceptu derivatur, et est fundamentum reliquorum conceptuum. Ergo prima divisio entis in categorias est in *ens*, et in *non ens*, seu *nihil*. Apposite s. Thomas scribit: « Ad alterum dicendum, quod sicut « dictum est (in corp. art.) ens est prima conceptio « intellectus: unde enti non potest aliquid opponi « per modum contrarietatis, vel privationis, sed solum « per modum negationis, quia, sicut ipsum non funda- « tur in aliquo, ita nec oppositum suum, opposita enim « sunt circa idem [1] ».

Nisi quod, animadvertendum est cum B. Alberto M. negationem, quae in definitione, seu potius in expositione substantiae locum habet, non ipsum conceptum substantiae, sed in modum, quo ipsa intelligitur, cadere. Et sane, negatio in ipsum conceptum substantiae non cadit. Nam illud, quod in definitione substantiae de essentia negatur, est inhaerentia, sive *esse* in alio, tanquam in subiecto. Atqui notio inherentiae est negans; si quidem, cum illud, quod in alio, tanquam in subiecto inhaeret, non per se ipsum, sed per subiectum, in quo inhaeret, *esse* habeat, notio inhaerentiae negationem subsistentiae seu, uti alibi dicemus, τοῦ *esse in se* re ipsa continet. Ergo illud, quod in definitione substantiae de essentia negatur, est negatio. Iam, negatio negationis, prout effatum scholae fert, est affirmatio, quippe quod, quoties id,

[1]) *In lib. I Sent.* Dist. XIX, q. V, a. 1 ad ult.

quod aliquid de subiecto negat, negatur, illud ipsum de subiecto re ipsa affirmatur; puta si quis neget hominem esse animal irrationale, re ipsa hominem esse animal rationale affirmat. Ergo notio substantiae re ipsa non negans, sed asserens est. Quamobrem negatio, quae in definitione substantiae locum habet, in ipsum conceptum substantiae minime cadit.

Verum, si negatio in conceptum substantiae non cadit, in modum, quo ipsam intelligimus, et denominamus, cadat necesse est. Et sane, intellectus in rebus, ex quibus notionem substantiae sibi conficit, substantiam non aliter, quam quod id, quod non est in alio subiecto, intelligit. Etenim obiectum proportionatum intellectus, uti alias ostendemus, sunt res materiales. Iam, quoniam res materiales ex principiis, quae earum essentiam constituunt, et ex accidentibus, quae essentiam constitutam consequuntur, constant, intellectus, cum super res apprehensas reflectitur, primum intelligit accidentia, utpote quae magis nota sunt, deinde, cum intelligat accidentia esse non posse, nisi in subiecto, intelligit quoque esse in rebus aliquid, quod et non sit in alio, tamquam subiecto, et sit subiectum accidentium. Quandoquidem hoc aliquid, quod tamquam subiectum accidentium intelligitur, illud est, quod *essentia* in categoria substantiae nuncupatur, liquet substantiam non posse a nobis intelligi, nisi tamquam aliquid, cui non esse in alio, tamquam in subiecto, convenit. Quod si substantiam negative intelligimus, negative quoque ipsam denominemus necesse est; si quidem, cum voces sint signa immediata conceptuum nostrorum, et dumtaxat mediata rerum, nos res denominare non possumus illo modo, quo ipsae in se sunt, sed dumtaxat illo modo, quo ipsas intelligimus [1].

---

[1]) « Nomina, s. Thomas ait, imponuntur a nobis secundum « quod cognoscimus res »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 7 ad 15.

Ad id comprobandum iuvat afferre praeclaram argumentationem Alberti M., quae huc redit: Substantia considerari potest, aut *logice*, nempe prout est primus modus, quo *esse* essentiae convenire intelligitur, aut *ontologice*, nempe prout est ultima perfectio essentiae, seu illud, quod essentiam omnino perficit. Atqui utrovis modo consideretur, non aliter, quam per negationem, intelligi, et praedicari potest. Et sane, quod ad primum modum attinet, cum substantia *logice* considerata sit illud, quod in quolibet obiecto cetera sustinere intelligitur, nequit aliquid in ipsa intelligi, quod explicet, cur ipsa cetera sustineat. Atqui aliquid tum dumtaxat per affirmationem intelligitur, cum per id, quod causa eius est, explicatur. Ergo, substantia, *logice* considerata, per affirmationem intelligi nequit. Idem argumentum confici potest hunc in modum: Illud, quod explicat, cur aliquid de aliquo affirmetur, prius, quam ipsum, quod affirmatur, intelligi debet. Atqui non esse in alio, tanquam in subiecto, quod notio substantiae continet, est primum, quod de essentia rei affirmatur. Ergo ipsum per aliud, quod de essentia affirmatur, sive per novam affirmationem intelligi nequit. Quod ad alterum modum pertinet, cum *subsistere*, seu *esse per se* sit illud, quod essentiam rei ultimo perficit, procul dubio explicari nequit per aliquid, quod ipsi essentiae rei convenit, quia nihil in re prius esse potest eo, quod ipsam ultimo perficit. Atqui, si illud, quod notio substantiae continet, explicari nequit per aliquid, quod rei, de qua substantia praedicatur, convenit, substantiam per affirmationem intelligere, et explicare nobis non licet, quippe quod affirmatio semper aliquid in re ponit. Ergo, substantia, si *ontologice* consideretur, per affirmationem intelligi, et explicari nequit [1].

---

[1]) « Quod autem per negationem definitur, cum dicitur, quod « neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est, causa est,

Itaque tuto concludendum est definitionem substantiae non posse fieri, nisi per negationem, sed hanc negationem in modum quo substantia a nobis intelligitur, non vero in ipsum conceptum substantiae cadere.

Quae omnia cum ita se habeant, liquet substantiam sapienter definitam, seu potius descriptam fuisse ab Henrico Gandav. his verbis: « substantia est id, cui convenit « esse, quod negatur esse in subiecto [1] ». S. Thomas eamdem definitionem, seu, ut ipse inquit, *quasi definitionem* saepe inculcavit. E multis locis unum adducamus, in quo ipsam ex duobus principiis hactenus statutis deduxit. « In « definitionem substantiae, scribit, non est ens per se. Ex « hoc enim, quod dicitur ens, non posset esse genus, quia « iam probatum est, quod ens non habet rationem ge- « neris. Similiter nec ex hoc, quod dicitur per se, quia « hoc non videtur importare, nisi negationem tantum: « dicitur enim ens per se ex hoc quod non est in « alio, quod est negatio pura, quae nec potest naturam, « vel rationem generis constituere, quia sic genus non « diceret quod est res, sed quod non est. Oportet igi- « tur, quod ratio substantiae intelligatur hoc modo, quod « substantia sit res, cui conveniat esse non in subiecto; « nomen autem rei a quidditate imponitur, sicut nomen « entis ab esse, et sic in ratione substantiae intelligatur

---

« quia sicut prima est in sustentando, ita ultima est in essendo. « Et ideo in substando per affirmationem affirmantem aliquid, « quod sibi esset causa substandi, diffiniri non potuit. Nec etiam « potuit diffiniri per aliquid, quod sibi esset causa de aliquo prae- « dicandi, quia de nullo praedicatur: ultimum enim in ordine « essendi non potest habere aliquid sub se, cui essentialiter insit. « Inesse autem essentialiter, causa est, quod aliquid de aliquo « ut genus, vel species essentialiter praedicetur, perfectum au- « tem esse in actu ultimo secundum naturam, et sustentans om- « nia alia, causa est, quod in nullo sit, ut accidens. His ergo « de causis sic per duas negationes oportuit ipsam diffiniri »; *Op. cit.*, tract. II, c. 2.

[1] *Op. cit.*, art. XXVI, q. II, n. 10.

« quod habeat quidditatem , cui conveniat esse non in « alio [1] ».

Ast idem Aquinas sapienter monuit hanc definitionem substantiae non esse definitionem stricte sumtam , sed, quemadmodum in locis modo laudatis, eam nuncupavit, *quasi definitionem*, sive *descriptionem*, quippe quod substantiam *stricte* , seu *logice* definire haud possibile est. Enimvero , si substantia vere , et proprie definiri posset, oporteret in definitione substantiae *essentiam* esse genus, et *non esse in alio* esse differentiam, quia essentia ex eo, quod ei convenit non esse in alio, ab accidente distinguitur. At , nec essentia tanquam genus , nec *non esse in alio* , tanquam differentia in categoria substantiae intelligi possunt. Et sane, primum essentia , quae per diversos modos essendi in categoriis determinatur, in se considerata non est aliud, uti ostendimus, quam notio maxime abstracta entis [2]. Atqui ens maxime abstractum , nempe ens , prout ens est , uti antea quo-

---

[1]) *Cont. Gent.*, lib. I, c. 25. E re est hunc alium locum addere: « esse non potest poni in definitione alicuius generis, et speciei, « quia omnia particularia uniuntur in definitione generis, vel « speciei, cum tamen genus, vel species non sint secundum unum « esse in omnibus, et ideo haec non est vera definitio substan- « tiae, substantia est quod per se est, vel, Accidens est quod est « in alio. Sed est circumlocutio verae descriptionis, quae talis « intelligitur, substantia est res, cuius naturae debetur esse in « alio »; *Quodl.* IX, a. 5 ad 2.

[2]) Vt id penitius intelligatur, addendum est quidquid in qualibet re est, procul dubio esse ens, seu *esse*, quia praeter ens non est, nisi nihil. « Dico, Henricus ait, quod in esse tota actualitas « rei consistit, sive quod ad essentiam, sive quod ad existentiam. « Ipsum autem esse circuit intima, et minima uniuscuiusque rei. « Nihil enim est in re quacumque, cui esse non conveniat. Pro- « pter quod nihil est latius ente » (*Op. cit.*, art. LXXIII, q. 3, n. 4). Iam, si nihil est in re, quod non est ens, liquet nihil posse de quacumque re intelligi, quin sub concep tu entis intelligatur. Hinc, quoniam essentia considerata seorsum a cunctis modis essendi, per quos in rebus determinatur, est illud, quod maxime abstractum intellectus in rebus intelligit, sequitur essentiam esse notionem entis maxime omnium abstractam.

que ostendimus, genus esse non potest. Ergo essentia, ex qua categoria substantiae constat, non potest esse genus. Secundo, conceptus differentiae extra conceptum generis esse debet, quia differentia, uti diximus, *actu* genere non continetur. Atqui conceptus τοῦ *non esse in alio* extra conceptum essentiae non est; si quidem, cum conceptus essentiae, prout hic accipitur, sit conceptus entis maxime abstracti, sequeretur conceptum τοῦ *non esse in alio* esse conceptum *non entis*, seu *nihili*. Ergo τὸ *non esse in alio*, quod in categoria substantiae ponitur, differentia esse nequit. Hinc scite s. Thomas: « Dicendum, quod ista diffinitio . . . non potest esse sub-« stantiae, substantia est quae non est in subiecto; ens « enim non est genus, haec autem negatio *non est* in « subiecto nihil ponit [1] ». Quamobrem tenendum est categoriam substantiae stricta definitione contineri non posse, ideoque, cum dicitur esse essentia, cui convenit non esse in alio, potius exponi, quam definiri.

Ne ea, quae ad definitionem substantiae declarandam hactenus statuimus, supervacanea, et futilia cuipiam videantur, e re est ostendere, quantum momenti ad absurdas definitiones substantiae, quas Spinoza, et Giobertius tradiderunt, explodendas conferant. A Spinoza ordiamur. Hic philosophiam suam, geometrarum more, uti inferius dicemus, a definitionibus, et axiomatis exorsus, substantiam ita definivit: « Per substantiam in-« telligo id, quod in se est, et per se concipitur: hoc « est id, cuius conceptus non indiget conceptu alterius « rei, a quo formari debeat [2] ». Hac definitione innixus statuit esse, et concipi non posse duas substantias, quae aliquid sibi commune habent, alioquin una substantia sine alia existere, et concipi non posset, et, quoniam nihil commune duabus substantiis esse quit, fieri non posse, ut duae substantiae eiusdem attributi sint. Inde deduxit unam substantiam non posse produci ab alia sub-

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 2 ad 2.

[2]) *Ethic.*, part. I, def. 3, *Opp.* vol. II, p. 36, ed. cit.

stantia, quia inter causam, et effectum aliqua communitas esse debet [1], proindeque substantiam natura sua existere, ita ut ipsius essentia existentiam necessario involvat [2]. Ex his vero, aliisque pronuntiatis conclusit unicam existere substantiam, eamque esse substantiam infinitam, nempe Deum. « Praeter Deum nulla dari, « neque concipi potest substantia. DEMONSTR. Cum Deus, « sit ens absolute infinitum, de quo nullum attributum « quod essentiam substantiae exprimit, negari potest « (*per Defin.* 6), isque necessario existat (*per Prop.* « 12); si aliqua substantia praeter Deum daretur, ea « explicari deberet per aliquod attributum Dei, sicque « duae substantiae eiusdem attributi existerent, quod « (*per Prop.* 5) est absurdum; adeoque nulla substan- « tia praeter Deum dari potest, et consequenter non et- « iam concipi. Nam si posset concipi, deberet neces- « sario concipi, ut existens; atqui hoc (*per primam par- « tem huius Demonstr.*) est absurdum. Ergo extra Deum « nulla dari, et concipi potest substantia. Q. E. D. [3] ».

---

[1]) Propos. III: « *Quae res nihil commune inter se habent, ea- « rum una alterius causa esse non potest.* DEMONSTR. Si nihil « commune cum se invicem habent, ergo (*per Axiom.* 5) nec per « se invicem possunt intelligi, adeoque (*per Axiom.* 4) una alte- « rius causa esse non potest. Q. E. D. »; *ibid.* p. 37. Et Propos. VI: « Vna substantia non potest produci ab alia substantia. DE- « MONSTR. In rerum natura non possunt dari duae substantiae « eiusdem attributi (*per Prop. praeced.*), hoc est, (*per Prop.* 2) « quae aliquid inter se commune habent. Adeoque (*per Prop.* 3) « una alterius causa esse nequit, sive una ab alia non potest pro- « duci. Q. E. D. COROLL. Hinc sequitur substantiam ab alio pro- « duci non posse... *Aliter.* Demonstratur hoc etiam facilius ex « absurdo contradictorio. Nam, si substantiam ab alio posset « produci, eius cognitio a cognitione suae causae deberet pen- « dere (*per Axiom.* 4); adeoque (*per Defin.* 3) non esset substan- « tia »; *ibid.* p. 38.

[2]) Propos. VII: « Ad naturam substantiae pertinet existere. DE- « MONSTR. Substantia non potest produci ab alio (*per Coroll. Pro- « pos. praeced.*); erit itaque causa sui, id est (*per Defin.* 1) ipsius « essentia involvit necessario existentiam, sive ad eius naturam « pertinet existere. Q. E. D. »; *ibid.* — [3]) *Ibid.* Propos. XIV, p. 46.

Iam quisquis nullo negotio intelligit Spinozam in notione substantiae 1° non distinxisse *essentiam*, aut, si dicere mavis, *esse essentia* ab *esse existentiae*, seu a modo, quo essentia in substantiae categoria est; 2° illud *in se*, seu *per se* non ita accepisse, ut inhaerentiam in alio subiecto, sed ut causam effectricem a substantia distinctam excluderet. Quocirca, substantia, eius iudicio, esse, et concipi per se dicitur, non ex eo quod *esse* suum non in alio subiecto habet, et non in alio habere intelligitur, sed ex eo quod *esse* suum ex se habet [1], et ex se habere intelligitur. Quandoquidem vero essentiam substantiae ab *esse* non distinxit, eamque esse causam sui *esse*, hoc est existentiam in se includere sensit, inde cohaerenter elicuit unam substantiam infinitam, nempe Deum dari, quippe quod in uno Deo essentia ab *esse* non distinguitur, proindeque *esse* in se includit.

Notandum est hac nostra aetate Cousinium notionem spinozianam substantiae amplexum esse, licet illam breviter, leviterque exposuerit. Ipse enim docuit substantiam *esse* natura sua absolutam, quia omne illud, quod ad aliud refertur, est potius phaenomenon, sive aliquid *apparens*, quam substantia, et substantiam absolutam nonnisi unicam esse, quia duo absoluta esse repugnant. « Substantia, « ipse ait, nequit esse absoluta, nisi sit una, quia, cum « duo absoluta se invicem destruant, substantia absoluta « aut est una, aut non est. Quin immo dici potest sub- « stantiam, prout substantia est, *esse* absolutam, ob id- « que unam; si quidem substantiae relativae ipsam no- « tionem substantiae tollunt, et substantiae finitae, quae « ultra se aliam substantiam expostulant, cum qua con- « nectuntur, phaenomenis simillimae sunt. Quamobrem « unitas substantiae ab ipsa notione substantiae exur- « git [2] ». Quo in loco, uti per se patet, Cousinius, se-

[1]) Spinoza, uti vidimus (p. praec. not. 2), substantiam esse causam sui autumavit.

[2]) *Fragmens* etc., Prèf. à la prèm. ed. *Oeuvr.* t. II, p. 33 ed. cit.

cundum Spinozam substantiam ita explicuit, ut non solum subiectum extraneum, in quo inhaereat, sed etiam causam, a qua producitur, excluderet, proindeque notionem substantiae cum notione Dei confunderet.

Iamvero, ex iis, quae de categoriis in universum, et de substantia hactenus statuimus, in promptu est intelligere, quam turpiter Spinoza notiones substantiae, et Absoluti, seu Dei corruperit, et quam imprudenter Cousinius eius vestigia presserit. Principio, Spinoza definitionem substantiae proprie dictam, seu logicam dari posse sumsit. Et sane, quin ipse suam definitionem substantiae pro definitione stricte accepta, seu logica habuerit, dubitandum non est; si quidem geometrarum morem secutus, illam cum aliis definitionibus, et axiomatis initio suae *Ethices* exposuit, atque inde propositiones, et corollaria elicuit.

At, vehementer hac in re falsus est, quia notio substantiae definitione stricte sumta, uti a nobis ostensum est, comprehendi non potest. Verum, quandoquidem definitio spinoziana a definitione late sumta, seu descriptione, quam nos, secundum Scholasticos, tradidimus, differt, iuvat ostendere ne definitionem substantiae quidem, quam Spinoza tradidit, definitionem proprie sumtam esse. Re vera, si definitio substantiae quam Spinoza tradidit, stricte, seu *logice* acciperetur, oporteret in ea *ens* communissime acceptum, seu ens, prout est ens, esse genus, et *in se esse*, et *in se concipi* esse differentiam. Atqui ens, prout ens est, uti ostendimus, tamquam genus intelligi nequit, quia nulla differentia extra ens intelligi potest, quod ipsum dividat. Ergo definitio spinoziana substantiae stricte, seu *logice* accipi nequit. Accedit illud gravius peccatum, quod Spinoza substantiam cum Absoluto confudit; si quidem ex definitione substantiae deduxit unum Deum esse substantiam, proindeque unicam dumtaxat dari substantiam, eamque infinitis attributis constantem. Ast, Absolutum, seu Deum logice definiri non posse luce meridiana clarius est. Nam, cum Deus, seu, uti a-

iunt, Absolutum, quemadmodum alias ostendemus, sit omnino simplex, haud possibile est in Eo distinguere aliquid, quod sit genus, et aliquid, quod sit differentia. Atqui omnis logica, et stricte sumta definitio ex genere, et differentia constare debet. Ergo definitio logica Dei, seu Absoluti dari nequit. Ad rem s. Thomas: « Omnis « definitio ex genere, et differentia constat; id etiam, « quod proprie diffinitur, species est. Ostensum est au- « tem, quod divina Essentia non concluditur sub ali- « quo genere, nec sub aliqua specie. Vnde non potest « Eius esse aliqua diffinitio [1] ». Itaque Spinoza in primis deceptus est, quod substantiam stricte definiri posse putavit.

Verum, definitio spinoziana, praeterquam quod non est definitio stricte sumta, duobus vitiis laborat, per quae ad pantheismum, quem eius auctor inde cohaerenter elicuit, recta via ducit. Re vera, Spinoza substantiam, uti vidimus, ita definivit, ut in ea essentiam ab *esse* non distingueret, quia non dixit substantiam esse essentiam, cui convenit esse in se, sed esse ens, quod in se est. Atqui hoc est proprium Dei, seu Absoluti, quia in Deo essentia, et *esse* unum sunt, sed non convenit categoriae substantiae, quia, cum substantia, perinde ac quaelibet categoria, sit quidam modus essendi, intelligi non potest, nisi in ea et aliquid, quod quodam modo est, et quidam modus, quo ipsum est, distinguantur. Ergo Spinoza notioni substantiae id tribuit, quod proprium Dei est. Hoc vitium definitionis spinozianae iam s. Thomas adnotaverat. Ipse enim obiicienti Deum esse in categoria substantiae, quia Deus re vera est ens, quod non est in subiecto, respondit substantiam non posse definiri ens, quod non est in subiecto, quia ens non potest esse genus, sed definiendam esse essentiam, cui convenit non esse in subiecto, quia essentia denotat genus, extra cuius conceptum est conceptus τοῦ *esse*,

[1]) *Opusc.* III, *Comp. Theol.*, c. 26.

proindeque, cum essentia in Deo sit ipsum *esse*, Deum non posse dici substantiam [1].

Quandoquidem in categoria substantiae essentiam ab *esse* non discriminavit, cohaerenter illud *in se* ita explicuit, ut omnem causam ab ipsa substantia diversam non vero inhaerentiam in subiecto excluderet, et substantiam eiusmodi esse dixit, ut eius essentia existentiam involveret. Et sane, si in substantia essentia ab *esse* non distingueretur, necesse foret, ut ipsa per essentiam suam existeret, ob idque nullam existentiae suae causam agnosceret. Ast id quoque soli Deo convenit, quia in Deo dumtaxat *esse*, et essentia unum sunt; in substantiam vero non quadrat, quia in definitione substantiae *esse per se*, sive *in se* non denotat essentiam non recipere *esse* suum ab alio, sed denotat essentiam non habere *esse* suum in alio, tanquam in subiecto. Quamobrem s. Thomas scite advertit substantiam dici posse essentiam, quae non habet *esse* suum per aliud, si per τό *aliud* intelligatur causa formalis, quippe quod causa formalis est intrinseca cuique rei, non vero, si per τὸ *aliud* causa effectrix intelligatur, quia res creatae, quibus categoriae conveniunt, *esse* suum a Deo accipiunt. « Esse « creatum, sanctus Doctor inquit, non est per aliquid « aliud, si ly *per* dicat causam formalem intrinse-

---

[1]) « Substantia est, quod non est in subiecto, sed est ens per se. « Cum igitur Deo hoc maxime conveniat, videtur, quod ipse sit in « genere substantiae ». Cui obiectioni sanctus Doctor respondit hoc modo: « Ad 2[m] dicendum, quod ista diffinitio secundum Avi- « cennam (tract. II, Met. cap. I, et tract. III, c. VIII) non potest « esse substantiae: Substantia est, quae non est in subiecto. Ens « enim non est genus. Haec autem negatio *non in subiecto* nihil po- « nit: unde hoc quod dico, Ens non est in subiecto, non dicit ali- « quod genus: quia in quolibet genere oportet significare quid- « ditatem aliquam, ut dictum est, de cuius intellectu non est esse. « Ens autem non dicit quidditatem, sed solum actum essendi, cum « sit principium ipsum. Et ideo non sequitur, est non in subiecto: « ergo est in genere substantiae. Sed hoc Deo non convenit »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 2 ad 2. Cf p. 446-448.

« cam ; immo ipso formaliter est creatura : si autem « dicat causam formalem extra rem, vel causam effecti- « vam, sic est per divinum esse, et non per se [1] ».

Quin autem haec duo vitia, quae in definitione spinoziana substantiae latent, ad pantheismum ducant, dubitandum non est. Si enim in substantia *esse*, et essentia unum sunt, et substantia eiusmodi est, ut eius essentia existentiam involvat, consequitur solum Deum esse substantiam. Id Spinoza, nedum negavit, inde manifeste, et explicate elicuit. Nam, cum duo attributa in unica substantia divina agnovisset, nempe *extensionem*, et *cogitationem*, res finitas nonnisi diversos modos infinitae extensionis, et infinitae cogitationis esse autumavit : id quod purus, putusque pantheismus est. At tantum abest, ut Deus, sive Absolutum unica substantia sit, ut categoria substantiae, quemadmodum a Scholasticis egregie ostensum est, in Eum cadere nequeat. Antequam ad id declarandum accedamus, advertendum est duo vitia quoque latere in demonstratione, qua Spinoza unicam substantiam divinam existere statuit. Primum est, quod huiusmodi demonstratio in se ipsam incurrit. Etenim, cum definitio substantiae, quam Spinoza tradidit, nonnisi Deo convenire possit, liquet Philosophum hebraeum primo substantiam ita definivisse, ut *esse* Dei re vera significaret, deinde ex notione substantiae, quam sua definitione tradidit, Deum dumtaxat esse substantiam deduxisse. Alterum est, quod Spinoza ex solo conceptu substantiae argumentum ad existentiam eius petivit. Enimvero, cum notio substantiae dicitur esse essentia, cui non convenit esse in alio, vel, secundum Spinozam, ens, quod per se est, et per se concipitur, procul dubio non affirmatur esse revera in natura essentiam, cui convenit non esse in alio, sive ens, quod per se est, sed illud tantummodo decernitur, si quid est, cuius essentiae convenit

---

[1]) *Ibid.*, q. I, a. 2 ad 2. Cf Ferrariensem *in lib. I Cont. Gent.*, *c. 52.*

esse non in alio, hoc esse substantiam. Quocirca notio, quae definitione spinoziana substantiae continetur, si ad intellectum, qui illam efformat, referatur, absoluta est; at, si referatur ad naturam rerum, est mere hypothetica, quia ipsa statuit re vera existere substantiam, si essentia, cui convenit non esse in alio, existat.

His praestitutis, sciendum est, si substantia, prout categoria est, accipiatur, Deum substantiam dici non posse. Hoc sane ex iis, quae ante ostendimus, prono alveo fluit; si enim certum est nullam categoriam in Deum posse cadere [1], Deum nec esse, nec dici posse substantiam, prout haec categoria est certum quoque sit oportet. Nihilominus praestat id de categoria substantiae speciatim declarare, cum de re agatur, quae in Theologia naturali magni momenti est. Spinoza, uti dictum est, sibi constitit, cum Deum esse substantiam docuit. Nam si substantia, quemadmodum ipse docuit, esset id, quod per se est, et per se concipitur, certe non solum dicendum foret Deum esse substantiam, sed non alia substantia praeter Ipsum admitti posset, quippe quod, cum in Deo duntaxat essentia, et *esse* unum sint, unus Deus dici potest ens, quod per se est, et per se concipitur. At, quandoquidem categoriae, uti quoque demonstratum est, cadere non possunt, nisi in rem, in qua essentia, et *esse* distinguuntur, non solum Deus non est unica substantia, sed ne substantia quidem ullo modo est. Audiatur s. Thomas, ex quo hoc argumentum adversus Spinozam mutuati sumus: « Dicendum, quod substan-

[1]) Cf p. 400 et 401. Addere lubet locum s. Augustini, in quo hic sanctus Doctor doluit se categorias in Deo admisisse, atque in hunc errorem lapsum esse dixit, quod omnes modos essendi in Deo ipsum Deum esse non adverterat. « Quid, ait, hoc mihi « proderat, quando et oberat? cum etiam Te, Deus meus, mi- « rabiliter simplicem, atque incommutabilem, illis decem prae- « dicamentis putans quidquid esset omnino comprehensum, sic « intelligere conarer; quasi et Tu subiectus esses magnitudini tuae, « aut pulcritudini, ut illa essent in Te, quasi in subiecto, sicut in « corpore; cum tua magnitudo, et tua pulcritudo Tu ipse sis »; *Confess.*, lib. IV, c. 16, n. 29.

« tiae nomen non significat hoc solum, quod est per se « esse, quia hoc, quod est esse, non potest per se esse « genus . . . sed significat essentiam, cui competit sic « esse, idest per se esse, quod tamen esse non est ipsa eius essentia; et sic patet, quod Deus non est in « genere substantiae [1] ».

Sed doctrina Spinozae, quam hic impugnamus, non solum eo quod a falsa definitione substantiae oritur, sed ipsa in se absurda est. Ex multis argumentis, quae s. Thomas nobis suppeditat, unum, et alterum seligemus.

Et primo, in memoriam nobis revocemus in genere substantiae, uti antea innuimus, esse genus summum, seu generalissimum, et genera, quae ipsi subiiciuntur. Atqui Deus non potest esse in genere substantiae nec tanquam genus summum, nec tanquam ullum genus intermedium. Ergo categoria substantiae in Deum cadere non potest. Assumptio a s. Thoma probatur hoc modo : Deus nequit esse in genere substantiae tanquam genus summum. Nam, cum genus summum, uti ostendimus, in cunctis generibus usque ad infimum secundum totam essentiam suam inveniatur, inde sequeretur totam essentiam Dei in cunctis substantiis inveniri, ob idque de illis praedicari posse. Nec potest esse in substantiis, tanquam genus intermedium. Etenim, cum genus intermedium generi summo, vel superiori aliquid addat, uti animal addit sensum viventi, Deus non esset omnis compositionis expers, quia constaret ex eo, quod genus summum, vel superius constituit, atque ex eo, quod illud determinat ; quemadmodum animal constat ex vita, quae genus superius in ipso est, et ex sensu, qui vivens determinat, animalque constituit. Categoria substantiae igitur in Deum cadere non potest. « Quidquid est, en verba Aquinatis, in genere sub« stantiae, aut est sicut generalissimum, aut est sicut con-

---

[1]) I, q. III, a. 5 ad 1; cf *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 2 ad 2, et *Cont. Gent.*, lib. I, c. 25.

« tentum sub ipso. Sed Deus non est in genere substan-
« tiae sicut generalissimum, quia praedicaretur de omnibus
« substantiis; nec etiam sicut contentum substantiae, quia
« adderet aliquid, scilicet genus, et ita non esset divi-
« na essentia simplicissima. Ergo Deus non est in genere
« substantiae [1] ». Praeterea, substantiae, ut inferius dice-
mus, proprium est alteri *substare*, sive *subesse*, cum quia
in ea *esse*, quod essentiam determinat, essentiae, tanquam
minus universale magis universali, subest, tum quia es-
sentia ex eo, quod per *non esse in alio* determinatur,
subiectum, seu substratum accidentium est. Atqui Deo
substare, sive *subesse* repugnat, quippe quod, cum sit

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 2 *sed contra.* Cf s. Bonavent., *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, part. 2, a. 1, q. 4 resol. Nihilominus advertendum est cum eodem Aquinate Deum esse in genere substantiae per reductionem, quia, cum Ipse sit principium omnis generis rerum creatarum, genus substantiae, perinde ac omne aliud genus, ad Ipsum tanquam mensuratum ad mensuram reducitur. « Dicendum, ait, quod licet Deus non pertineat ad ge-
« nus substantiae, quasi in genere contentum, sicut species, vel
« individuum sub genere continentur; potest tamen dici, quod sit
« in genere substantiae per reductionem, sicut principium, et si-
« cut punctum est in genere quantitatis continuae, et unitas in
« genere numeri; et per hunc modum est mensura substantiarum
« omnium, sicut unitas numerorum » (*Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 3 ad 7). Atque in universum sanctus Doctor illud saepe inculcavit: « Quamvis Deus in eodem genere non sit cum creatura, sicut
« contentum sub genere, est tamen in omnibus generibus sicut
« principium generis » (*Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 8 ad 2). Quocirca Deus, aiente eodem sancto Doctore, simul « Est extra genus,
« et principium omnis generis » (I, q. VI, a. 2 ad 3). Nemo vero nobis obiiciat s. Thomam sibi contradixisse, cum in *Sum.* (I, q. III, a. 5 c.) ostendit: « Quod Deus non sit in genere per reductionem,
« ut principium », quippe quod ibi non aliud sibi voluit, quam Deum non esse dumtaxat principium alicuius generis specialis. Id ex demonstratione luculenter patescit; subdit enim: « manifestum
« est ex eo, quod principium, quod reducitur in aliquod genus,
« non se extendit ultra genus illud; sicut punctum non est princi-
« pium, nisi quantitatis continuae, et unitas quantitatis discretae.
« Deus autem est principium totius esse, ut infra ostendetur
« (quaest. XLIV, a. 1), unde non continetur in aliquo genere ».

omnino simplex, nihil in Eo, quod alteri subest, atque nihil, quod ei, tanquam accidens, inhaeret, esse, et intelligi potest. Ergo categoria substantiae in Deum cadere non potest. « Nomen enim substantiae, s. Thomas scribit, im« ponitur a substando: Deus autem nulli substat [1] ».

His rationis momentis permotus s. Augustinus sanxit Deum *abusive* substantiam vocari, cum Ipse essentia vere, et proprie dicendus sit. Verba sancti Doctoris afferamus, ut quam religiose Scholastici vestigiis eius insiterint, patescat. « Si tamen, inquit, dignum est, ut Deus dica« tur subsistere : de his enim rebus recte intelligitur, « in quibus subiectis sunt ea, quae in aliquo subiecto « esse dicuntur, sicut color, aut forma in corpore. . . « Deus autem si subsistit, ut substantia proprie dici pos« sit, inest in eo aliquid, tanquam in subiecto, et « non est simplex, cui hoc sit esse, quod illi est quid« quid aliud de illo ad illum dicitur, sicut magnus, « omnipotens, bonus, et si quid huiusmodi de Deo non « incongrue dicitur : nefas est autem dicere, ut subsi« stat, et subsit Deus bonitati suae, atque illa bonitas « non substantia sit, vel potius essentia, neque ipse « Deus sit bonitas sua, sed in illo sit, tanquam in sub« iecto; unde manifestum est Deum abusive substantiam « vocari, ut nomine usitatiore intelligatur essentia [2] ».

Verum, etsi categoria substantiae Deo non conveniat, tamen Deum substantiam quodammodo esse, et dici posse indubium est. Et sane, cum substantia non sit in numero categoriarum, quae ad res corporeas, et materiales tantum pertinent, ipsa Deo, uti antea innuimus, ex ea parte, quatenus perfectionem continet, convenire potest, quia quidquid perfectionis in rebus creatis invenitur, Deo quam cumulatissime tribuendum est. Iam, categoria substantiae ex eo perfectionem habet, quod per se subsistit, hoc est, quod inhaerentiam essentiae

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 2 c.
[2]) *De Trinit.*, lib. VII, c. 5, n. 10.

in subiecto excludit. Nam, cum quaelibet res eo perfectior sit, quo minus ab alia pendet, sequitur essentiam, quae *esse* suum in se, non vero in alio habet, antecellere essentiae, quae *esse* suum in alio habet, proindeque per aliud, non per se subsistit, quia haec pendet a subiecto, in quo est, et per quod subsistit, illa a nullo subiecto pendet, sed per se subsistit. Categoria substantiae autem aliquid imperfectionis habet, quia, cum essentia ab *esse* in ea distinguatur, proprium eius est, ut modo innuimus *subesse*, seu *sub* alio *stare*. Ad rem s. Bonaventura haec habet: « Dicendum, « quod duplex est proprietas ipsius substantiae, scilicet, « per se stare, et alii subesse. Primum est perfectionis, « secundum imperfectionis [1] ». Inde sequitur categoriam substantiae repugnare Deo ex ea parte, quatenus proprium eius est *subesse*, sed posse convenire ex ea parte, quatenus eius proprium est non esse in alio. Deus igitur substantia quodammodo dici potest. Quin immo substantia, si ex ea parte consideretur, quatenus non esse in illo denotat, potius Deo, quam rebus ab Eo creatis convenit. Nam, cum in rebus creatis *esse* ab essentia distinguatur, efficitur, ut non esse *in alio* ad nullam essentiam creatam *per se* pertineat, neque unicum actum cum ipsa constituat, sed accidens eius sit. Contra ea, quandoquidem in Deo *esse*, et essentia unum sunt, non esse in alio Deo *per se* convenit, non vero est accidens essentiae divinae. Atqui omni rei perfectius convenit id, quod ad essentiam eius pertinet, quam id, quod accidens essentiae eius est. Ergo substantia, si ex ea parte consideretur, quatenus non esse in alio denotat, Deo potius, quam rebus ab Eo creatis convenit. Quandoquidem autem *subsistere*, sive non esse in alio, est illud, in quo notio substantiae proprie consistit, substantiam *absolute*, et non prout categoria est, consideratam verius, et potius Deo, quam rebus ab Eo creatis convenire dicendum est. Hinc

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, part. 2, dub. 4.

scite idem s. Bonaventura inquit: « Nomen substantiae. . . « potest dici a. . . per se stando, non per aliud; si sic, « proprie est in divinis, et magis proprie, quam in creaturis [1] ». Fusius Henricus Gandavensis: « . . . Licet res « praedicamenti substantiae nullo modo Deo attribuitur, « nisi secundum modum eminentiorem, ut praedicamentum est, neque ratio subsistendi alteri, ut sibi inhaerendi, ratio tamen praedicamenti substantiae, quae est « in se subsistere, . . . verissime Deo convenit, quanto « verius in se subsistit, quam alia [2] ».

Ex his facile intelligis, cum categoria substantiae e rebus finitis in Deum transfertur, duo, uti Henricus advertit, in ea mutari, quae aliquam imperfectionem habent, et tertium manere, quod perfectionem denotat. Ea, quae mutantur, sunt, primo quod substantia divina, secus ac substantia creata, *esse* ab alio non accipit, secundo, quod non est, uti substantia creata, subiectum accidentium. Illud vero manet, quod *esse* in alio non habet, seu quod in se subsistit [3].

Cum haec ita se habeant, liquet ss. Patres, et Scholasticos pugnantia secum haud composuisse, eo quod Deum esse substantiam modo asseruerunt, modo negarunt. Etenim, cum ipsi substantiam, prout denotat *esse*, quod essentiae subest, et quod subiectum accidentium est, considerarunt, Deum non posse dici substantiam docuerunt. At, cum consideraverunt substantiam, prout *non esse* in alio denotat, non modo Deum esse substantiam, sed etiam quidquid in Deo est, nonnisi substantiam esse statuerunt, quia, uti s. Augustinus docuit, « hoc

[1]) *Ibid.*, Dist. XIII, a. 1, q. 2 *resol.*

[2]) *Op. cit.*, a. XXXII, q. 5, n. 19. S. Thomas sapienter monuit Deum ad genus substantiae pertinere, sed non esse in genere substantiae. « Potest contingere, ait, quod aliquid ad substantiae « genus pertinens non sit in genere substantiae, sicut species, quia « res illa non habet quidditatem aliam, nisi suum esse, et propter « hoc Deus non est in genere substantiae, sicut species »; *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 6 c.

[3]) *Op. cit.*, art. XXXIII, q. V, n. 20. Cf p. 401, 402.

« est Deo esse, quod subsistere [1] ». « In Dei substantia, « idem sanctus Doctor scribit, non esse aliquid tale, « quasi aliud ibi sit substantia, aliud quod accidat sub- « stantiae, et non sit substantia; sed quidquid ibi intel- « ligi potest, substantia est [2] ». Hanc ob rationem Doctor Afer docuit substantiam in Deo non esse aliud, quam essentiam, immo Deum potius essentiam, quam sub- stantiam dicendum esse. « Est tamen, subdit, sine dubi- « tatione substantia, vel, si melius hoc appellatur, es- « sentia, quam Graeci οὐσίαν vocant. Sicut enim ab eo, « quod est sapere, dicta est sapientia, et ab eo, quod est « scire, dicta est scientia; ita ab eo, quod est esse, di- « cta est essentia [3] ». Atque alibi: « Nam si hoc est « Deo esse, quod subsistere, ita non erant dicendae « tres substantiae, ut non dicantur tres essentiae. . . . « Sicut enim ab eo, quod est esse, appellatur essentia, « ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus [4] ». Secundum hanc doctrinam s. Augustini, s. Thomas, quem omnium Scholasticorum instar hic laudamus, sanxit Deum substantiam optime dici posse, dummodo sub- stantia late, non vero stricte, nempe dummodo, prout categoria est, non accipiatur. « Deus, inquit, simpliciter « non est accidens, nec tamen omnino proprie potest « dici substantia: tum quia nomen substantia dicitur a « substando, tum quia substantia quidditatem nominat, « quae est aliud ab esse eius. Vnde illa est divisio en- « tis creati. Si tamen non fieret in hoc vis, largo mo- « do potest dici substantia, quae tamen intelligitur su- « pra omnem substantiam creatam, quantum ad id, « quod est perfectionis in substantia, ut non esse in « alio, et huiusmodi: et tunc est idem in praedicato, et

---

[1]) *De Trinit.*, lib. VII, c. 4, n. 9. Cum ipso s. Thomas concinuit, si quidem ait: « Solius Dei proprius modus essendi est, ut sit « suum esse subsistens »; I, q. XII, a. 4 c.

[2]) *De Fide et Symb.*, c. 9, n. 20.

[3]) *De Trinit.*, lib. V, c. 2, n. 3.

[4]) *Ibid.*, lib. VII, c. 4, n. 9.

« in subiecto, sicut in omnibus, quae de Deo praedican-« tur [1] ». Inde factum est, ut Scholastici et categoriam substantiae in Deum cadere non posse data opera demonstrarent [2], et ad divinum *esse* significandum voces essentiae, et substantiae promiscue usurparent [3].

Praeterea, manifestum est vehementer illos Philosophos deceptos esse, qui ex eo quod notio essendi in se, sive subsistendi duntaxat Deo plenissime convenit, nullam substantiam, praeter Deum, dari posse autumarunt. Quod ut facile intelligatur, mente reputandum est cum s. Thoma aliquid dici posse proprium alicui vel ex ea parte, quatenus ad subiectum, vel ex ea parte, quatenus ad praedicatum spectat, propterea quod aliquid potest dici proprium alicui, vel quia ipsi ita convenit, ut nulli alii subiecto convenire queat, vel quia illud, quod de ipso praedicatur, etsi aliis subiectis quoque conveniat, tamen eo modo, quo ipsi convenit, nulli alii subiecto convenire queat. Hoc praestituto, de substantia Dei idem ac de *esse* Eius dicendum est, quia τό *esse* principium substantiae esse intelligitur. Hinc, quemadmodum *esse* est proprium Deo non eo quod res creatae non sunt entia, sed eo quod *esse* illo modo, quo convenit Deo, nempe prout est purum, seu sine admixtione ullius privationis, aut potentiae, nulli naturae creatae convenit [4]; ita Deus proprie substantia est, non quia nulla res creata substan-

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. 4, a. 2 ad 1.

[2]) Vid. s. Thom. in art. cit. in quo quaerit: *Vtrum Deus sit in praedicamento substantiae.*

[3] Vid. eumdem s. Thomam, *Cont. Gent.*, lib. III, c. 51, et 52.

[4]) « . . cum dicitur, Aquinas scribit, aliquid proprie convenire « alicui, hoc potest intelligi dupliciter, aut quod per proprietatem « excludatur omne extraneum a natura subiecti, ut cum dicitur « proprium hominis esse risibile, quia nulli extraneo a natura ho-« minis convenit: et sic esse non dicitur proprium Deo, quia con-« venit etiam creaturis. Aut secundum quod excluditur omne ex-« traneum a natura praedicati, cum dicitur hoc proprie esse au-« rum, quia non habet admixtionem alterius metalli: et hoc modo « esse dicitur proprium Deo, quia non habet admixtionem divi-

tia est, sed quia substantia, prout perfectum actum subsistendi, denotat, nulli rei creatae, sed Deo dumtaxat convenit. Itaque ex eo, quod Deus proprie substantia est, non fluit res creatas non esse, nec dici posse substantias, non secus ac ex eo, quod *esse* propriissime de Deo praedicatur, non sequitur ipsum non posse praedicari de rebus creatis. Id luculenter s. Thomas docuit, si quidem in loco nuper laudato, postquam monuit Deum dici substantiam, *quantum ad id quod est perfectionis in substantia*, adiecit: « et ideo non sequitur, quod « omne, quod est substantia, sit Deus: quia nihil aliud « ab ipso recipit praedicationem substantiae sic acceptae, « secundum quod dicitur de ipso: et ita propter diversum modum praedicandi non dicitur substantia de Deo « et creaturis univoce, sed analogice ».

Vt ea, quae modo disseruimus, in pauca colligamus, statuendum est, si illud, quod nomen substantiae denotat, consideretur, Deum potiori iure, quam ullas res creatas, substantiam dicendum esse, quippe quod Ipsi perfectus actus subsistendi convenit; verum, si origo nominis spectetur, nomen substantiae potius creaturae, quam Deo, convenire, quia Deus, uti ostendimus, nulli rei subesse potest. Quocirca nomen substantiae Deo convenit ex re, quam ipsum denotat, non vero ex modo, quo illam rem denotat [1]. Ratio autem, ob quam nos Deum substantiam nominamus, ex eo petenda est, quod Deum non alio modo nominare possumus, quam quo

---

« num esse alicuius privationis vel potentialitatis, sicut esse creaturae »; *In lib. I Sent.*, Dist. cit., q. I, a. 1 ad 1.

[1]) « In nominibus, quae Deo attribuimus, est duo considerare, « scilicet perfectiones ipsas significatas, ut bonitatem, vitam, et « huiusmodi, et modum significandi. Quantum igitur ad id, quod « significant huiusmodi nomina, proprie competunt Deo, et magis « proprie, quam ipsis creaturis: et per prius dicuntur de Eo. Quantum vero ad modum significandi, non proprie dicuntur de Deo: « habent enim modum significandi, qui creaturis competit »; I, q. XIII, a. 3 c.; cf *ibid.*, a. 6 c.

Ipsum intelligimus, et quoniam Deum, uti suo loco ostendemus, nonnisi ex rebus creatis intelligismus, Eum non aliis nominibus, quam quae rerum creatarum propria sunt, designare possumus [1]. Hinc, quemadmodum nos in rebus creatis essentiam actum subsistendi in se recipere, atque ex eo quod hunc actum in se recipit, ipsam esse subiectum accidentium intelligimus; ita Deum non aliter intelligere possumus, quam veluti essentiam, quae in se subsistit, et subiectum est omnium perfectionum, quas, cum in rebus creatis limitibus circumscriptas nanciscimur, in Deo sine ullo limite esse oportere argumentamur. Quandoquidem nomen substantiae essentiam divinam imperfecte designat, Dionysius Areopagita Deum *supersubstantiam*, ὑπερουσιαν, scitissime nuncupavit [2], et Scholastici, post Boëthium [3], Deum non tam substantiam, quam *supra omnem substantiam* dicendum esse sanxerunt. « Non convenit, s. Thomas scribit, definitio « substantiae Deo, qui non habet quidditatem suam « praeter suum esse. Vnde Deus non est in genere sub- « stantiae, sed est supra omnem substantiam [4] ».

Postquam definitionem spinozianam substantiae, de qua tantopere inter Philosophos decertatum est, explosimus, nonnihil de definitione giobertiana adiiciendum censemus; haec enim ab illa parum differre nobis videtur. En pauca eius verba, quae secundum litteram vertimus: « Rea- « litas est substantia. Sed substantia est indivisa a causa. « Nam substantia est subsistentia, et subsistentia est

---

[1]) « Quia ex creaturis in Dei cognitionem venimus, et ex ipsis « Eum nominamus; nomina, quae Deo attribuimus, hoc modo si- « gnificant, secundum quod competit creaturis materialibus, qua- « rum cognitio est nobis connaturalis »; I, q. XIII, a. 1 ad 2.

[2]) *De Divin. Nomin.*, c. 1 passim.

[3]) « Non est substantia in illo vere substantia, sed ultra substan- « tiam. . . Nam, cum dicimus Deus, substantiam quidem signifi- « care videmur, sed eam quae sit ultra substantias »; *De Trinitate*, lib. I, *Opp.* p. 1024, Basileae 1570.

[4]) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 3 ad 4; cf *ibid.*, q. VIII, a. 2 ad 1.

« negatio nihili. Subsistere, et negare nihil sunt unum, « idemque, quia eorum, quae sibi contradicunt, unum « aliud negat. Negare est quoque operari, et produce- « re. Substantia igitur est causa, nempe vis [1] ». Si haec verba vel leviter considerentur, haud aegre intelligitur Giobertium in primis errasse, quod realitatem cum substantia confudit. Re vera, si realitas est substantia ex eo quod subsistentia est negatio nihili, sequitur non aliud *esse*, seu, uti Giobertius ait, non aliam realitatem admittendam esse, quam substantiam, quia, cum nihilo ens opponatur, omne ens seu quidquid est, est negatio nihili. Atqui hoc consectarium est absurdum; si quidem, uti paulo ante innuimus, non solum substantia, sed etiam accidens est aliquid reale, sive ens, quia prima enumeratio entis est in substantiam, et accidens. Ergo falsum est realitatem, prout realitas est, sive ens, prout est ens, esse illud, quod substantiam constituit. Hunc capitalem errorem Giobertii Henricus Gandav. radicitus evulserat; hic enim cum reliquis Scholasticis docuit substantiam, et accidens ab se non distingui ex eo quod illa est *ens*, et hoc *non ens*, quia tam substantia, quam accidens sunt ens, prout *non enti* opponitur; sed ex eo quod illius proprium est esse in se, huius autem, esse in alio. « Hoc enim, « inquit, est commune substantiae, et accidenti per pri- « mam rationem, quod utrumque significat rem, cui « convenit esse, extra cuius intentionem est intentio en- « tis. Sed in hoc differunt, quod substantiae communis « est esse in seipsa, accidenti vero in alio, et proprie- « tates essendi, quae sunt in se, et quae sunt in alio, « dant eis rationes distinguentes praedicatum substantiae « a praedicato accidentis [2] ». Neque illud praetermittendum est, Giobertium in hac notione tradenda ipsum sibi contradicere, quia ipse probare volens realitatem esse substantiam ex eo quod est negatio nihili, simul

---

[1]) *Protol.*, Saggio I, p. 233 ed. cit.
[2]) *Op. cit.*, art. XXXII, q. V, n. 50.

probat substantiam esse negationem nihil ex eo quod est substantia.

Praeterea, intelligitur Giobertium in eo etiam falsum esse, quod substantiam esse *causam*, sive *vim* autumavit. Ipse enim, postquam substantiam in negatione nihili consistere asseruit, inde confecit substantiam esse causam, sive vim, quia negatio nihili est operatio; quapropter, eius sententia, si substantia est realitas ex eo quod negat nihilum, ipsa est causa ex eo quod est principium operationis, per quam nihilum negat. Ast hoc secundum pronuntiatum, quod Giobertius in notione substantiae posuit, sive *ontologice*, sive *logice* consideretur, primo absurdius est. Et sane, si ipsum *ontologice*, nempe prout ad ipsam substantiam refertur, consideretur, inde sequitur substantiam esse causam creatricem sui, quia, cum productio rei ex nihilo sit creatio, substantiam, si se ipsam ex eo constituit, quod nihilum negat, profecto se ipsam creat. Verum, hoc a veritate longe abest. Primo enim repugnat substantiam esse causam sui quocumque modo ipsa causa sui esse dicatur. Si enim substantia esset causa sui, dicendum foret ipsam aliquid operari, antequam existat. Atqui hoc manifeste repugnat, quia, cum principium, sive remotum, sive proximum operationis, uti alias ostendemus, sit essentia, quae iam per suum *esse* determinata est, operatio *esse* operantis sequi debet. Ergo substantiam esse causam sui manifeste repugnat. Luculentum hoc argumentum s. Augustinus breviter, sed dilucide innuit, ubi ait: « Nulla res se facit, aut gignit, alioquin « erat, antequam esset [1] ». Secundo, manifestius repugnat substantiam esse causam creatricem sui. Nam, cum

[1]) *De immort.*, c. 8, n. 14. Clemens Alex. Doctori afro praeiverat. Hic enim, postquam idem satis probavit, conclusit hunc in modum: « Et differunt esse, ac fieri. . . Non contingit enim idem « secundum idem et esse simul, et fieri. Nihil est ergo suipsius « causa »; *Strom.*, *Fragm.*, lib. VIII, c. 9. Vtrumque secutus s. Thomas ait: « Oportet effectum a causa distingui, cum nihil sit « causa sui ipsius »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 8 c.

actio creatrix infinitam vim expostulet, inde flueret unicam substantiam existere, eamque infinitam, quae ex vi sua infinita se ipsam creat, vel, si secundum pantheismum Theophili Fichtei loqui velimus, se ipsam *ponit*, proindeque, non secus ac τὸ *ego purum* fichtianum, *existit ex eo quod se ponit, et se ponit ex eo quod existit* [1].

Sin *logice* consideretur, scilicet, prout ad intellectum nostrum refertur, illud inde fluit, quod Giobertius, uti alibi dicemus, post Spinozam, nuperosque Pantheistas Germaniae saepe asseruit, nempe rationem humanam esse ipsammet rationem divinam. Re sane vera, non aliter intelligi potest substantiam esse causam sui, quam si intelligatur negationem nihili, per quam substantia se ipsam creat, esse actionem intellectus nostri, qua ens, prout ad modum proprium substantiae contrahitur, *non enti*, seu nihilo opponimus. Atqui, si haec actio intellectus nostri causa substantiae esse dicatur, ratio humana cum ratione divina confunditur, quippe quod sola ratio divina, uti alibi ostendemus, est causa rerum. Ergo, si secundum pronuntiatum Giobertii logice consideretur, eo ratio humana, secundum Pantheistarum placita, cum divina confunditur.

Hisce argumentis ad absurdum ducentibus aliud adiicere e re est, quod errorem Giobertii *directe* explodit. Scilicet notio causae, uti s. Thomas advertit, aliquid denotat, quod notione substantiae non continetur; si quidem substantia per se spectata non refertur ad aliud, quod ab ea sequitnr, notio causae vero substantiam denotat, prout haec ad aliud, quod ab ea sequitur, quodque *effectus* dicitur, refertur [2]. Atqui, si notio causae aliquid in substantia significat, quod substantiae

---

[1]) De hac doctrina Fichtei alias.

[2]) « Nomen causae significat aliquid in essentia diversum, dici« mus enim causam, ad quam sequitur aliud »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. X, a. 1 ad 8. Hoc in loco sanctus Doctor essentiam pro substantia accepit.

notione non continetur, alia profecto est notio *causae*, seu *vis* , alia notio substantiae. Ergo substantia *causa*, seu *vis*, uti Giobertius voluit, absolute dici nequit.

Giobertiani fortasse obiicere nobis possent negationem nihili , per quam substantia producitur, non esse actionem mentis humanae, sed actionem mentis divinae, qua Deus τὸ *esse* substantiae, secundum ideam eius, quam in se habet, extra se producit. At, si pronuntiatum Giobertii, quod in praesentia excutimus , hoc modo intelligendum esset , profecto Giobertius notionem substantiae ab actione creatrice repetere deberet , vel quia actio creatrix ad notionem substantiae explicandam satis sit, vel quia notio substantiae ab actione creatrice eius non distinguatur. Iamvero, horum duorum primum est absurdum in se, alterum ad pantheismum ducit. Primum est absurdum in se, quia aliud est, uti suo loco videbimus, quaerere causas, seu principia, ex quibus *quidditas*, seu essentia rei constituitur, aliud autem quaerere causam, ex qua *quidditas* rei *esse* suum habet; haec enim extra essentiam rei est, illae autem essentiam rei ingrediuntur. Quapropter aliud est causam effectricem substantiae aperire , aliud eius notionem tradere. Alterum autem ad pantheismum ducit. Nam, cum quaelibet actio Dei , uti alias demonstrabimus, sit ipse Deus , certe quisquis actionem , qua Deus substantiam creat, ab ipsa substantia, quam creat, non distinguit , ne Deum quidem a substantia creata distinguit. At, si Deus a substantia creata non distinguitur, consequens est omnem creatam substantiam esse Deum , proindeque non esse aliam substantiam , quam divinam.

Ceterum definitione giobertiana purum, putumque pantheismum contineri ex duobus vitiis, quae nos in ea adnotavimus, manifestissime perspicitur. Nam, 1° si substantia in negatione nihili consisteret, ob idque esset omne id, quod est reale, consequens foret non aliud revera existere, quam substantiam, et, si quid praeter substantiam existere videtur, hoc non esse , nisi *phaenomenum* , seu *ap-*

parens. 2° Si substantia causa creatrix sui ipsius esse diceretur, dicendum quoque foret non aliam substantiam, nisi infinitam, esse. Atqui pantheismus illud systema philosophiae est, quod, quidquid est, unicam substantiam esse, atque hanc unicam substantiam esse infinitam, seu Deum statuit, quocumque nomine unica, et infinita substantia designetur. Ergo definitione giobertiana purus, putusque pantheismus continetur.

Quandoquidem substantia ex duobus elementis, scilicet ex *essentia*, et *esse non in alio* componitur, liquet ad perfectam notionem substantiae perspiciendam opus nobis esse, ut ipsam, tum ex ea parte, quatenus essentia ad *esse*, tum ex ea parte, quatenus *esse* ad essentiam refertur, consideremus. Iam, si substantiam consideremus ex ea parte, quatenus *esse* ad essentiam refertur, proprium substantiae est non habere *esse* in alio, tanquam in subiecto. Nam, quando τὸ *esse non in alio* essentiae additur, inde efficitur, ut essentia, quae *per se* est indifferens ad *esse non in alio*, aut ad *esse in alio*, ad *esse non in alio* contrahatur, sive, ut Schola subdit, determinetur. Sin ex ea parte, quatenus essentia ad *esse* refertur, proprium substantiae est esse subiectum accidentium [1]. Etenim essentia, cum ad *esse non in alio* determinatur, opponitur essentiae, cui *esse in alio* convenit, nempe accidenti. Atqui accidentis proprium est esse rem, cui esse in alio, tanquam in subiecto, convenit. Hoc autem *aliud* nonnisi substantia esse potest. Nam, si non esset substantia, oporteret esse aliud accidens, quia inter substantiam, et accidens, prout categoriae sunt, nihil medii est [2], et, cum hoc accidens, non secus ac

---

[1]) Quod si quandoque unum accidens est subiectum alterius, id ei convenit per substantiam, cuius est accidens. Audiatur s. Thomas: « Nullum accidens potest esse subiectum alicuius ..., nisi « gratia substantiae, quae ei subiicitur » (*In lib. II Sent.*, Dist. XXXIV, q. I, a. 2 c.); atque alibi: « Accidens non potest esse per « se subiectum accidentis, sed subiectum mediante uno accidente « subiicitur alteri; propter quod dicitur superficies esse subie- « ctum coloris »; *In lib. I Sent.*, Dist III, q.IV, a.3 ad 2.—[2]) Cf p.352.

omne aliud accidens, subiectum expostulet, in quo insit, progressus accidentium in infinitum admittendus foret, qui, omnibus fatentibus, absurdus est. Ergo essentia ex eo, quod per *esse non in alio* determinatur, substratum, seu subiectum accidentium est.

Ex utroque capite essentia, cui esse non in alio convenit, uti antea innuimus, nomen *substantiae* habuit. Ex primo. Namque essentia, prout per *esse non in alio* determinatur, minus patet, quam essentia absolute considerata, hoc est, uti in Schola loquendi mos est, ad essentiam absolute consideratam, tamquam inferius ad superius, refertur. Atqui inferius in serie eorum, quae praedicantur, *sub* superiori *stat*, seu superiori subest. Ergo essentia, cum per *esse non in alio* determinatur, *substantia* merito nuncupatur [1]. Item ex altero. Etenim essentia, cui esse non in alio convenit, subiectum accidentium est, quia accidentia in *esse* suum suscipit. Atqui essentiam, quae accidentia in se suscipit, *sub* accidentibus *stare*, hoc est accidentibus subesse intelligitur. Ergo essentia, quae per *esse non in alio* determinatur, ex eo etiam quod subiectum accidentium est, nomen substantiae sibi vindicat. Itaque essentia, cui esse non in alio convenit, substantia vocatur, cum quia essentiae absolute consideratae, cuius specialis determinatio est, tum quia accidentibus subest. Essentia primo modo considerata *subsistentia* quoque nuncupata est, quia ipsa ex eo, quod *esse* suum in se, non autem in alio habet, sub *esse* suo esse intelligitur, proindeque *subsistere* dicitur.

Ex multis locis, in quibus Aquinas hanc doctrinam exposuit, haec duo afferamus. Primus hic est: « Substan- « tia dicitur, in quantum subest accidenti, vel naturae « communi, subsistere vero dicitur aliquid, in quantum « est sub esse suo, non quod habeat esse in alio, sic- « ut in subiecto [2] ». Alter huiusmodi est: « Substantia,

---

[1]) Vid. s. Bonav. *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, a. 1, q. 2 *resol.*
[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, q. I, a. 1 ad 3.

« quae est subiectum, duo habet propria. Quorum pri-
« mum est, quod non indiget extrinseco fundamento,
« in quo sustentetur, sed sustentatur in seipso, et ideo
« dicitur subsistere, quasi per se, et non in alio exi-
« stens. Aliud vero est, quod est fundamentum acciden-
« tium, sustentans ipsa, et pro tanto dicitur substare [1] ».

At, quamvis substantiae, prout specialis categoria est, non solum *esse non in alio*, per quod essentiae absolute spectatae subesse intelligitur, sed etiam esse subiectum accidentium conveniat; tamen notio substantiae, uti s. Thomas advertit, non in eo proprie consistit, quod subiectum accidentium est, sed quod est essentia, cui *esse non in alio* convenit. « De ratione substantiae, sanctus « Doctor ait, est quod subsistit quasi per se ens [2] ». Id multa argumenta suadent, quorum praecipua haec sunt. In primis notio cuiusque rei, uti ex dicendis in altera parte Logicae patescet, in eo proprie ponenda est, per quod ipsam constitui intelligimus; substantiam autem, uti antea ostendimus, constitui intelligimus non ex eo, quod est subiectum accidentium, sed ex eo quod *esse* in se; et non in alio habet. Praeterea, notio substantiae procul dubio in eo consistit, per quod ab accidenti discriminatur, quia accidenti, uti dictum est, per primam divisionem entis opponitur. At substantia ab accidenti discriminatur non ex ea parte, quatenus est subiectum accidentium, sed ex ea parte, quatenus *esse* suum in se, et non in alio habet, quippe quod ex hac, non autem ex illa parte accidenti opponitur. Denique, ut alia argumenta omittamus, si certum est notionem substantiae, quippe quae modum essendi per se denotat, esse absolutam, certum quoque sit oportet ipsam in eo proprie consi-

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 1 c. « Illa, alibi scribit, subsi-«stere dicimus, quae non in alio, sed in se existunt »; I, q. XXIX, a. 2 c. Adde Gandavensem, qui « in creaturis, inquit, subsistere « uno modo, idem est, quod secundum se sistere, non in alio »; *Op. cit.*, a. XXXII, q. 5, n. 52.

[2]) *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 1 ad 1.

stere, quod *esse* in alio non habet, quia, prout est subiectum accidentis, relationem ad ipsum accidens habet [1]. Quamobrem concludendum est notionem substantiae non in eo proprie sitam esse, quod est subiectum accidentis, sed quod *esse* suum in alio non habet.

Hoc alterum, quod ad notionem substantiae probe intelligendam valde confert, fuse explicuimus, ut de alia definitione substantiae, non paucis antiquis et recentibus probata, iudicium ferre possimus. Nimirum visum est quibusdam tum inter veteres, tum inter recentes philosophos substantiam non aliud esse, quam illud, quod inter mutationes rei permanet, atque inter varietates non variatur. Ad hanc definitionem substantiae per diversas vias ab eis perventum est. Pantheistae enim, ut varietates, mutationesque assiduas rerum, quae in mundo cernuntur, cum unitate *Entis*, sive *Absoluti* componerent, autumarunt mundum sensilem non esse, nisi ipsam substantiam, sive Ens, sive Absolutum, quod sub forma materiae mutationibus et varietatibus obnoxium se manifestat, proindeque Absolutum, prout in se est, esse *permanens*, et *invariabile*, et, prout in mundo se manifestat, esse *mutabile*, et *variabile*. Porro, quandoquidem senserunt illud, quod in mundo mutatur, et variatur, esse ipsum Absolutum, quod in se spectatum permanet, et non variatur, Absolutum, prout in se est, tanquam substantiam, et, prout in mundo se manifestat, tanquam accidens, considerarunt, ob idque sanxerunt substantiam esse illud, quod in mutabili permanet, et in variabili non variatur, atque accidens esse illud, quod in immutabili mutatur, et in invariabili variatur. Ex quo illud effatum etiam apud eos invaluit: *accidens in fluxu consistere* [2].

---

[1]) Ad rem s. Thomas: « Ad hoc quod aliquid sit proprie in ge-
« nere substantiae, requiritur quod sit res quidditatem habens,
« cui debeatur esse absolutum, ut per se esse dicatur, vel subsi-
« stens »; *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 6 c.

[2]) Omnium instar sit Heghelius, *Enciclop. des scienc. philos.*, § 151, *Opp.* t. VI, ed. cit. Cf Willm, *Hist. de la phil. alleman.*, c. IV, t. IV, p. 165 sqq, Paris 1847.

Recentes Atomistae vero, quoniam secundum Democritum, et Leucippum arbitrati sunt res, quotquot in hoc aspectabili mundo sunt, ex atomorum concursibus effectas fuisse, cohaerenter docuerunt cunctas mutationes, variationesque, quibus ipsae subiiciuntur, non aliunde oriri, quam ex diversis modis, secundum quos dispositiones atomorum in ipsis mutantur, et variantur. Quocirca in qualibet re aliquid, quod semper permanet, nulloque modo variatur, et aliquid, quod fluit, quodque usque variatur, inveniri censuerunt, atque illud substantiam, hoc autem accidens vocarunt. Certe, Cartesius, recentium atomistarum antesignanus, postquam docuit, « nos, cum substantiam concipimus, non aliud concipere, quam rem, quae ita existit, ut nonnisi se ipsa ad existendum indigeat [1] », notionem substantiae magis, magisque evolvens adiecit substantiam in unaquaque re illud esse, quod inter continuas accessiones, abscessionesque qualitatum usque perdurat, nullique variationi subiicitur, atque accidentia eius esse qualitates, quae ad rem accedunt, aut ab ea abscedunt [2]. Illud vero tacendum non est, plures alios recentes Philosophos, quamvis de natura substantiae, uti alibi dicemus, secus ac Pantheistae, et Cartesiani sensissent, tamen notionem logicam substantiae ab eis traditam haud reiecisse. Exemplo sit Wolfius e Leibnitii schola, qui scripsit substantiam esse *subiectum perdurabile et modificabile* [3].

---

[1]) *Les principes de la phil.*, part. 1, § 51 (*Oeuvr. phil.* ed. Garnier, t. I, p. 254, Paris 1835). Hac definitione Cartesius quemadmodum iure Leibnitius ei obiecit (*Examen des principes du R. P. Malebranche*; *Opp.* ed. cit. p. 691), pantheismo spinozistico viam stravit. Certe, ipsemet Cartesius (l. cit.) observavit solum Deum secundum definitionem substantiae a se allatam dici posse substantiam.

[2]) Vid *Medit.* II, § 9. *Oeuvr.* ed. A. Garnier, t. I, p. 100-106, et *Medit.* III, § 7, *ibid.* p. 116 ed. cit.; *Les principes de la phil.*, part. I, § 73, *ibid.* p. 271; *Repons. aux cinquiem. object.* § 16, 18, et 25, t. II, p. 297, ed. cit.

[3]) *Ontologiae* par.2,sect.II,c. 2, § 768, Francof., et Lipsiae 1730.

Verum, hae notiones substantiae, et accidentis absurdae sunt, sive ex principiis ontologicis, quibus innituntur, sive ex principiis logicis pensentur. Principiorum ontologicorum examine praetermisso, utpote quod ad aliam partem philosophiae pertinet, allatas notiones ad principia logica, quae ante exposuimus, breviter exigemus. Et primo, notiones substantiae, et accidentis sunt duo primi modi, secundum quos ens in rebus creatis determinari intelligimus. Atqui permanens, et mutabile, seu invariabile, et variabile non sunt duo modi primi, per quos ens in rebus creatis determinari intelligimus; si quidem intelligere non possumus ens esse *permanens*, seu *invariabile*, nisi intellexerimus ipsum esse in se, non vero in alio, et vicissim ens esse *mutabile*, aut *variabile*, nisi postquam intellexerimus ipsum esse in alio, tanquam in subiecto. Ergo, etiamsi permanens, et mutabile essent duo modi, in quos ens per categorias dividi intelligeremus, procul dubio non forent substantia, et accidens, quia substantia, et accidens sunt duo modi primi, in quos ens, quod est principium categoriarum, dividitur. Adde his, quod immutabilitas, seu, uti aiunt, *permanentia*, et mutabilitas non sunt modi essendi, qui categoriarum nomine designantur. Etenim categoriae sunt ii modi essendi, quibus *esse* in rebus determinari intelligimus. Atqui immutabilitas, et mutabilitas non denotant peculiares modos, quibus ens determinari intelligimus, verum e contrario ens iam determinatum, seu constitutum expostulant. Tantum igitur abest, ut immutabilitas, et mutabilitas sint duae primae categoriae, in quas ens dividitur, ut inter categorias recenseri nullo modo queant [1]. Praeterea, indubium est notiones substantiae,

---

[1]) Nemo putet mutabile confundi cum accidenti eo quod accidens potest esse, et abesse in subiecto; ipsum accidens enim ratione subiecti, in quo inest, mutationi obnoxium est. « Nihil, ait s. « Bonaventura, prohibet intelligere alterationem fieri in accidente « ratione alterationis factae in subiecto, sicut albedo modo est « clara, modo obscura ratione alterationis factae in subiecto, pro-

et accidentis in eo consistere, per quod ab se invicem distinguuntur, quia, ut pervulgatum illud Scholae fert, unum, idemque est id, quo quaelibet res efficitur, a ceteris distinguitur, et operatur. Atqui substantia non distinguitur ab accidenti, prout accidens categoria est, ex eo quod est aliquid permanens, et invariabile, nec accidens a substantia ex eo quod est aliquid mutabile, et variabile, propterea quod sunt, uti antea ostensum est, quaedam accidentia, quae, cum ab essentia necessario fluant, a subiecto abscedere non possunt. Notiones igitur substantiae, et accidentis in eo consistere nequeunt, quod substantia aliquid permanens, et invariabile, accidens autem aliquid mutabile, et variabile significent.

Aliae sunt notiones, seu definitiones substantiae a Philosophis traditae; verum harum examen instituere potius ad ontologiam, quam ad logicem pertinet.

Quandoquidem notionem substantiae in universum investigavimus, necesse est, ut de divisione substantiae in primam, et secundum, de qua post Aristotelem inter philosophos vehementer disputatum est, in praesentia edisseramus. Substantia, secundam Aristotelem, est aut prima, πρωτη, aut secunda, δευτερη. Prima substantia est, quae neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est, eaque *hoc aliquod*, τόδε τι, nempe individuum, seu singulare significat. Secundae substantiae sunt species, et genera, quae in substantiis primis, tanquam partes in toto, sunt, puta homo, et animal in quolibet singulari homine. Prima substantia est substantia *maxime proprie, et primum, et maxime dicta*, ἡ κυριώτατά τε καὶ πρώτως καὶ μάλιστα λεγομενη, quippe quod res singularis, sive individuum est ceterorum omnium subiectum. Inter alias res solae species, et genera sunt substantiae secundae, quia

---

« prio, et color modo est tenebrosus, modo est luminosus ratione « transmutationis factae in perspicuo sibi coniuncto »; *In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, a. II, q. 5 *ad arg.*

solae species et genera substantiam declarant, atque ex eis magis species, quam genera, quia, cum species ad substantiam primam magis accedant, quam genera, eius naturam magis declarant. Puta explicans quid sit aliquis homo, eius notionem efficiet notiorem, si eum esse hominem, quam si esse animal explicuerit [1].

Vt haec doctrina Stagiritae probe perspiciatur, advertendum est essentiam duobus modis ad individuum relatam intelligi posse. Ipsa enim in primis intelligi potest, prout est illud, quod per *esse* individui determinatur, quia, prout per *esse* cuiusque individui determinatur, est hoc individuum, et non aliud. Puta humanitas, prout per *esse* Petri, aut Pauli determinatur, est Petrus, aut Paulus. Secundo, potest intelligi, prout est illud, quod individuum in certo genere, aut certa specie constituit, quia essentia cuiusque rei, ut alias ostendemus, est principium, per quod res ad certum genus, aut ad certam speciem pertinet. Ita humanitas eo ipso, quod per *esse* Pauli, aut Petri determinatur, est illud, per quod Petrus, aut Paulus est homo. Iam manifestum est essentiam utroque modo consideratam esse substantiam, quippe quod ipsam utroque modo consideratam subsistere intelligimus, vel per aliud, nempe cum denotat speciem, aut genus, quae nonnisi in individuo subsistunt, vel per se, nempe, cum denotat individuum, quod per se ipsum subsistit. At manifestum quoque est, nomen substantiae essentiae diverso ordine convenire, prout diversus est modus, quo ipsa consideratur. Re vera, essentiae priori modo consideratae nomen substantiae posterius, quam individuo, convenit; ipsa enim *esse* in se in individuo habet, quia in individuo re vera subsistit [2], et per individuum est subiectum accidentium, quia individuum

---

[1]) *Categ.*, c. 5, ed. Waitz, t. II, p. 84 sqq.

[2]) « Dicendum, Aquinas ait, quod nulla natura habet esse, nisi « in supposito suo . . . unde quidquid est in genere substantiae « per se existens, rationem hypostasis habet, vel suppositi »; *In lib. III Sent.*, Dist. II, q. II, a. 3, *sol.* 1 c.

subiectum completum accidentium est. Ex. gr. humanitas re ipsa non subsistit, nisi in Petro, aut in Paulo, aut in alio quovis homine individuo, et nullum accidens in se suscipere potest, nisi prout est in Paulo, aut in Petro. Contra ea, essentiae posteriori modo consideratae nomen substantiae prius, quam individuo, convenit. Nam, etsi essentia *esse* suum nonnisi in individuo habeat, tamen *esse* individui per essentiam, quam determinat, ad certam speciem, et ad certum genus pertinet. Ita humanitas revera non existit, nisi in Petro, et Paulo: verum Petrus, et Paulus per humanitatem habent illud *esse* per se, quod est proprium hominis, quia per ea, quae humanitatem constituunt, principiis materialibus determinata subsistunt. Quandoquidem autem essentiae, prout hoc in loco considerantur, genera, et species, nempe universalia sunt, liquet 1° substantiam, uti s. Anselmus advertit [1], esse non solum singularem, quae est individuum, sed etiam universalem, quae est species, vel genus; 2° nomen substantiae, uti s. Thomas docuit [2], posterius generi, et

---

[1]) « Namque, cum omnis substantia tractetur aut esse univer-
« salis, quae pluribus substantiis essentialiter communis est, ut
« hominem esse commune est singulis hominibus, aut esse indi-
« vidua, quae universalem essentiam communem habet cum aliis,
« quemadmodum singuli homines commune habent cum singulis,
« ut homines sint »; *Monol.*, c. XXVII, ed. cit.

[2]) Vid. s. Thomam *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, q. 1, a. 1 *sol.* Hoc in loco s. Thomas, postquam duo innuit, ex quibus notio substantiae efficitur, scilicet subsistere, hoc est esse per se, et substare, hoc est esse subiectum accidentium, ostendit illud convenire prius generibus, et speciebus, quam individuo, hoc autem prius individuo, quam generibus, et speciebus. En pauca eius verba: «... no-
« men subsistentiae per prius convenit generibus, et speciebus
« in genere substantiae, ut dicit Boëthius in lib. *de duab. Nat.* (circa
« med.), et individuis non convenit habere tale esse, nisi inquan-
« tum sunt sub natura tali communi. Quamvis enim genera, et spe-
« cies non subsistant, nisi in individuis, quorum est esse, tamen
« determinatio essendi fit ex natura, vel quidditate superiori». Et paulo post: « quod substat. . . est individuum in genere substan-
« tiae per prius. Genera enim, et species non substant accidenti-
« bus nisi ratione individuorum: et ideo nomen substantiae

speciei, nempe substantiae universali, quam individuo, scilicet substantiae singulari convenire, si genus, et species considerentur, prout in individuo existunt; prius vero, si considerentur, prout essentiam genericam, aut specificam individui constituunt; 3° Aristotelem, quemadmodum Rosminius ei obiecit [1], sibi haud contradixisse, eo quod universalia individuis modo priora, modo posteriora esse dixit, si quidem intellectus reapse universalia, tanquam priora individuis, intelligit, cum ab eis essentiam genericam, aut specificam individui effici intelligit, et, tanquam posteriora individuis, intelligit, cum ea in individuis re vera subsistere intelligit [2].

Ex his haud difficulter in primis colligitur notionem perfectae substantiae non in generibus, et speciebus, sed in individuo inveniri. Namque, uti Albertus M. argumentatus est, ad notionem perfectae substantiae constituendam tria expostulantur, scilicet, 1° ut substantia *esse* non tantum in intellectu, sed in natura rerum etiam habeat, quia *esse*, quod est in rerum natura, perfectius eo est, quod in intellectu dumtaxat est; 2° ut *esse* habeat, quod et per se est, et fundamentum est τοῦ *esse* ceterorum; 3° ut aliis vim substandi largiatur. Atqui haec tria non inveniuntur in speciebus, et generibus, sed dumtaxat in individuo. Etenim species, et genera, cum notiones secundae sint, *esse* suum, uti vidimus, in intellectu dumtaxat habent, eaque in natura rerum per individuum esse intelligimus. Tum quoque intelligimus species, et genera, quippe quae suum *esse* in individuo habent, non per se, sed per individuum esse, individuumque proprie, et per se esse, et esse fundamentum τοῦ *esse*

« primo, et principaliter convenit particularibus substantiis se-
« cundum Philosophum (Cap. *de substantia*), et secundum Boë-
« thium libro *de duabus Naturis* »; cf ibid. ad 2, et Dist. XXVI, q. I, a. 1 ad 4.

[1]) *Aristotele esposto, ed esaminato*, lib. I, c. 5, p. 97 ed. cit.

[2]) Vid Haurèau, *Histoire de la phil. scolast.*, c. III, vol. I, p. 57, Paris 1850.

generum , et specierum. Tum denique intelligimus species et genera non prout in se , sed prout in individuo considerantur, subiectum accidentium esse, ob idque ipsa ab individuo vim sustinendi accidentia sumere , tantum abesse, ut individuo ipsam largiantur. Ergo notio perfectae substantiae in individuo , non vero in speciebus , et in generibus invenitur [1].

Secundo, illud perspicitur, species, et genera, etsi perfectam notionem substantiae non contineant, tamen non immerito substantias quoque nuncupari. Namque in primis , quoniam species , et genera essentiam individui , quod proprie nomine substantiae venit , constituere intelligimus, necesse est , ut intelligamus quoque ipsa esse substantias, quia, secundum illud effatum Scholae, quod Albertus M. attulit: « nihil, quod per sui essentiam facit « substantiam, est non substantia [2] ». Praeterea τὸ *esse*, quod species, et genera in individuo habere intelligimus, est ipsum *esse*, quod essentiae individui convenit, quia species, et genera, uti diximus, nonnisi in individuo esse intelligimus. Atqui τὸ *esse*, quod essentiae individui convenit, est *esse* non in alio, tamquam in subiecto, quia proprium individui est *subsistere*. Ergo τὸ *esse*, quod species, et genera in individuo habere intelligimus, est esse non in alio, tanquam in subiecto. Quod cum proprium substantiae sit, liquet species, et genera merito substantias appellari, etsi *esse* in se non sui, sed individui proprium habeant.

---

[1]) « Ad perfectam autem substantiam , et rationem perfectae « substantiae tria requiruntur, quorum unum , et primum est, « quod perfectissimum esse in natura, et actu habeat, et non esse « intentionale vel intellectuale tantum: et hoc esse non habent spe- « cies et genera , secundum quod huiusmodi. Secundum autem « est, quod secundum se substet, et in se fundet ad esse quaecum- « que sunt rerum. Hoc non habent secundae substantiae : quia « fundantur in primis , et non fundant eas in esse. Tertium est, « quod aliis fundandi, et substandi virtutem tribuant: sicut quod « secundae substantiae consequenter substant accidentibus, con- « sequenter habent a primis »; *Lib. de Praedicam.*, tract. II, c. 3.

[2]) *Op. cit.*, tract. II.

Tertio, intelligitur quoque individuum nomine substantiae primae, species autem, et genera nomine substantiarum secundarum ab Aristotele scite designata fuisse, quia, cum species, et genera per individuum, ex quo determinantur, substantiae sint [1], notio substantiae prius individuo, quam speciebus, et generibus, convenit. Quod quidem, ut nuper Gastmannus observavit [2], ordini cognitionis etiam consentaneum est. Cum enim cognitio nostra a sensilibus initium sumat, nos ea duo, quae substantiam efficiunt, in individuo primum cognoscimus; deinde speciebus, et generibus, quae essentiam individui significant, quodammodo convenire intelligimus. Iam, quandoquidem res non alio modo denominamus, quam quo ipsas intelligimus, Aristoteles individuum primam substantiam, speciesque, et genera substantias secundas iure, meritoque denominavit [3].

Aristoteles porro docuit substantiam primam significare τόδε τι [4], *hoc aliquid* [5], quia substantiae primae, annotante Alberto M., « habent materiam terminatam et si-« gnatam accidentibus et individuantibus, per quae sunt, « et hic et nunc [6] ». Ipsam autem maluit *hoc aliquid* dicere, quam individuum; si quidem, cum categoriae logice consideratae suprema genera rerum denotent, sub-

---

[1]) « Dicendum, s. Thomas ait, quod subsistere attribuitur gene-« ribus, et speciebus, non quia subsistant, sed quia individua in « eorum naturis subsistunt »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 1 ad 5.

[2]) « Hae autem res (*sensibiles*)... quia per se sunt, substantiae; « quia primae nobis sese offerunt, primae (πρῶται οὐσίαι).. vocan-« tur »; *De methodo philosophandi aristotelica*, c. 2, p. 68, Groningae 1845.

[3]) Hinc s. Bonaventura : « Attendendum quod substantia dici-« tur dupliciter. Prima, quae est individuum, et hypostasis, sive « persona, et secunda, quae est commune »; *In lib. I Sent.*, Dist. V, a. 11, q. 1 *resol.*

[4]) *Categ.*, l. c., et *Met.*, lib. VII, c. 1 ed. Brand.

[5]) Italice *cotesto*. Videsis de hac voce Bonghium, *Metaf. di Arist.* etc., lib. V, c. 8, p. 259, not 2, ed. cit.

[6]) *Op. cit.*, ibid., c. 8.

stantia prima non ullum certum individuum, sed individuum universim spectatum, nempe *vagum*, seu, quemadmodum Trendelenburgius vertit [1], aliquid, quod *undique definitum est* in genere substantiae, sit oportet [2]. Substantias secundas vero dixit significare potius ποιόν τι, *quale quid*, quia ipsae significant qualitates individui, non quidem, uti apposite Haureavius monuit [3], accidentales, hoc est illas, quae ad categoriam *qualitatis* pertinent, sed essentiales, hoc est illas, quae essentiam individui vel potestate, uti genus, vel *actu*, uti species, constituunt [4].

Quarto, evidens est substantiam de individuo, et de speciebus, generibusque non *univoce*, nempe *aequivoce*, sed *analogice* dici, propterea quod, uti ex disputatis patet, notio substantiae nec invenitur in ipsis eadem ratione, uti genus in speciebus sibi subiectis, neque diversa ratione, ita ut solum nomen eis commune sit, sed eo modo, quo unum ad aliud ordinem habet, quia species et genera ordinem habent ad individuum, quod proprie, et maxime substantia est [5]. Hinc Albertus M. edixit species, et genera dici substantias « per similitu- « dinem proportionis, et non per naturae veritatem [6] ».

---

[1]) *In lib. II De Anim.*, c. 1, § 2, p. 325, ed. cit.

[2]) Vid. Albertum M. *Op. cit.*, tract. II, c. 2, in quo ait: « Exem- « pla non sunt posita de individuo signato, sed de individuo va- « go: ideo quia hoc individuum habet aliquid de natura speciei... « et sic magis convenit scientiae. Habet etiam individuum vagum « aliquid de speciei praedicatione: propter quod in doctrina prae- « dicabilium convenientius est exemplum per individuum vagum, « quam per individuum signatum »; cf Scotum, *Op. cit.*, q. XII, n. 4, concl.

[3]) *Op. cit.*, ibid. p. 63.

[4]) Vid. p. 262 sqq. Legere e re est Albertum M., *Op. cit.*, tract. II, c. 8, et s. Thomam, *In lib. VIII Met.*, lect. 13; *Qq. dispp.*, q. unic. *De Anim.*, a. 1 c. etc.

[5]) « Analogice, s. Thomas ait, hoc est secundum ordinem, vel « respectum ad aliquod unum »; *Cont. Gent.*, lib. I, c. 34.

[6]) *Op. cit.*, ibid., c. 2.

Ex his facile colligitur substantiam dividi in primam, et secundam, non tamquam genus in species sibi subiectas, sed tamquam analogum in sua *analogata*. En brevem argumentationem, quam Aquinas attulit his verbis : « Cum dividitur substantia in primam, et secundam, non est divisio generis in species, quum nihil « contineatur sub secunda substantia, quod non sit in « prima, sed est divisio generis secundum diversos modos essendi. Nam secunda substantia significat naturam generis secundum se absolutam, prima vero substantia significat eam ut individualiter subsistentem. « Vnde magis est divisio analogi, quam generis [1] ».

Quod si divisio substantiae in primam, et secundam non est generis in suas species, sed analogi in sua *analogata*, inde conficitur definitionem, vel si stricte loqui velimus, descriptionem substantiae, quam ex Stagiritae sententia ante exposuimus, substantiae primae, et substantiis secundis non *univoce*, sed *analogice* convenire. Id breviter innuit Albertus M., ubi scribit: « Substantiam « autem, quae communis est ad primam, et secundam', non diffinit Aristoteles, quia multipliciter est « dicta de illis [2] ».

Illud denique manifestum est, 1° substantiam, quae est prima categoria, et fundamentum reliquarum, esse individuum; 2° species, et genera non esse speciales categorias, sed ad categoriam substantiae reduci, quia non subsistunt actu, nec sunt subiectum accidentium secundum se, sed ex ea parte, quatenus sunt principia essentialia individui, quod secundum se et actu subsistit, et subiectum accidentium est [3].

His omnibus exploratis, illud reliquum foret, ut proprietates, quae in substantia menti nostrae obviae sunt,

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 2 ad 6. Cf Albertum M., *Op. cit.*, ibid., c. 2.

[2]) *Op. cit.*, ibid., c. 3.

[3]) Iuvat legere s. Thomam, *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, q. I, a. 1 c., et ea quae, ex eius sententia, diximus p. 375, et 376.

explicaremus. Verum, quandoquidem ipsae ad substantiam ontologice spectatam potissimum pertinent, una dumtaxat, quam nosse logici valde interest, hoc in loco enucleanda nobis est.

Aristoteles docuit substantiam primam eiusmodi esse, ut nec de ullo subiecto dicatur, nec in ullo subiecto insit, et secundas substantias esse eiusmodi, ut in nullo subiecto insint, sed de subiecto dicantur. Atque in primis, « hoc omni substantiae commune est, ut idem Sta- « girita inquit, non inesse in subiecto [1] ». Nam, cum substantia, et accidens in eo sibi opponantur, quod illa habet esse in se, hoc autem in alio, tanquam in subiecto, nulli substantiae convenire potest inesse in alio, tamquam in subiecto. At vero, substantiae primae a secundis differunt, quod illae nullo modo de subiecto dici queunt, hae autem de illis, tanquam subiectis, nempe de individuis, dicuntur. Et sane, substantia prima, utpote quae individuum significat, in subiecto inesse nullo modo potest, tum quia individuum, cum sit omnino determinatum, est subiectum ultimum, nempe subiectum, cui nihil aliud subiicitur, tum quia, cum sit illud, quod dumtaxat in rerum natura est, reliqua omnia per ipsum in natura rerum sunt. Sed, id, quod in subiecto inesse nullo modo potest, de subiecto dici nunquam potest. Substantia prima igitur eiusmodi est, ut de subiecto nunquam dicatur. Audire operae pretium est B. Albertum M.: « A principali nempe substantia nulla « est praedicatio, quia individuum de nullo praedicatur... « est enim omnium novissimum subiectum, et ideo non « potest habere aliquid, quod sibi sit subiectum, prout « subiectum dicitur secundum naturam substans suppo- « situm, nec potest dici de subiecto [2] »; atque alibi: « . . . A prima substantia nulla est ordinata praedicatio; « ideo dicitur quod neque de subiecto est. Quia autem

---

[1]) *Categor.*, c. cit..
[2]) *Op. cit.*, ibid., c. 7.

« nullo modo sibi convenit inesse, cum omnia alia si-
« bi insint, et salventur in esse naturae, per hoc quod
« sibi insunt aliquo modo, ideo impossibile fuit ipsam
« primam substantiam inesse alicui [1] ».

Contra ea, substantiae secundae, quamvis non sint in prima, tanquam accidentia in subiecto, tamen in prima sunt, tamquam ea, quae sunt superiora in inferioribus, quia species, et genera, quippe quae essentiam individui constituunt, in individuis, tanquam superiora in inferioribus, sunt. Atqui id, quod aliqua ratione in alio est, de eo, in quo est, aliquo modo dici potest. Substantiae secundae igitur de primis aliquo modo dici possunt. Perspicuum porro est illud quod Haureavius post Scholasticos advertit [2], scilicet aliter de substantia prima substantias secundas, aliter accidentia, quae novem reliquae categoriae sunt, dici. Nam, substantia secunda de prima dicitur non solum secundum nomen, sed etiam secundum definitionem, quippe quod, cum substantia secunda ad essentiam substantiae primae pertineat, non solum nomen eius, sed etiam essentia, quam definitio eius continet, substantiae primae convenit. Accidens autem de substantia, in qua, tanquam in subiecto, inest, secundum nomen dumtaxat dicitur. Etenim substantia ab accidente, quod in ea, tanquam in subiecto, inest, denominatur, sed accidens ad essentiam eius non pertinet, quia subiectum, uti ad hanc rem Albertus M. observavit [3], est causa τοῦ *esse*, non vero essentiae accidentis. Ita Petro non solum nomen hominis, sed etiam esse hominem convenit, unde Petrus homo dicitur; verum Petrus ab albedine, quae in eo inest, albus vocatur, sed esse albedinem ei, quatenus homo est, non convenit, quia al-

[1]) *Ibid.*, c. 2. — [2]) *Op. cit.*, ibid. p. 60-64.

[3]) « . . . substantia secunda est in prima, et accidens in subiecto. « Differt autem in speciali quoad hoc, quod secunda substantia « est causa essentiae et esse primae: subiectum autem est causa « accidentis secundum esse quod habet »; *Lib. de Praedic.*, tract. I, c. 5.

bedo ad eius essentiam non pertinet. Iam, quandoquidem id, quod de subiecto secundum nomen, et secundum essentiam dicitur, *univoce*, συνωνύμως, et id, quod secundum nomen dumtaxat dicitur, *denominative*, παρωνύμως, de ipso dicitur, consequens est substantias secundas de primis aliter, quam accidentia, dici, quia illae *univoce*, haec *denominative* dicuntur [1].

Itaque concludendum est 1° substantiam aut nullo modo de subiecto dici, cuiusmodi est substantia prima, aut *univoce*, cuiusmodi substantia secunda est, nunquam vero *denominative*, quemadmodum accidentia dicuntur de subiecto, in quo sunt; 2° substantiam primam esse proprie, et maxime substantiam, quia ipsa nullo modo de subiecto dicitur. Vnde s. Augustinus sapienter advertit substantiam, vel personam non ita dici, « sicut dicitur homo, « quod est commune omnibus hominibus, sed quomodo « dicitur hic homo, velut Abraham, velut Isaac [2] ».

Antequam manum ab hac tractatione amoveamus, obiectio, quae menti lectoris occurrere potuit, solvenda nobis est. Ea ita se habet: Categoria, uti ab initio expositum est, illud denotat, quod de alio praedicatur. Ergo repugnat primam categoriam esse aliquid, quod nullo modo de subiecto praedicari potest, cuiusmodi est *hoc aliquid*, seu individuum. Accedit, quod obiectum logicae non est ens reale, sed ens *rationis*. Atqui ens rationis, quippe quod est universale, est eiusmodi, ut de subiecto dici queat. Ergo aut dicendum est categorias non esse obiectum logicae, aut negandum est categoriam substantiae, quae omnium categoriarum princeps est, circa aliquid versari, quod nullo modo de subiecto dici potest.

Ast, huic obiectioni, si ea, quae hactenus statuimus, penitus introspiciantur, parum difficultatis inesse patescet. Enimvero, Aristoteles, cum docuit substan-

---

[1]) « Denominatio, s. Thomas ait, proprie est secundum habitu- « dinem accidentis ad subiectum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. I, a. 5 ad 2. — [2]) *De Trinit.*, lib. VII, c. 6, n. 11.

tiam, quae prima categoria est, significare *hoc aliquid*, seu individuum, per *hoc aliquid* non intellexit hoc, aut illud individuum, sive, ut Scholae aiebant, individuum *signatum*, puta Petrum, aut Paulum, sed id, quod *rationem*, nempe naturam individui efficit, hoc est individuum *vagum* [1]. Iamvero, id, quod *rationem*, nempe notionem individui efficit, non est hoc, aut illud individuum, sed est conceptus mentis in quo cuncta individua conveniunt, quique idcirco individuum vagum repraesentat. Ergo non repugnat substantiam, prout categoria est, de singulis substantiis praedicari, quae extra intellectum sunt, non quidem prout accidentia praedicantur de subiecto, in quo sunt, nec prout substantiae secundae de primis, in quibus sunt, sed prout ipsa denotat conceptum mentis, qui cunctis individuis communis est.

Vt id facilius intelligatur, advertendum est cum s. Thoma res, prout in seipsis sunt, non esse nec universales, nec particulares, nec singulares, sed illarum universalitatem, particularitatem, et singularitatem esse notiones, seu, uti Scholae aiebant, *intentiones* secundas mentis humanae. Nam, si mens humana in re illud intelligit, quod ei cum ceteris eadem specie, aut genere contentis commune est universalem eius notionem sibi conficit; sin intelligit illud, quod ei non cum omnibus, sed solum cum quibusdam aliis eiusdem speciei, et generis est commune, notionem eius particularem sibi efficit; si denique eam, prout undique definita est, considerat, notionem eius singularem adipiscitur [2]. Ex quo vides res, quae sunt in natura, esse quidem singulares, et individuas, sed notionem, sive intentionem singula-

---

[1]) « Sed individuum *vagum*, ut *aliquis homo*, ad rem s. Thomas « subit, significat naturam communem cum determinato modo « essendi, qui competit singularibus, ut scilicet sit per se subsi- « stens distinctum ab aliis. Sed in nomine singularis designati « significatur determinatum distinguens, sicut in nomine Sor- « tis haec caro, et hoc os »; I, q. XXX, a. 4 c.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. V, a. 1 c.; et *De ente et essentia*, c. 4.

ritatis, non secus ac notiones universalitatis, et particularitatis, esse in intellectu [1]. At, si notio singularitatis non in rebus, sed in intellectu est, sequitur ipsam non esse alicuius rei singularis, et individuae propriam, sed esse cunctis rebus singularibus communem, ideoque non denotare determinatum principium, ex quo aliqua res individua et singularis est, sed communem modum, quo natura communis in cunctis individuis determinatur. Hinc s. Thomas sapienter animadvertit in qualibet substantia individua non solum communem esse naturam, quae in cunctis substantiis individuis determinatur, puta humanitatem, sed communem etiam esse modum existendi, quo natura communis individuatur, et dumtaxat commune non esse determinatum principium, ex quo ipsa fit hoc, non vero illud individuum, puta Petrus, non vero Paulus. Namque, etsi unum, idemque sit principium, per quod natura communis, puta hominis, in Petro et Paulo individuatur, nempe, uti alias videbimus, materia; tamen alia est materia, per quam natura communis hominis in Petro, alia, per quam in Paulo individuatur. Iam-

---

[1]) Hinc s. Thomas monuit nomen individui non solum significare rem, cui intentio singularitatis convenit, sed etiam ipsam intentionem singularitatis, et, si significat prius, esse nomen primae intentionis, sin posterius, esse nomen secundae intentionis. « Individuum, ait, dupliciter potest significari; vel per nomen se- « cundae intentionis, sicut hoc nomen *individuum*, vel *singulare*, « quod non significat rem singularem, sed intentionem singula- « ritatis; vel per nomen primae intentionis, quod significat rem, « cui convenit intentio particularitatis »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, q. I, a. 3 c.

[2]) En locum, in quo s. Thomas hanc rem mirifice explicuit: « Ad « primum ergo dicendum, quod in substantia particulari est tria « considerare. Quorum unum est natura generis, et speciei in sin- « gularibus existens: secundum est modus existendi talis naturae, « quia in singulari substantia existit natura generis, et speciei, « ut propria huic individuo, et non ut multis communis: tertium « est principium, ex quo causatur talis modus existendi. Sicut au- « tem natura in se considerata communis est, ita et modus exi-

vero, si modus existendi, quo natura communis fit substantia prima, nempe individuum, communis cunctis individuis est, liquet conceptum substantiae primae esse conceptum, qui cunctas substantias individuas complectitur, proindeque substantiam primam, prout categoria est, eiusmodi esse, ut aliquo modo praedicari queat.

Ad illud vero, quod obiectionis augendae gratia adductum est, exsufflandum satis est afferre haec pauca verba eiusdem Aquinatis: « Logicus considerat res, « prout sunt in ratione. Et ideo considerat substantias, « prout secundum acceptionem intellectus subsunt in- « tentioni universalitatis. Et ideo, quantum ad prae- « dicationem, quae est actus rationis, dicitur, quod prae- « dicatur de subiecto, id est de substantia subsistente « extra animam [1] ».

Quae cum ita se habeant, liquet nihil prohibere, quominus substantia prima, quam Aristoteles principem categoriam fecit, individuum in genere substantiae significet, simulque aliquo modo de subiecto dicatur. Nam ipsa, prout ab Aristotele explicata fuit, non aliquod determinatum individuum denotat, sed conceptum individui, qui, cum communis omnibus individuis sit, de individuis extra intellectum existentibus dici potest.

Aliae sunt proprietates substantiae, puta ipsam, cum

« stendi naturae: non enim invenitur natura hominis existens in « rebus, nisi aliquo singulari individuata. Non enim est homo, qui « non sit aliquis homo, nisi secundum opinionem Platonis, qui po- « nebat universalia separata. Sed principium talis modi existen- « di, quod est principium individuationis, non est commune, sed « aliud est in isto, et aliud in illo. Hoc enim singulare individua- « tur per hanc materiam, et illud per illam. Sicut ergo, nomen, « quod significat naturam, est commune, et definibile, ut homo, « vel animal: ita nomen, quod significat naturam cum tali modo « existendi, ut hypostasis, vel persona. Illud vero nomen, quod « in sua significatione includit determinatum individuationis prin- « cipium, non est commune, nec definibile, ut Sortes et Plato »; *Qq. dispp.*, *De Potent.*, q. IX, a. 2 ad 1.

[1]) *In lib. VII Met.*, lect. 13.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

una, eademque sit, posse in se contraria suscipere; verum illas, quippe quae circa terminum, ad quem substantia refertur, versantur, persequi non logici, sed ontologi est. Vadem dare possumus ipsum Albertum M.; hic enim, etsi de proprietatibus substantiae in logica tractaverit, tamen fassus est ipsas ad substantiam pertinere « absque hoc quod consideretur ut praedicabile, « vel unum praedicabilium, sive praedicamentorum [1] ».

ARTICVLVS DECIMVSPRIMVS

De categoria quantitatis

Categoria substantiae, de qua hactenus disputavimus, est novem reliquarum subiectum. Nam proprium harum categoriarum est inesse, et quidquid inest, vel per se, vel per aliud, quod et ipsum inest, substantiae inesse debet. Atqui illud, in quo aliud inest, eius subiectum est, et illud, quod in alio, tanquam in subiecto inest, est eius accidens. Ergo novem postremae categoriae ad primam, tanquam accidentia ad subiectum, referuntur. Iam, quandoquidem accidentia, ut in Idealogia ostendemus, a principiis subiecti quodammodo gignuntur, s. Thomas sapienter statuit τὸ *esse* novem postremarum categoriarum considerandum tanquam illud, quod τῷ *esse* substantiae additur, ab eoque pendet [2]. Hinc, postquam substantiae notionem, proprietatesque logicas exposuimus, de reliquis categoriis, quae eius accidentia sunt, disseramus necesse est.

Antequam vero ad ipsarum enumerationem, explicationemque accedamus, iuvat memoria repetere, atque enucleatius exponere, quid sit, quo accidens, prout categoria, seu praedicamentum est, ab accidenti, prout *categorema*,

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. c. 8.

[2]) « Quia enim omnia accidentia sunt formae quaedam substan- « tiae superadditae, et a principiis substantiae causatae, oportet, « quod eorum esse sit superadditum supra esse substantiae, et ab « ipso dependens »; *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14.

seu praedicabile est, differat, et quam ob causam plures categoriae in genere accidentis sint. Itaque, quod ad primum attinet, cum accidens, quod est praedicamentum, tum accidens, quod est praedicabile, in eo consentiunt, quod utrumque est essentia, cui esse in alio convenit. Re vera, quandoquidem accidens categoricum, sive, ut latini aiunt, *praedicamentale* substantiae opponitur, necesse est, ut, si categoria substantiae est essentia, cui esse non in alio convenit, accidens categoricum sit essentia, cui convenit esse in alio, tamquam in subiecto. Accidens categorematicum vero, seu *praedicabile*, cum sit aliquid, quod in subiecto esse, aut non esse potest sine ipsius subiecti corruptione, intelligi nequit, quin in alio, tamquam in subiecto, esse intelligatur. Ast unum ab altero, uti s. Thomas observavit, differt ex diversitate modorum, quibus accidens ab intellectu consideratur. Si enim accidens ab intellectu consideretur, tanquam modus specialis essendi, qui modo, quo substantia est, opponitur, ipsum est *categoricum*; sin ab intellectu consideretur, tanquam illud, quod quamdam relationem praedicati cum subiecto denotat, ipsum est *categorematicum* [1].

Quod vero ad alterum spectat, accidentis plura, uti antea innuimus [2], genera sunt, propterea quod, cum plura sint principia, ob quae aliquid alicui inesse potest, plures quoque sint oportet modi, quibus unum alteri inhaeret. « Sciendum, Gandavensis scribit, quod sicut pro- « pria ratio praedicamenti est secundum se existere, et

---

[1]) « . . accidens, s. Thomas ait, a philosophis dupliciter sumitur, « uno modo secundum quod dividitur contra substantiam, et con- « tinet sub se novem genera rerum . . . . . Alio modo, secundum « quod ponitur a Porphyrio unum quinque universalium, quomo- « do accidens non significat illud, quod est commune novem ge- « neribus accidentium, sed habitudinem accidentalem praedicati « ad subiectum, vel communis ad ea, quae sub communi conti- « nentur »; *Qq. dispp.*, q. unic. *De spirit. creat.*, a. 11 c. Cf pp. 350 sqq.

[2]) Pag. 437.

« praedicamenti accidentis communiter inhaerere, sic « sunt propriae rationes praedicamentorum accidentium, « inhaerendo diversimode [1] ». Ex quo perspicitur in singulis novem categoriis, quae genera accidentis sunt, duo, uti s. Thomas monuit, distinguenda esse, scilicet inesse in subiecto, quod est *esse* omnibus commune et peculiarem modum inhaerendi, quo ipsa determinatur, atque a ceteris distinguitur. En pauca verba, in quibus sanctus Doctor hanc rem declaravit: « . . . . considerandum « est, quod in quolibet novem generum accidentis est « duo considerare. Quorum unum est esse, quod com- « petit unicuique ipsorum, secundum quod est accidens; « et hoc communiter in omnibus est inesse subiecto; ac- « cidentis enim esse est inesse. Aliud, quod potest con- « siderari in unôquoque, est propria ratio uniuscuiusque « illorum generum [2] ».

His praestitutis, quodnam sit primum novem generum accidentis, investigemus. Vt ad huius rei investigationem facile perveniamus, advertere e re est, quoniam mens nostra a cognitione rerum sensilium proficiscitur, idcirco categorias in naturis rerum materialium in primis, et potissimum considerandas esse, et quomodo inde ad naturas rerum spiritualium transferantur, pervidendum. Ex quo perspicitur 1° diversa genera accidentis ex diversitate modorum, quibus *esse* accidentis in naturis rerum materialium determinatur, pensanda esse; 2° quandoquidem mens nostra e contemplatione rerum sensilium ope abstractionis ad categoriarum investigationem pervenit, primam categoriam esse ultimam, ad quam per abstractionem assurgimus. Cum haec ita sint, nullo negotio intelligitur quantitatem, et qualitatem esse duas primas categorias, quae genera accidentis sunt. Nam, cum quantitas ad materiam, et qualitas ad formam substantiae referantur, ad naturam substantiae propius, quam

---

[1]) *Op. cit.*, art. 5, n. 5.

[2]) I, q. XXVIII, a. 2 c. Cf *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 3 c.

reliquae categoriae, accedunt, quia materia, et forma essentiam rei materialis constituunt. Atqui illud, quod propius ad substantiam rei, quam cetera, pertinet, est ultimum, ad quod intellectus per abstractionem pervenit. Ergo quantitas, et qualitas sunt priora reliquis categoriis, quae e genere accidentis sunt. Hanc argumentationem ex s. Thoma hausimus, qui scribit: « Tanto unius-« cuiusque eorum (accidentium) esse est prius, vel po-« sterius, quanto forma accidentalis secundum propriam « rationem fuerit propinquior substantiae, vel magis per-« fecta [1] ».

Ast inter veteres disputatum est, utrum categoria quantitatis prior sit categoria qualitatis, an contra. Auctor operis de categoriis, quod sub falso Archytae nomine circumfertur [2], censuit qualitatem priorem esse quantitate, quia, cum principium formale sit illud, ex quo unaquaeque res in sua specie constituitur, atque a ceteris distinguitur, dignius est principio materiali, quod unicuique rei cum aliis commune est [3]. Verum, Aristoteles aliter sensit, quippe qui proxime post substantiam de quantitate disseruit [4]. Ammonius [5], Simplicius [6] aliique graeci aristotelicae doctrinae fautores, atque inter latinos Boëthius [7], pugnarunt futilem esse rationem, quam personatus Archytas ad suam sententiam tuendam attulit. Nam, cum de ordine categoriarum agitur, inspiciendum non est, num una alteri praestet, sed num una alterius fundamentum sit. Iam, licet forma, quam qualitates comitantur, praestantior sit materia, quae quantitatem secum defert; tamen quantitas prior qualitate est; si qui-

---

[1]) *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14.

[2]) C. 6. Quid de hoc opere Archytae tributo sentiendum sit, diximus p. 367.

[3]) Apud Simplicium, *In Praedicamenta Aristotelis Commentt.*, col. 22 *recto*, et *verso*, Venetiis 1550.

[4]) *Op. cit.*, c. 6, p. 92 sqq.

[5]) *Comm. in Categ.*, Proleg., et c. 4, edit. Aldin. 1546.

[6]) *Op. cit.*, ibid.

[7]) *In Praedicam. Arist.*, lib. II, p. 144, Basileae 1546.

dem ordine naturae prius oportet subesse materiam, quam forma illi adveniat, nec intellectus capere potest, quod in generatione rerum forma materiei praecedat. Quamobrem sive res ipsas, sive modum, quo illas intelligimus, spectaveris, inde semper perspicies categoriam quantitatis esse priorem categoria qualitatis.

Hanc sententiam, Peripateticis, aliisque priscis Philosophis fere communem, Albertus M., s. Thomas, aliique Doctores mediae aetatis amplexati sunt, multisque argumentis comprobarunt. Praestat audire prae reliquis s. Thomam, qui id luculenter asseruit cum saepe, tum praesertim hoc in loco: « . . . prima accidentia consequentia substantiam sunt quantitas, et qualitas, et « haec duo proportionantur duobus principiis essentialibus substantiae, scilicet formae, et materiae . . . . « Et quia materia est subiectum primum, quod non « est in alio, forma autem est in alio, scilicet materia, « ideo magis appropinquat ad hoc, quod est non esse « in alio, quantitas, quam qualitas, et per consequens, « quam alia accidentia [1] ».

Quod cum ita sit, in novem generibus accidentis exponendis a quantitate ordiamur oportet. Illud in primis quaerendum nobis est, quid sit illud, in quo notio quantitatis consistit. Haec quaestio Scholasticos diversas distraxit in partes, quarum unaquaeque s. Thomam pro se stare contendit. Quamplurimi essentiam, sive, ut aiunt, *rationalem formalem* quantitatis in extensione partium positam esse putarunt. Quae sententia ut plane intelligatur, sciendum est duplicem esse partium extensionem, scilicet unam in ordine ad se, seu *internam*, alteram in ordine ad locum, seu *externam*. Illa est, qua partes ita inter se comparantur, ut una extra aliam sit in ordine ad se; puta caput extra collum, et collum extra humeros, quin aliquid de loco concipia-

[1]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1 *sol.* 3 ad 1; cf ibid. c., et 1ª 2ae, q. LII, a. 1 c. Vid. Alb. M., *Lib. de praedicam.*, tract. III, c. 1.

tur, in quo extendi possunt. Haec autem, qua partes ita disponuntur, ut una sit extra aliam in ordine ad locum; puta, si caput sit suprema loci pars, pectus media, pedes infima. Iam vero, non pauci tum ex schola s. Thomae, uti Goudinius [1], tum e schola Scoti, uti Boyvinius [2], extensionem partium non quidem in ordine ad locum, sed in ordine ad se esse essentiam quantitatis opinati sunt, eamque a suis Magistris propugnatam fuisse contenderunt. Alii autem putarunt essentiam quantitatis in mensurabilitate consistere, sive in eo quod substantiam illius ope metiri possumus. Hanc sententiam, quam Simplicius inter veteres defendit [3], plerique Albertum M. tuitum esse tenent [4], eamque nonnulli s. Thomae quoque tribuunt [5], decepti ex opusculo *De natura loci*, quod esse omnino spurium inter eruditos nondum constabat [6]. Alii vero rati sunt posse dividi in partes eiusdem naturae, sive, ut aiunt, *divisibilitatem* esse essentiam quantitatis. Capreolus [7], aliique hanc fuisse veram, germanamque sententiam s. Thomae contenderunt. Haec procul dubio, quidquid Boyvinius, aliique senserint, fuit opinio, quam Scotus in *Logica* propugnavit; ibi enim divisibilitatem esse *rationem essentialem* quantitatis sine ulla ambage asseruit [8].

---

[1]) *Log. mai.*, part. 1, q. III, art. 1, concl. p. 285 sqq, ed. II, Coloniae 1723.

[2]) *Log.*, part. 1, disp. II, sect. 2, punct. 2, c. 2, q. 3, concl. p. 230 sqq, Venetiis 1690.

[3]) *Op. cit.*, ibid.

[4]) Vid. prae ceteris Balforeum, *Op. cit.*, In cap. 4 *De Categ.*, q. I, sect. 1, p. 235 sqq.

[5]) Vid. Balforeum, ibid.

[6]) Argumenta, ob quae hocce opusculum inter spuria ab eruditis reiectum fuit, videre licet apud Bernardum de Rubeis, *Dissert. criticae et apologeticae*, Dissert. XXIV, c. 2, § 4, p. 244, Venetiis 1750.

[7]) *In lib. II Sent.*, Dist. XIX, q. 1 ad 2, contra 1^m conclus.

[8]) « ... ideo aliter dicendum, quod licet per se mensura quan-
« titati conveniat, non tamen est illa ratio essentialis quantitatis,
« secundum quam ei attribuitur ratio generis: sed ratio divisibi-

Ad recentes quod attinet, ii quamplurimi praetereundi hic sunt, qui vel secundum Leibnitium [1], vel secundum Boscowichium [2], vel secundum Kantium [3] quantitatem in corporibus non realem, sed *phaenomenicam*, seu apparentem esse senserunt. Hi enim, uti alias videbimus, cum pro suorum systematum varietate corpus vel ex monadibus, sive unitatibus minime extensis, uti Leibnitius, et Boscowichius, vel ex viribus motricibus se ipsas dilatantibus, et contrahentibus constare, uti Kantius, putassent, ad id adducti fuere, ut extensionem, seu quantitatem *phaenomenicam*, vel *subiectivam* dicerent. E reliquis vero opinio Cartesii [4], eiusque sectatorum, potissimum adnotanda nobis est. Hi enim, quoniam corpora ex atomis, seu corpusculis extensis conflari existimarunt, realem esse corporum quantitatem, eiusque essentiam in extensione partium in ordine ad locum consistere docuerunt.

« litatis, et hoc de illa divisione, quae est in partes eiusdem ra- « tionis »; *Super Praedicam.*, q. XVII, n. 3. Illud dumtaxat tacendum non est, Scotum hac in re sibi non constitisse, quia alibi probare studuit divisibilitatem non esse essentiam, sed *passionem*, nempe proprietatem quantitatis; *In lib. V Met. Qq. subtilissimae*, q. IX.

[1]) *Principes de la nature, et de la grace*, p. 714, ed. cit.; *Lettres 1e et 2e à M. Rèmond de Montmort*, p. 702, et 703; *ad R. P. des Bosses Epist.* XVII, p. 682, *Epist.* XXIII, p. 688, *Epist.* XXIX, et XXX, p. 739-742 etc.

[2]) Vid. eius opus, *Philosophiae naturalis theoria reducta ad unicam legem virium in natura existentium*, passim, Vindob. 1758. Boscowichii sententiae inter nuperos utrumque pollicem presserunt Dugald-Stewart, Mackintosch, Cousin, Damiron, atque inter scientiarum naturalium cultores Cauchy, de Saint-Venant, aliique, quorum loca, cum de hac re alibi agendum nobis sit, in praesentia praeterimus.

[3]) *Elementa metaphysica physices*, c. 2, *Opp.* t. II, p. 172-218, vert. Born.—Kantio adstipulari videntur Rèmusat (*Essais de phil.* Ess. IX, c. 4, § 2, et 3, t. II, p. 287-306, Paris 1842), et Javary, *De la certitude*, lib. V, c. 2, p. 491 sqq, Paris 1847.

[4]) *Les principes de la phil.*, part. 2, § 9-13, *Oeuvr. phil.* vol. I, p. 280-282, ed. cit.

Nobis sententia probatur, quam re ipsa s. Thomam propugnasse Cosmus Alemannius censuit, locisque ex operum eius penu haustis asserere studuit. Scilicet cl. Philosophus e S. I. contendit posse dividi in partes, iudicio Doctoris Aquinatis, esse principium, sive, ut scholae aiunt, *radicem obiectivam* omnium, quae substantiae ratione quantitatis conveniunt, sed quantitatem non aliter ab intellectu concipi, quam veluti quamdam mensuram. Quamobrem statuit *rationem formalem*, sive essentiam categoriae quantitatis, si ontologice consideretur, esse *divisibilitatem*, sin logice spectetur, esse *mensurabilitatem* [1]. Vt hanc sententiam proxime ad verum accedere luculentius patescat, ceteras, quas exposuimus, in antecessum ad examen revocare iuvabit.

Atque in primis, notionem quantitatis in extensione partium ad se comparatarum haud consistere probabile est. Quod ut plane intelligatur, mente recolendum est pluralitatem partium in substantia materiali nec actu esse, nec intelligi posse sine divisione. Enimvero, uti Dandinius ex eadem S. I. observavit [2], quamvis substantia materialis ex pluribus, iisque *quantis* constet, nullae tamen in ea sunt *actu* eiusdem partes, sed unica continua extensio est, qua partes *potestate* continentur. Nam, quoniam partes, ex quibus substantia materialis conflatur, sunt eiusdem rationis, nempe totidem quantitates, nemo non videt, si eae fuerint copulatae, et coniunctae, nullam inter ipsas distinctionem superesse, sed unum quidpiam ex ipsis existere *quantum*, et continuum, quo *esse* omnium continetur. Ex quo perspicitur partes quantitatis, si *esse* earum spectetur, *actu* existere in quantitate, quia ipsae *esse* quantitatis constituunt, sed, si ratio partis in eis consideretur, non esse *actu* in quantitate, sed dumtaxat *potestate*, quippe quod quantitas dividi potest, divisioneque

[1]) *Summ. Phil. D. Thomae*, part. I, q. XI, a. 1, p. 77-78, Parisiis 1640.

[2]) *De corpore animato. In lib. III Arist. De Anim.* Comment. CVI, col. 2046, Parisiis 1610.

partes, quae ipsam constituunt, inter sese distinguuntur [1]. Quod si quantitatem intelligere non valemus extensam, nisi dum plures in ipsa partes *actu* esse concipimus, quarum una extra aliam sit, omnesque communi termino copulentur, id imaginationi nostrae vitio vertendum est; ratio enim omnino prohibet, quominus plures partes *actu* esse in quantitate nobis persuadeamus. Et sane, si in substantia materiali plures partes *actu* distinguerentur, quantitas eius non esset aliquid *unum*, sed *unitum*; si quidem, cum partes quantitatis, quae *actu* inter se distinguuntur, totidem distinctae quantitates sint, quantitas ex aggregatione multarum quantitatum componeretur [2]. Atqui quantitas cuiuslibet substantiae nonnisi una esse potest. Namque « impossibile est, « ut s. Bonaventura inquit, duo accidentia eiusdem « speciei esse in eodem subiecto, quia accidens nume- « ratur per subiectum, in quo est [3] ». Repugnat igitur in substantia materiali *actu* esse plures partes. Praeterea, partes, quarum una extra aliam est, *continguae* sunt, quia partes, quarum una extra aliam est, totum quodpiam componere non aliter intelligi potest, quam, si mutuo se tangant. Atqui ex partibus contiguis non totum continuum, cuiusmodi quantitas extensa est, sed totum contiguum efficitur. Ergo, si in quantitate plures partes *actu* esse dicantur, contiguum cum continuo confunditur.

---

[1]) En locum s. Thomae, ex quo Dandinius hanc doctrinam mutuari potuit: « Dicendum, quod unitas rei consequitur esse ipsius; « partes autem alicuius homogenei continui ante divisionem non « habent esse actu, sed potentia tantum; et ideo nulla illarum ha- « bet unitatem propriam in actu, unde actu non est accipere ip- « sarum numerum, sed potentia tantum »; *In lib. IV Sent.*, Dist. X, q. 1, a. 3 *sol.* 3 ad 1.

[2]) Quid inter *unum* et *unitum* intersit, audi ex s. Thoma: « Dif- « fert unitum, et unum, quia unitum est quod ex pluribus unum « effectum est; unde unio importat relationem quamdam plurium « secundum quod in uno conveniunt, sed unum absolute dicitur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXI, q. III, a. 1 ad 1.

[3]) *In lib. II Sent.*, Dist. XIII, a. 3, q. 2 *in fundam.*

Quamobrem pluralitatem, seu multitudinem partium in quantitate substantiae materialis *potestate*, non *actu* inveniri firmum sit oportet.

Ex his quae, duce Dandinio, innuimus, nullo negotio intelligere licet multitudinem partium in quantitate non posse *actu* existere, nisi quantitas dividatur. Enimvero « divisio, aiente s. Thoma, multitudinem causat [1] », quippe quod ea, quae nullo pacto distinguuntur, unum sunt. Atqui distinctio per quantitatem, omnibus concedentibus, non aliter fieri potest, quam divisione eiusdem quantitatis. Ergo multitudo partium in quantitate *actu* existere nequit, nisi quantitas dividatur. Vnde idem Aquinas subdit : « Omnis pluralitas consequitur divi« sionem [2] ». Iam, quoniam multitudo actualis partium sine divisione quantitatis existere non potest, sequitur ne potentialem quidem multitudinem partium intelligi posse, nisi quantitatem posse dividi in partes intelligatur. Namque, cum potentia, et actus ad se invicem referantur [3], essentiam potentiae consentaneam essentiae actus esse oportet [4].

Quae cum ita sint, inde facile perspicitur essentiam, seu rationem formalem quantitatis in extensione partium ad se comparatarum haud consistere. Re sane vera, extensio partium in ordine ad se comparatarum potentialem multitudinem partium denotat, quia quantitas, uti ostensum est, plures partes *potestate*, non *actu* continet. At demus parumper priscis, recentibusque atomorum assertoribus actualem multitudinem partium in ipsa esse. Profecto, notio quantitatis in neutra multitudine consistere

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 7 c. Atque alibi: « Ratio mul« titudinis consistit in divisione, vel distinctione aliqua »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. 1, a. 2 *sol.*

[2]) I, q. XXX, a. 3 c.

[3]) « Potentia, s. Thomas inquit, ad actum dicitur correlative »; *Qq. dispp.*, q. unic. *De Anim.*, a. 12 c.

[4]) « Semper actus, idem Aquinas ait, proportionatur ei, cuius « est actus »; *Ibid.* q. un. *De spir. creat.*, a. 11 c.

potest. Id evincere in promptu est hoc brevi, planoque argumento: Cum multitudo partium, uti ostensum est, divisionem quantitatis expostulet sive actualem, si multitudo est actualis, sive potentialem, si multitudo est potentialis, consequens est notionem divisionis in intellectu esse priorem notione multitudinis. « Divisio, s. Tho« mas scribit, est causa multitudinis, et est prior secun« dum intellectum, quam multitudo [1] ». Atqui illud, quod intellectus in primis in re, et tamquam *radicem obiectivam* omnium, quae in ipsa sunt, intelligit, est essentia ipsius rei, quia illud, ut alibi videbimus, in unaquaque re essentiam esse intelligimus, quod est principium omnium affectionum, quae in ea sunt. Ergo essentia quantitatis in extensione partium ad se comparatarum, sive hac multitudinem actualem, sive potentialem partium intellexeris, consistere non potest.

Verum si probabile est extensionem partium ad se comparatarum non esse essentiam quantitatis, hanc esse extensionem partium ad locum comparatarum, quemadmodum post veteres atomorum defensores Cartesius voluit, prorsus absurdum est. Namque in primis essentia uniuscuiusque rei in eo spectanda est, quod ipsi *per se*, non vero in eo, quod ipsi *per aliud* convenit, quia, uti s. Thomas scite monuit, id, quod rei per aliud convenit, non *simpliciter*, ἁπλῶς, sed *secundum quid*, πρός τι, ei convenit [2]. Atqui occupare locum quantitati convenit non per se, sed per aliud, quia locus, uti s. Thomas ait, quanto convenit, non prout est quantum, sed prout determinatam naturam habet, per quam in loco est [3]. Ergo essentia quantitatis in eo ponenda non est, quod ipsa locum occupet, hoc est, quod partes eius ad locum extendantur. Accedit, quod partes quantitatis, tanquam ad puncta spatii

---

[1]) *Qq.dispp., De Pot.*, q.IX, a.7 ad 15.—[2]) I, q.LXXXII, a.3 c.

[3]) « Dicendum, quod quanto, prout quantum est, non debetur « proprie locus, nec per consequens potentia ad ubi, sed prout « habet determinatam naturam »; *In lib. II Sent.*, Dist. II, q. II, a. 2 ad 3.

extensas, intelligere non possumus , nisi tanquam partes loci metientes , intelligamus , ita ut quantum in certo loco , tanquam ipsum metiens , sit , perinde ac totum in toto , et pars in parte est [1]. Atqui intelligi non potest quantitatem ad certum locum extendi tanquam metientem eum , nisi ipsa cum suis dimensionibus intelligatur. Ergo oportet quantitatem cum suis dimensionibus intelligere , priusquam partes eius ad locum extendi intelligatur. « Dicendum, ad rem Aquinas ait, quod nul« lum corpus comparatur ad locum , nisi mediantibus « dimensionibus quantitatis ; et ideo ibi corpus est ali« quod ut in loco , ubi commensurantur dimensiones « eius dimensionibus loci [2] ». Iamvero, quoniam dimensiones quantitatis sunt ipsa quantitas , prout de ea hic agimus , liquet nos non aliter extensionem partium ad locum comparatarum intelligere , quam veluti aliquid , quod essentiae quantitatis iam constitutae advenit. Verum, illud, quod essentiae quantitatis iam constitutae advenire intelligimus, extra essentiam eius intelligamus oportet. Essentiam quantitatis igitur in extensione partium ad locum comparatarum non consistere pro certo habendum est.

His duabus sententiis explosis , alias duas ita secum componi posse arbitramur , ut quantitatis , si *ontologice* spectetur, essentia sit posse dividi in partes, sin *logice*, esse mensuram. Qua distinctione , ni fallimur, ad concordiam adduci haud difficulter possunt loca Aristotelis, necnon s. Thomae , aliorumque Doctorum , quae essentiam quantitatis quandoque in eo, quod potest in partes dividi, quandoque in eo, quod est mensura, statuere videntur , quaeque in causa fuerunt , cur eorum interpretes, et discipuli in contrarias opiniones distraherentur.

Ad huius sententiae, quam unus Alemannius , quan-

---

[1]) « Dicendum, quod illud dicitur esse dimensive alicubi, quod « ita est in illo, quod totum in toto, et pars in parte secundum « commensurationem »; *In lib. IV Sent.*, Dist. X, part. I, a. I, q. 4 *resol.* Videsis Ferrariensem, *In lib. IV Cont. Gent.* c. 87.

[2]) *In lib. IV Sent.*, Dist. X, q. I, a. 1 ad 5; cf *Quodlib.* VII, a. 8 c.

tum scimus, tuitus est, veritatem firmiter evincendam opus nobis foret exponere, quomodo intellectus noster notiones *entis*, et *non entis*, *divisionis*, *unius*, et *multitudinis*, seu *pluralitatis* adipiscatur [1]. At, quandoquidem hanc quaestionem instituere a natura logicae alienum est, et, cum perdifficilis sit, ipsam vix innuere haud iuvat, solidae, subtilique argumentationi, quam inde petere liceret [2], aliam breviorem, facilioremque hoc in loco sufficiemus.

Principio, notionem quantitatis ontologice spectatae in divisibilitate consistere satis manifestum nobis videtur. Namque omnes proprietates, sive, ut Scholae aiunt, *passiones* quantitatis, quemadmodum in *Idealogia* videbimus, in extensione partium sive ad se, sive ad locum comparatarum fundamentum habent. Atqui extensio partium, quocumque modo consideretur, uti ante ostensum est, multitudinem partium *subintelligit* vel *potentialem*, vel *actualem*. Multitudo partium vero nec esse, nec cogitari potest sine divisione vel potentiali, si partes *potentia* in quantitate sunt, vel *actuali*, si partes *actu* divisae sunt. Ergo « divisibilitas, uti Alemannius in- « quit, est prior quacumque alia re inventa in quan- « titate, et radix illarum omnium, et per illam proba- « ri possunt omnes passiones [3] ». Iamvero, quoniam, ut modo diximus, illud, quod intelligimus esse primum in re, et esse principium, sive, uti aiunt, *radicem obiectivam* omnium, quae in re sunt, notionem, seu essentiam rei constituit, consequens est notionem, seu essentiam quantitatis *ontologice* spectatae in divisibilitate consistere. Apposite s. Thomas scribit: « Ratio quantitatis in commu- « ni consistit in quadam divisibilitate [4] ».

---

[1]) Videsis s. Thomam, *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 7 ad 15; I, q. XI, a. 2 ad 4; *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. 1, a. 3 ad 2; et *in lib. X Met.*, lect. IV.

[2]) Legere e re est eumdem s. Thomam ll. cit., necnon *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 3 ad 3, et Dist. XXIV, q. I, a. 1.

[3]) *Op. cit.*, l. cit.—[4]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 1.

Haec procul dubio sententia Aristotelis fuit, quam Albertus M. [1], s. Thomas [2], Scotus [3], aliique multi luculenter explicuerunt. Stagirita enim in *Met.*, in qua de categoriis *ontologice* consideratis disputavit, dixit *quantum* esse illud, quod est divisibile in ea, quae ipsi insunt, et quorum unumquodque ita natura comparatum est, ut, si a reliquis *actu* dividatur, esse queat *unum quid*, *et hoc aliquid*, ἕν τι καὶ τόδε τι [4]. Iam, ipse docuit *quantum* esse divisibile in ea, quae in ipso secundum essentiam sunt, ut significaret ea, in quae quantitas dividi potest, non *virtute*, sed *re* esse in quantitate ante divisionem, quia, etsi nullum eorum, quae in quantitate sunt, ante divisionem sit per se *aliquod unum*, sive *hoc aliquid*, tamen unumquodque in ipsa est secundum illud *esse*, per quod post divisionem *unum quid* efficitur. Cum vero adiecit ea, in quae quantitas dividitur, eiusmodi esse, ut unumquodque eorum post divisionem quantitatis sit per se unum, et a ceteris seiunctum, quantitatem discrevit ab iis compositis, quae, quoties in ea, ex quibus constant, resolvuntur, nullum eorum *unum aliquid* per se manet. Quae duo, uti ab Alberto M., et s. Thoma observatum fuit [5], quantitati adprime conveniunt. Pri-

---

[1]) *In Met. lib. V*, tract. III, c. 1.

[2]) *In lib. V Met.*, lect. XV, et *In lib. I Phys.* lect. III.

[3]) *In lib. V Met.*, Sum. unic. c. 12, n. 100.

[4]) « Quantum dicitur, quod in insita divisibile, quorum utrumque, aut singula unum quid, et quod quid apta sunt esse »; *In Met.*, lib. IV, c. 13 ed. cit. Bekker. Advertere iuvat Bekkerum in libris Metaphysicis numerandis secutum esse interpretes graecos; qui librum a latinis secundo loco positum *primi minoris* nomine designarunt, quippe quod hic tria fragmenta continet Aristotelis, vel fortasse alius auctoris, quae libro primo ad doctrinas ipso contentas magis, magisque declarandas adsuta sunt. Varias eruditorum opiniones de authentia libri secundi, seu primi minoris, vel de loco, qui ei inter opera Aristotelis dandus est, videre licet apud Ravaissonum (*Met. d'Arist.*, Part. 1, Introd., lib. II, c. 3, p. 83 sqq, Paris 1837) et Bonghium, *Op. cit.*, Introd. p. LII-LXIII.

[5]) *Opp. citt.* II. citt.

mum quidem, quia, cum partes quantitatis ante divisionem, uti diximus, τὸ *esse* quantitatis constituant, necesse est, ut in ea secundum illud *esse* insint, quod post divisionem per se habent. Alterum vero, quia, cum unaquaeque pars quantitatis, uti alias dicemus, post divisionem, totam essentiam quantitatis retineat, liquet unamquamque partem quantitatis, si a reliquis dividatur, esse per se aliquid *quantum* [1].

Trendelenburgius [2], quem Bonitzius [3], et Bonghius secuti sunt, definitionem, quam Aristoteles in laudato metaphysicae loco tradidit, duplici ex capite reprehendit. In primis enim in ea sumitur, tanquam notum, illud, cuius cognitio per definitionem traditur; quisquis enim quid sit quantum, ignorat, partes, ex quibus *quantum* gignitur, ignoret quoque necesse est. Praeterea, non solum notioni quantitatis, sed etiam notioni cuiuslibet rei, quae ex forma, et materia constat, convenit posse dividi in ea, quae in ipsa sunt; si quidem materiam, et formam, eo quod notionem rei compositae constituunt, intra eius essentiam esse intelligimus.

Verum, Vir, ceteroquin eruditus, et acutus aristoteleae philosophiae interpres, oppido falsus est. Quod enim ad primum pertinet, ipse profecto ab hac culpa Aristoteli obiicienda cavisset, si veram methodum, cuius ope intellectus humanus ad cognitionem categoriarum pervenit, prae oculis habuisset. Etenim, quemadmodum antea diximus, etsi categoriae *logice* consideratae in intellectu, non in natura rerum sint; tamen intellectus nonnisi rerum, quae in natura sunt, contemplatione adiutus, ad illarum cognitionem pervenire potest, propterea quod,

---

[1]) Id luculenter s. Thomas significavit, ubi scripsit ea, quae sunt partes unius corporis, antequam corpus dividatur, fieri per divisionem totidem distincta corpora. « Duo corpora, ait, facit « actualis divisio materiae corporalis, duas autem partes unius « corporis divisibilitas potentialis »; *Quodl.* I, a. 21 c.

[2]) *Hist. categ.*, p. 79 ed. cit.

[3]) *Met.*, p. 237 ed. cit. — [4]) *Op. cit.*, p. 293, not. (6).

ipse a cognitione sensilium exordiri debet, ut notiones primas, vel secundas rerum comparare sibi possit. Exemplum sumamus ab ipsa categoria quantitatis, de qua hic agimus. Intellectus ex eo quod cognoscit substantiam materialem dividi in partes, et harum unamquamque a ceteris seiunctam ipsam quoque esse quamdam substantiam materialem, inde intelligit quamlibet substantiam materialem ex partibus constare, quae *potentia* in ipsa sunt, quia, cum quilibet actus ad potentiam referatur, substantia materialis in partes *actu* non divideretur, nisi ante divisionem *potentia* eas contineret. Iam, quandoquidem hoc *accidens* substantiae materialis, per quod ipsam posse dividi in partes intelligimus, quantitas audiit, colligimus substantiae materiali accidens, quod quantitas dicitur, convenire, et quantitatem in eo consistere quod potest dividi in partes, quae in ea insunt, et quarum unaquaeque post divisionem *hoc aliquid* per se est. Ex quo vides nos non solum posse cognoscere, sed etiam re vera cognoscere partes, ex quibus *quantum* gignitur, antequam quid sit *quantum*, cognoscamus, quippe ex eo quod substantiam materialem in partes dividi experimur, notionem quantitatis nobis conficimus, eamque esse accidens, seu categoriam substantiae materialis intelligimus.

Alterum vero vetus, futilisque accusatio est, cui iamdiu Suarius responderat [1]. Nam, etsi genus, et species in qualibet *notione*, seu definitione, perinde ac partes quantitatis in quantitate insint; tamen genus a specie seiunctum perfectam notionem rei non exhibet, idemque de specie a genere seiuncta dicito; e contrario quaelibet pars quantitatis a ceteris divisa perfectam notionem quantitatis retinet, quia in omnis quantitatis parte, ut s. Thomas observavit, una, eademque est illius ratio [2]. Quocirca quaelibet notio rei ex genere, et specie compositae, et notio quantitatis conveniunt

---

[1]) *Metaphys. Disput.*, Disp. LX, sect. 1, n. 9, t. II, p. 266.
[2]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 10 c.

in eo, quod illa, ex quibus ipsae constant, in ipsis secundum essentiam sunt, ab se autem differunt, quia unumquodque eorum, ex quibus quantitas gignitur, a reliquis divisum, totam notionem quantitatis retinet, sed genus a specie, vel species a genere seiunctum totam notionem rei non continet. E re est audire Albertum M. Hic enim definitionem aristoteleam substantiae, de qua agimus, explicans, inquit: « . . . in talibus (nempe *quantis*) ratio perfecta uniuscuiusque manet in partibus, sicut in toto; et non est in quanto, sicut in substantia praecipue naturali. Caro non est caro, si abscinditur, neque manus est manus: sed, si continuum dividitur in aliquot partes, quaelibet habet entitatem et unitatem continuitatis, sicut et totum. Et, si numerus dividitur in unitates, quaelibet est unitas, et in divisione suam habet unitatem [1] ». Hinc s. Thomas scite docuit alius naturae esse partes, in quas substantia dividitur ratione quantitatis, alius vero partes, in quas dividitur ratione materiae, et formae, ex quibus constat. « Dicendum, ait, quod est duplex pars. Est enim pars substantiae secundum quantitatem. . . Sunt etiam partes substantiae, in quas dividitur totum secundum rationem, sicut materia, et forma [2] ».

At, si posse dividi in partes eiusdem naturae, sive, uti aiunt, *rationis* est essentia quantitatis *ontologice* spectatae, falsi, nostra quidem sententia, sunt Iavellus [3], aliique non ignobiles e schola s. Thomae, qui illud ipsum esse essentiam quantitatis *logice* spectatae putarunt, atque hanc divi Doctoris germanam sententiam esse contenderunt.

Enimvero, indubium est essentiam categoriae *logice* spectatae non esse ponendam in eo, quod *esse* quantitatis absolute spectatum constituit, sed in eo, quod or-

---

[1]) *In Met.*, lib. V, tract. III, c. 1; cf Scotum, *In lib. V Met.*, Summ. unic., c. 12, n. 100.

[2]) *In lib. III Sent.*, Dist. VIII, q. 1, a. 2 ad 1.

[3]) *In lib. II Sent.*, Dist. XX, q. 1 ad 2.

dinem eius cum aliis conceptibus intellectus denotat, et secundum quod de substantia praedicari potest ; si quidem categoriae *logice* spectatae , quemadmodum fuse ostendimus [1], ordinem , quem intellectus inter conceptus rerum ponit, significant , suntque idcirco summa genera eorum, quae praedicari possunt. Iamvero , illud, secundum quod categoria quantitatis ordinem inter conceptus ponit, et secundum quod de substantia praedicatur, non est posse dividi in partes eiusdem naturae, sed esse mensuram. Nam nos , postquam novimus *quantum* esse illud, quod potest in partes dividi, non aliud, uti paulo ante dictum est, novimus , quam illud , ex quo notio quantitatis in se spectatae efficitur, quia posse dividi in partes, quemadmodum ex Alberto M. vidimus , quantitati secundum *esse* suum absolute consideratum convenit. Atqui id , quod cuilibet categoriae secundum *esse* suum absolute consideratum convenit , ad notionem ontologicam eius pertinet. Posse igitur dividi in partes ad notionem quantitatis ontologice spectatae pertinet. Verum, advertendum est nos quantitatem , tanquam totum ex partibus conflatum , in quas dividi potest , nonnisi ex eo posse intelligere , quod intelligimus uni primae parti alias, unam post aliam, addi, ita ut ex ipsis, tanquam ex pluribus unitatibus numerus , certa , et definita quantitas efficiatur. Re vera, intellectus, uti Albertus M. advertit , continuum in suas partes resolvens in aliqua ultima parte consistat necesse est , in qua resolutio finem habet, quia, etsi materia, uti alias dicemus, in infinitum *potentia* divisibilis sit, tamen divisio eius actu infinita esse nequit , cum infinitam multitudinem partium *actu* existere repugnet. Iam , quandoquidem omnis *synthesis*, seu compositio inde incipit, ubi *analysis*, seu resolutio desinit, intellectus , cum idem continuum rursus componere aggreditur , ultimam partem , tanquam primam, cui reliquae, alia post aliam, adiiciuntur , proindeque tanquam principium quantitatis intelligere debet.

---

[1]) Pag. 212 sqq, et 377 sqq.

Ex quo vides nos, quamvis notionem numeri, qui et ipse, ut paulo post dicemus, quantitas est, per divisionem continui, id saepe observantibus Alberto M. [1], et s. Thoma [2], assequamur, tamen non aliter posse intelligere continuum, quam veluti numerum, qui ex pluribus partibus, tanquam ex unitatibus, constat. Iam, quemadmodum unum, quod est principium numeri, est mensura numeri, nempe quantitatis discretae [3]; ita ultimam partem, ad quam resolutio continui desinit, esse mensuram continui, seu quantitatis continuae intelligimus, quia ultima pars, ad quam resolutio continui desinit, etsi non sit indivisibilis, uti est unum, quod est principium numeri, tamen est minimum, quod in quantitate continua intelligimus, ob idque ad simplicitatem et indivisibilitatem unius, quod est principium numeri, accedit [4]. Et sane, quemadmodum nos dicimus numerum esse maiorem, vel minorem, prout uni, quod eius principium est, plures, vel pauciores unitates addi in-

---

[1]) « Divisio enim, ut supra diximus, est causa numeri: et di-« citur numerus nutus divisionis quia, ubi est numerus, est nu-« tus mentis ad divisionem concipiendo aggregationem divisio-« nis factae: et ibi est numerus »; *In Met.* lib. V, tract. III, c. 1. « Quod nos cognoscimus numerum divisione continui »; *In lib. Praedicam.*, tract. III, c. 1.

[2]) « . . . numerus, ut unitas, secundum quod sunt in genere « quantitatis, non inveniuntur, nisi in quibus invenitur com-« mensuratio quantitatis; unde inveniuntur tantum in rebus ha-« bentibus quantitatem continuam; unde Philosophus dicit, quod « numerum cognoscimus divisione continui »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. 1, a. 3 c.; cf *Quodlib.* X, a. 1 c.

[3]) « In unoquoque genere . . . s. Thomas ait, id, quod est prin-« cipium, est mensura . . . illius generis, sicut unitas in genere « numeri »; 1^a 2^{ae}, q. XC, a. 1 c.; cf *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 2 ad 3, et *ibid.*, Dist. XXXI, q. III, a. 1 c.

[4]) Hinc Alemannius, secundum doctrinam s. Thomae, docuit id, quod est terminus analysis, et principium synthesis in rebus singularibus, esse semper aliquid indivisibile. Ait enim: « ... quod « in singularibus est primum in compositione, et ultimum in « resolutione, est divisibile »; *Op. cit.*, ibid., q. XIII, a. 1 c.

telligimus; ita quantitatem continuam maiorem, aut minorem esse dicimus, prout ultimae parti, in qua resolutio eius consistit, plures, vel pauciores addi intelligimus. Hanc totam argumentationem ab Alberto M., et s. Thoma mutuati sumus. Ille enim statuit omne *quantum* cognosci *minimo* substantiae, in qua inhaeret, atque hoc minimum esse aliquid unum, et primum, in quo resolutio *quanti* consistit [1]. Hinc vero advertit rationem, seu notionem mensurae proprie convenire uni, quod est principium numeri, nempe quantitatis discretae, sed *minimo*, quod est principium quantitatis continuae, ideo convenire, quia minimum quantitatis continuae *imitatur* unum indivisibile, quod est principium numeri [2].

Ex quo vides essentiam quantitatis logice spectatam in eo consistere, quod sit mensura, quia ipsam ex uno, seu proprie, seu per similitudinem sumto, quod est mensura eius, oriri intelligimus.

Quod si quantitatem, prout est notio secunda, seu categoria logice spectata, tanquam mensuram, intelligimus, consequitur nos illam de substantia non aliter, quam veluti id, quod ipsam metitur, seu veluti mensuram, posse praedicare. Namque, cum unum de alio praedicare opus intellectus sit, liquet nos unum de alio

---

[1]) « . . . quia, cum unumquodque cognoscatur minimo et primo « suae substantiae, et minimum et primum sit, in quo stat reso- « lutio, et resolutio numeri non stat, nisi in uno, oportet, quod « omnis numerus cognoscatur uno: et ideo omnis quantitas, in « quantum quantitas est, cognoscitur uno primo, in quo stat re- « solutio »; *In Met.* lib. I, tract. II, c. 3.

[2]) « Assignat (Arist.) autem rationem, quare mensuram opor- « tet esse aliquid indivisibile, quia scilicet hoc est certa mensura, « a qua non potest aliquid auferri, vel addi. Et ideo unum est « mensura certissima, quia unum, quod est principium numeri, « est omnino indivisibile, nullamque additionem, aut subtractio- « nem suscipiens manet unum. Sed mensurae aliorum generum « quantitatis imitantur hoc unum, quod est indivisibile, acci- « pientes aliquid minimum pro mensura, secundum quod pos- « sibile est »; *In lib.* XXXI *Met.*, lect. II.

non aliter praedicare posse, quam quomodo hoc ad illud referri intelligimus. Re sane vera, nos quantitatem de substantia materiali praedicamus, ut per illam, perinde ac per reliqua accidentia, ipsam ab aliis substantiis distinguamus. Quamobrem ratio quantitatis, prout est quoddam praedicabile, in eo agnoscenda est, per quod ipsa plures substantias ab se invicem distinguit. Atqui nos plures substantias ratione quantitatis distinguimus ex eo, quod sumentes minimam partem in unoquoque genere quantitatis, ei in una substantia plures, in alia autem pauciores partes addi comperimus, atque ita quantitates plurium substantiarum ex minima illa parte quantitatis, quam, tanquam principium ipsarum, intelligimus metientes, uni substantiae maiorem, atque alii minorem quantitatem tribuimus. Ergo *ratio*, seu notio quantitatis, prout est quoddam praedicabile, in eo agnoscenda est, quod quantitas substantiam, de qua praedicatur, metitur, sive in eo, per quod substantia est capax mensurae, nempe, ut Scholae aiebant, est *mensurabilis*. Quocirca scite s. Thomas quantitatem esse *mensuram substantiae* dixit [1], et s. Bonaventura esse proprium quantitatis *mensurare* decrevit [2].

Bonghius notionem quantitatis in mensurabilitate esse negavit, quia, cum mensura ad unum, quod eius principium est, referatur, eius conceptus non est primus, sed in conceptum unius resolvitur, atque ad id comprobandum usus est auctoritate ipsius Aristotelis, quippe qui unum esse mensuram ceteris perfectiorem docuit [3]. Mensurabilitatem vero ipse sensit esse *criterium* quanti [4].

At Bonghius ex utroque capite hallucinatus est. Etenim, quod ad primum caput attinet, quoniam conceptus *unius* est prior conceptu *mensurae*, inde haud fluit

---

[1]) « Quantitas dicitur mensura substantiae »; I,q.XXVIII,a.2 c.

[2]) « Quantitatis est mensurare »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, a. 11, q. 2 *ad arg.*

[3]) *In Met.* lib. X, c. 1, ed. Bekk.—[4]) *Op. cit.*, ibid. p. 284, not. (1).

essentiam quantitatis in mensurabilitate non consistere, sed dumtaxat conceptum unius conceptui quantitatis praecedere. Iam nihil prohibet, quominus conceptus quantitatis conceptu unius posterior sit; immo hoc rationi valde consentaneum est. Nam, cum principium eo, cuius principium est, prius sit oportet, si quantitas in mensura consistere dicatur, liquet conceptum quantitatis esse posteriorem conceptu unius, quod principium omnis mensurae est. Quamobrem ex eo, quod conceptus unius est prior conceptu mensurae, deduci nequit essentiam quantitatis in mensurabilitate non posse consistere [1]. Aristoteles autem docuit unum, quod est principium numeri, esse mensuram ceteris perfectiorem, non quia censuit illud unum esse per se mensuram, sed quia, cum sit indivisibile vere, et proprie sumptum [2], perfectius esse dixit minimo quantitatis continuae, quod est principium eiusdem quantitatis, et unum per similitudinem vocatur.

Quod vero attinet ad secundum caput, advertendum est cum Card. Toleto aliud esse id, quod metimur, aliud id, cuius ratione metimur, aliud id, quo metimur. Id, quod metimur, omnis res corporea est; id vero, cuius ratione rem corpoream metimur, sive id, cuius ratione res corporea mensurabilis est, est quantitas; id denique, quo rem corpoream metimur, est quoddam quan-

---

[1]) Nos, quemadmodum in *Idealogia* ostendemus, primum apprehendimus multitudinem, seu quantitatem, quae in sensus nostros incurrit; deinde quantitatem in partes, quae potentia in ipsa sunt, resolventes, unum esse principium, et mensuram eius intelligimus. Quapropter, etsi quantitatem prius cognoscamus, quam unum; tamen conceptum distinctum, et quidditativum quantitatis posterius, quam conceptum unius, adquirimus, quia non intelligimus, quid sit quantitas, nisi postquam unum esse principium quantitatis novimus. « Vnum, s. Thomas ait, in« tellectu est prius, quam multitudo, quamvis secundum sen« sum, et imaginationem sit e converso »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 3 ad 2.

[2]) « Vnum, Aquinas scribit, est quoddam esse, quod non divi« ditur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 3 c.

tum, puta pes, aut modium, quo, tanquam quodam indivisibili, ad metiendas quantitates certae rei corporeae utimur [1]. Ex his colligis Bonghium confudisse id, quo corpus metimur, quodque proprie *mensura* dicitur, cum eo, cuius ratione corpus metitur, quod *mensurabilitas* proprie vocatur, propterea quod *criterium* quanti est illud certum quantum, quo ad quantitatem unius corporis a quantitate alterius in eodem genere distinguendam utimur, non vero id, cuius ratione corpus capax est mensurae, hoc est, ut secundum Scholam loquamur, mensura, non vero mensurabilitas.

Porro Albertum M., et s. Thomam hac in sententia reapse versatos esse, eamque ex Aristotelis libris hausisse indubium nobis videtur. Certe, Aristoteles in cap. 6 *Categoriarum*, in quo de quantitate *logice* spectata disseruit [2], se quantitatem, tanquam mensuram substantiae, habuisse non semel innuit, atque in *Met.* lib. IV, c. 13, in quo quantitatem *ontologice* spectavit, illam, uti antea vidimus [3], in divisibilitate posuit [4]. Huius interpretationis vades dare possumus Albertum M., et s. Thomam, quibus inter doctores Scholae antefertur nemo, et fortasse nemo par putatur. Nonnulli, uti apud Balforeum videre licet [5], opinati sunt Albertum M. essentiam quantitatis in eo dumtaxat statuisse, quod est esse mensuram, eiusque tractatum logicum de categoria quantitatis citarunt. Sed oppido falsi sunt. Nam, si Beatus Doctor in sua *Logica* quantitatem esse mensuram substantiae

---

[1]) *Op. cit. In Cap. VI Categ.* q. I, fol. 62 *recto*, ed. cit.

[2]) P. 94, ed. cit. — [3]) P. 501.

[4]) Aristotelem in libro *Categor.* de quantitate diligentius, quam in *Met.*, disseruisse Bonitzius scripsit (*Met.* p. 251, ed. cit.). At Bonghius (*Op. cit.*, p. 283, not. (5)) ei obiecit Aristotelem in *Organo* copiosius, sed non diligentius, quam in *Met.*, notionem quantitatis exposuisse. Neuter, ni fallimur, rem acu tetigit. Stagirita enim aliter in *Organ.*, aliter vero in *Met.* categoriam quantitatis explicuit, quia ipsam in illo *logice* in hac *ontologice* consideravit.

[5]) *Op. cit.*, ibid., p. 253.

dixit, in *Metaphysica* luculenter asseruit, et inculcavit quantitatem esse mensuram, si, prout ad aliud refertur, nempe logice consideretur, sed, si prout *entitate sua constat*, nempe *ontologice* spectetur, esse illud, quod in partes dividi potest. En quid initio tractatus de quantitate ipse professus fuit: « Loquentes de generibus accidentium loquemur primo de quantitate, non quidem « prout est mensura corporeae substantiae, prout determinatum est de ipsa in praedicamento. . . . Sed loquemur de quantitate, prout pendet ex ente, et ponemus modos eius, qui sunt entitatis modi speciales [1] ». Et, postquam definitionem Aristotelis, quam supra adduximus, explicuit, subdit: « Et haec est definitio quasi propria: quia fit per ea, quae essentialiter « sunt in quanto: et quantum, secundum quod entitate « sua constat, non refertur ad alterum, sicut mensura, « sed per intrinseca sua determinatur, prout absolute « quantum est in seipso ». Quod ad s. Thomam attinet, quisquis ea, quae in innumeris suis operibus passim hac de re scripsit, diligenter mente recoluit, dubitare non potest, quin sanctus Doctor sententiam praeceptoris sui amplexatus fuerit. Re vera, ipse, uti ex locis ante allatis, aliisque, quae omisimus, luculenter patescit saepenumero dixit nos quantitatem in substantia materiali nonnisi ex eo intelligere, quod ipsam ex multitudine partium constare cognoscimus, et, quandoquidem partes in substantia materiali *potentia* sunt, et post divisionem *actu* distinguuntur, nos quantitatem in substantia materiali intelligere, ex eo quod ipsam esse in partes divisibilem cognoscimus [2]. Ast idem sanctus Doctor docuit, quemadmodum numerus, seu quantitas discreta cognoscitur *uno*, quod est eius principium, ita quantitatem continuam cognosci aliquo *primo*, quod vice *unius* proprie dicti fungi intelligimus. Loco, quem ante exscripsimus [3], e re est addere hunc alium: « Dicendum,

---

[1]) *In Met.* lib. V, tract. III, c. 1. — [2]) P. 500. — [3]) P. 507, not. 2.

« quod mensura proprie dicitur in quantitatibus ; dici-
« tur enim mensura illud, per quod innotescit quanti-
« tas rei ; et hoc est minimum in genere quantitatis,
« vel simpliciter, ut in numeris, quae mensurantur uni-
« tate, quae est minimum simpliciter ; aut minimum
« secundum positionem nostram, sicut in continuis, in
« quibus non est minimum simpliciter, unde ponimus
« palmam loco minimi ad mensurandum pannos, vel
« stadium ad mensurandum viam [1] ».

Goudinius, ut unum dumtaxat thomistam magnae auctoritatis nominemus, non est diffisus multa esse in s. Thomae libris loca, in quibus quantitatem in divisibilitate, aut etiam in mensurabilitate consistere asseruit; sed contendit eum in illis locis vel quantitatem per eius proprietates solum descripsisse, vel locutum fuisse de divisibilitate, et mensurabiliter *radicalibus*, et *obiectivis*, quae in extensione partium in se ipsis consideratarum consistunt [2]. At, si sanctus Doctor quantitatem aut per divisibilitatem, aut per mensurabilitatem, ut nos antea vidimus, idemque Goudinius fassus est, saepe explicuit, valde probabile est eum non aliter, ac Albertum M. eius magistrum, in ea fuisse sententia, quod quantitatis, si *ontologice* consideretur, essentia sit posse dividi in partes, sin *logice*, esse mensuram.

Quandoquidem esse mensuram rei corporeae est essentia quantitatis logice spectatae, consequitur tot esse nobis distinguendas species quantitatis, quot sunt modi, secundum quos ab uno sive proprio, sive per similitudinem sumto, quod principium, et mensura quantitatis est, ipsam quantitatem progigni, seu secundum quos partes quantitatis ad ipsam quantitatem constituendam concurrere intelligimus. Iamvero, partes, ex quibus quantitas efficitur, uni, quod est principium, et mensura quantitatis, duobus modis addi posse intelligimus, scilicet vel ita, ut nullo com-

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 2 ad 3.
[2]) *Op. cit.*, ibid., resp. ad Ob. I, p. 286.

muni termino nectantur, sed singulae a singulis seiungantur, vel ita ut singulae communi aliquo termino vinciantur, et cohaereant. Quantitas, cuius partes communi termino non coniunguntur, *discreta*, et quantitas, cuius partes aliquo communi vinculo coniunguntur, *continua* a Philosophis post Aristotelem nuncupata fuit [1]. Terminus, qui singulas partes quantitatis continuae nectit, *communis* dicitur, quia nulli partium, quas nectit, proprius est, sed finis est prioris partis, et principium posterioris. Quandoquidem vero terminus communis cunctas partes quantitatis ita nectit, ut sit finis partis prioris, et principium posterioris, sequitur ipsum esse principium postremae partis quantitatis. Sed, si est principium postremae partis quantitatis, profecto ipsam quantitatem terminat. Terminus communis igitur non solum singulas partes quantitatis nectendi, sed etiam ipsam quantitatem terminandi munere fugitur. Quamobrem s. Thomas Euclidem laudavit, quod « posuit punctum « in diffinitione lineae, sicut terminum in diffinitione « terminati [2] », et essentiam lineae tolli dixit, si non esse *ad punctum terminabilis* dicatur [3].

Iam manifestum est divisionem quantitatis in discretam, et continuam esse omnium primam, et potissimam. Nam, cum prima divisio entis per affirmationem, et negationem, nempe per ens, et non ens, fiat, inde patet in quolibet rerum genere primam divisionem illam esse dicendam, quae fit per affirmationem, et negationem, hoc est per ea, quorum unum asserit id, quod altera negat. Atqui huiusmodi est divisio quantitatis in discretam, et conti-

---

[1]) Vid. *Categ.*, et *Met.* II. citt. — [2]) I, q. LXXXV, a. 8 ad 2.

[3]) « Dicendum quod, quamvis a linea si diminuatur punctus « in actu, nihil depereat de lineae quantitate, si tamen diminua« tur a linea quod non sit ad punctum terminabilis, peribit lineae « substantia »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. II, a. 3 ad 11. Audire quoque e re est s. Augustinum aientem: « Figuram rectis lineis nul« lam videmus fieri posse, nisi ipso (*puncto*) angulus claudatur »; *De quant. anim.*, c. XII, n. 19.

nuam , quia in illa singulas partes quantitatis communi termino cohaerere negatur , in hac asseritur [1]. Ergo divisio quantitatis in discretam, et continuam prima, et potissima omnium est.

Quantitatis tum continuae , tum discretae plures alias divisiones Philosophi, eodem Stagirita duce, exposuerunt, in eisque enumerandis , et explicandis non parum dissenserunt. Verum, quoniam illas enumerare, et explicare partim ad idealogiam , partim ad disciplinas mathematicas pertinet, non aliud hic agendum nobis est, quam ut notiones quantitatis discretae, et quantitatis continuae in universum spectatas explicemus, et inter se conferamus.

A quantitate continua ordiamur necesse est. Etenim germana , utilisque ratio philosophandi , quemadmodum alias ostendemus expostulat, ut ab iis, quae prius , magisque nobis nata sunt , in cognitione rerum assequenda initium sumamus. Iamvero , quantitas continua , uti s. Thomas advertit, quamvis sit natura posterior discreta, tamen prius , magisque nobis nota est , quam discreta , quippe quod ad cognitionem quantitatis discretae ex divisione quantitatis continuae pervenimus [2]. Oportet igitur, ut a quantitatis continuae explicatione ordiamur.

In substantia corporea, ad quam quantitas vere, et proprie pertinet , tres dimensiones quantitatis continuae nobis occurrunt, aeeque sunt, *longitudo*, *latitudo*, et *profunditas*, sive *crassities*; omne enim corpus re ipsa est longum, latum et profundum. Iam, etsi hae tres dimensiones simul iunctae in corpore semper existant ; nihilominus licet nobis longitudinem sine latitudine, et profunditate, et latitudinem sine profunditate cogitare , quia notio profunditatis notio-

---

[1]) Vid. Albertum M., *Op. cit.*, ibid. c. 3, et s. Thomam, *Super Boët. de Trinit.*, lect. I, q. II, a. 1 c.

[2]) « Ad sextum dicendum, quod numerus formaliter loquendo « est prius, quam quantitas continua: sed materialiter quantitas « continua est prior, cum numerus ex divisione continui relinqua« tur»; *Super Boëtium de Trinit.*, lect. I, q. II, a. 2 ad 6; cf *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 5 ad 8; et ea, quae diximus p. 506.

nes longitudinis, et latitudinis, et notio latitudinis notionem longitudinis, sed nec notio longitudinis notiones latitudinis, et profunditatis, nec notio latitudinis notionem profunditatis complectitur. Ita, cum quaerimus, quanta sit via, quae Neapoli Romam ducit, de longitudine tantum quaerimus, et, cum quaerimus, quanta sit area, quae alicuius campi frumento trituranda inservit, neglecta profunditate, de longitudine, et latitudine dumtaxat quaerimus. Apposite s. Augustinus: « E. Video « quod latitudo longitudine indigeat, sine qua prorsus « intelligi non potest. Rursus longitudinem cerno lati- « tudine quidem non indigere, ut sit, sed sine signo illo « esse non posse. Illud autem signum per semetipsum « esse, et nullius horum indigere manifestum est. A. « Ita est ut dicis. . . . Certe latitudinem sic intelligis « ut cogitatione tua de altitudine nihil usurpes [1] ». Longitudo sine latitudine, et profunditate ea quantitas est, quae *linea* dicitur; latitudo autem sine profunditate ea est, quae vocatur *superficies*, seu *planities*; quantitas vero, quae longitudinem, latitudinem, et profunditatem habet, *corpus* nuncupatur. Corporis nomine autem, de quo hic agitur, uti Herminus apposite observavit [2], intelligendum non est corpus *solidum*, στέρεον, nempe corpus *physicum*, sed corpus *mathematicum*, scilicet tres dimensiones simul iunctae, atque a materia sensibili abstractae. Omnes enim dimensiones quantitatis, quamvis in natura rerum, ut s. Thomas advertit, sine materia sensibili esse nequeant [3], tamen ab hac seiunctae intelligi queunt. Quam autem ob causam tres dimensiones, quantitatis simul iunctae tum quoque, cum a materia sensibili seiunctae considerantur, nomine corporis donentur, idem s. Thomas breviter explicuit his verbis:

---

[1]) *De quant. anim.*, c. 12, n. 20; cf ibid. n. 10.

[2]) Apud Simplicium, *Op. cit.*, ibid.

[3]) « Omnes species quantitatis sunt mathematica quaedam, quae « secundum esse non possunt a materia sensibili separari »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 7 c.

« Hoc nomen corpus impositum est ad significandum « quoddam genus substantiarum, ex eo quod in eis in- « veniuntur tres dimensiones. Et ideo aliquando ponitur « hoc nomen corpus ad significandas tres dimensiones, « secundum quod corpus ponitur species quantitatis [1] ».

Nostrum non est inquirere, quomodo intellectus notiones harum quantitatum adipiscatur, et quomodo illas ad corpus mathematicum efficiendum concurrere intelligat; hoc mathematicorum munus est. Illud dumtaxat explicemus necesse est, quomodo partes quantitatis continuae ipsam quantitatem efficiant.

Qua de re in primis sciendum est, illud, quod termini communis officio fungitur, aliquid quodammodo indivisibile esse oportere, alioquin non tamquam aliquid, quod partes quantitatis connectit, et terminat, sed tanquam aliqua pars quantitatis intelligeretur. Qua ratione terminus communis, qui semper aliquid materiale esse debeat, quodammodo indivisibilis sit, inferius dicemus. Illud hic adnotandum est, indivisibile, quod lineam ab utroque extremo terminat, eiusque partes inter se nectit, illud esse, quod *punctum* vocatur. Et sane, illud, quod lineam ab utroque extremo terminat, non solum latitudinis, et profunditatis, sed etiam longitudinis expers esse debet; nam, si longitudinem haberet, non principium, et finis lineae, sed linea foret. Iam, huiusmodi esse intelligitur illud, quod a geometris punctum dicitur. Geometrae enim punctum esse dicunt aliquod indivisibile corporeum, quod, cum sit per se expers quantitatis, principium est omnis quantitatis continuae [2], quia, uti s. Thomas ait, ex motu puncti lineam, ex motu lineae superficiem, atque ex motu superficiei corpus gigni intelligimus [3]. Hinc illud indivisibile, quod lineam ab utroque extremo terminat, est punctum. Audi s. Augu-

---

[1]) I, q. XVIII, a. 2 c.

[2]) Vid. Albertum M., *Op. cit.*, ibid. c. 1, et s. Thomam, *In lib. I Met.*, lect. 2.

[3]) « Secundus modus (processionis), ait s. Thomas, . . . quoties-

stinum id breviter asserentem: « Illud dico lineae prin-
« cipium, a quo incipit longitudo, quod volo sine ulla
« longitudine intelligas. Nam si longitudinem intelligis,
« nequaquam profecto intelligis, unde ipsa incipit longi-
« tudo. . . Hoc est, quod nullam divisionem patiatur, et
« punctum vocatur [1] ». Quod si punctum est principium, et finis lineae, necesse est, ut singulas partes lineae, tanquam terminus ipsarum communis, nectat. Re vera, non aliter intelligere possumus lineam ex fluxu puncti produci, ita ut punctum sit principium, et terminus eius, quam quatenus intelligimus ipsum cunctas partes lineae adeo inter se nectere, ut sit principium prioris, et finis posterioris partis. Non alio enim pacto, uti ab Alberto M. observatum fuit, intelligi posset, quomodo extremae partes quantitatis continuae inter se continuentur, illudque totum efficiant, quod quantitas continua nuncupatur [2]. Iam, hoc significat punctum esse terminum communem, quo singulae partes lineae vinciuntur. Ergo, si punctum, uti ostendimus, est principium, et finis lineae, inde patescit ipsum esse quoque terminum communem, in quo singulae partes lineae conveniunt, atque inter se nectuntur. Cuius rei illud, uti s. Augustinus ait, iudicio esse potest, quod, si lineam in plures partes secueris, plures lineae, quae per sectionem efficiuntur, punctis quoque terminantur. « Ab ipso (puncto), « sanctus Doctor ait, incipit linea, ipso terminatur . . ., « deinde undecumque secari linea potest, per ipsum se-

---

« cumque iteratur, aliam speciem facit: ut si ex puncto per mo-
« tum procedit linea, non punctus, quia punctus motus lineam
« facit, ex linea linealiter mota non procedit linea, sed superfi-
« cies, et ex superficie corpus »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLI, q. 1, a. 1 *sol.* 5 c.

[1]) *De quant. anim.*, c. 11, n. 18.

[2]) « Continua autem sunt, quorum ultima sunt unum, hoc est,
« cum unus contrariorum sit unus, et idem terminus, et ita con-
« tinuantur ab invicem, sicut significat nomen. Continuum enim
« dicitur quasi in uno se tenens »; *Phys.*, lib. V, tract. II, c. 3. Cf p. 513.

« catur , cum ipsum omnino nullam in se admittat se-
« ctionem [1] ».

Id, quod de linea diximus, de superficie, et corpore dictum puta. Nam, quemadmodum illud, in quod divisionem lineae desinere intelligimus, est punctum, ita illud, in quod intelligimus desinere superficiem, est linea; et, quemadmodum ex fluxu puncti lineam, ita ex fluxu lineae ad latus superficiem gigni intelligimus. Quamobrem, sicuti punctum lineam terminat, eiusque partes, tanquam terminus communis illarum , copulat ; ita linea terminat superficiem , atque huius partes, tanquam communis terminus, coniungit. Corpus denique superficie terminatur , non secus ac superficies lineis, et linea punctis, et ex protensione superficiei in profundum, perinde ac ab exporrectione lineae ad latus, superficies, et ex fluxu puncti in longum linea progignitur.

Illud advertendum hic est, communes terminos quantitatis continuae in ipsa quantitate esse *actu* , sed qui partes eius copulant , *potestate* tantum. Re vera, quandoquidem nulla quantitas *actu* esse potest , quin quibusdam terminis mensuretur [2] , id , quod quantitatem terminat , *actu* in ea esse oportet. Contra ea , quum partes , ex quibus quantitas continua constat , *potestate* in ea sint , id , quod partes secum nectit , *potestate* quoque in ea esse debet. Hinc s. Thomas docuit in linea duo puncta esse *actu* , sed, quoniam ipsa in infinitum dividi potest , infinita puncta *potentia* in ea esse [3]. Hoc, quod ratio manifeste suadet , experientia comprobat. Nam in qualibet linea intellectui nostro occurrunt duo puncta, tanquam extrema eius, in qualibet superficie oblonga quatuor lineae, quarum una est supra; altera infra, atque aliarum duarum una est a sinistra, altera a dextera, et in quolibet cubo sex superficies, seu facies nobis

---

[1]) *De quantit. anim.*, c. 12, n. 19.

[2]) « Mensuratio, s. Thomas ait, ponit terminationem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 4.

[3]) « Aliquando (linea) proprie accipitur pro ipsa dimensione,

occurrunt. Quod si lineam, aut superficiem oblongam, aut cubum in duas partes secueris, singulae duae lineae, quae ex sectione unius fiunt, duo puncta, singulae duae superficies oblongae quatuor lineas, et singuli duo cubi sex superficies, sive, ut aiunt, facies nobis exhibent. At non possent ex divisione lineae duo nova puncta, ex divisione lineae oblongae quatuor novae lineae, atque ex divisione cubi sex novae superficies existere, nisi in linea, in superficie oblonga, et in cubo ante divisionem *potestate* essent; si quidem, quoniam « actus, ut s. Thomas ait, in quantum huius- « modi, ad potentiam refertur [1] », non aliud in re ad *actum* revocari potest, nisi quod *potentia* in ea est. Ergo termini communes quantitatis continuae, qui singulas partes eius nectunt, *potentia* in ea sunt.

Atque de quantitate continua satis; ad discretam accedamus. Quantitas discreta, uti diximus, ea est, cuius partes nullo communi termino nexae sunt, sed singulae a singulis seiunctae. Id, ni fallimur, ex eo efficitur, quod, cum unum, quod est principium quantitatis discretae, sit indivisibile proprie dictum, non possunt partes quantitatis ab eo ita fluere, ut unaquaeque sit finis prioris, et principium posterioris, quia in eo, quod est indivisibile proprie dictum, nihil intelligi potest, quod sit finis praecedentis, et principium subsequentis. Atqui terminus communis illud dicitur, quod in singulis partibus quantitatis est finis prioris partis, et principium posterioris. Ergo partes quantitatis discretae nullo communi termino necti possunt.

Quapropter tenendum est, quemadmodum partes quantitatis continuae communi termino nectuntur, eo quod principium eius est aliquid non omnino indivisibile, ita partes quantitatis discretae nullo termino communi vin-

---

« quae est prima species quantitatis continuae, et sic linea recta « continet tantum duo puncta in actu, quae terminant ipsam, sed « infinita in potentia »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XL, q. I, a. 2 ad 3.

[1]) *Contr. Gent.*, lib. II, c. 55.

ciri, eo quod principium eius est aliquid omnino indivisibile, scilicet unitas. Id Albertus M. sibi voluisse videtur, cum dixit indivisibile materiale esse principium essentiale continuationis, et unitatem esse principium essentiale discretionis [1].

Illud, quod *a priori* ostendimus, *a posteriori* etiam, nempe *inductione*, et *exemplo* B. Albertus M. secundum Stagiritam probavit his verbis, quae nulla commentatione indigent: « Hoc autem probatur inductive, et « exemplariter, sicut quinque et quinque si ponantur particulae numeri decem, sive denarii, istae « particulae nullum habent communem terminum, qui « fit unius partis finis, et alterius principium ut continuans: prima enim quinque in ordine unitatem, ad « quam finiuntur, non habent eandem, a qua inchoantur quinque sequentia secundum substantiam, sed « divisim habent eam, et discretam ab unitate, a qua « incipit quinarius sequens: et sic est de omnibus partibus senarii. Semper enim partes denarii, quocumque modo accipiantur, semper discretae sunt, sicut si accipiantur septem et tria, vel duo et octo, vel « sex et quatuor, vel decem unitates, semper non continuae et non copulatae accipiuntur: ita quod singulae « in suis discretionibus nullo modo continuantur aliquo « modo copulatae [2] ».

---

[1]) « Continuum enim habens positionem fluit a puncto, sicut ab « indivisibili corporali principio. Discretum autem habens ordinem in partibus loco positionis, sicut numerus causatur ab u« nitate, sicut a suae discretionis essentiali principio »; *Op. cit.*, ibid. c. 1.

[2]) *Op. cit.*, ibid., c. 2. En pauca verba loci aristotelei, quem B. Doctor commentatus est: « Nam partium numeri nullus est com« munis terminus, quo eae partes coniungantur, ut si τὰ quinque « sunt partes τῶν decem, nullo communi termino coniunguntur « quinque, et quinque, sed secreta sunt. Tria quoque, et septem « nullo communi termino coniunguntur, et omnino haud possis « in numero communem terminum partium accipere, sed semper « secreta sunt »; *Categ.* l. c.

Ad idem magis, magisque declarandum valde iuvat a Balforeo [1] aliud argumentum mutuari, quod ad absurdum ducit. Eruditus ille Interpres organi aristotelici fere hunc in modum argumentatus est: Si quis terminus communis partes quantitatis discretae copularet, hic profecto non aliud esse posset, quam id, quod maxime est unum, quia partes quantitatis discretae sunt unitates. At, ne id quidem, quod maxime est unum, partes quantitatis discretae, tanquam terminus communis, copulare potest. Namque id, quod termini communis officio fungitur, partes non auget, quia, cum sit finis prioris, et principium posterioris, quamdiu per ipsum partes continuantur, ab ipsis partibus haud distinguitur. Sed, si vel id, quod maxime est unum, inter partes quantitatis discretae poneretur, partes eius augerentur, diversaque quantitas discreta existeret; quaelibet enim unitas, quae numero additur, uti mox dicemus, eius speciem mutat. Puta, si inter tria, et septem, aut inter quinque, et quinque numeri denarii unum poneretur, non amplius decem, sed undecim numerarentur. Patet igitur partes quantitatis discretae nullo communi vinculo contineri.

Quandoquidem partes quantitatis discretae non vinciuntur, uti partes quantitatis continuae, ullo termino communi, ipsas aliter in quantitate discreta, aliter in continua existere tenendum est. Enimvero, quoniam partes quantitatis continuae, utpote quae communi termino nectuntur, inter se continuantur, ipsae, quocumque modo considerentur, in quantitate nonnisi *potentia* esse possunt [2]. At, partes quantitatis discretae, utpote quae ob privationem termini communis inter se non continuantur, sed singulae a singulis discretae sunt, quodammodo *actu*, et quodammodo *potentia* in quantitate sunt. Si enim considerentur, prout non sunt, aiente s. Thoma [3],

---

[1]) *Op. cit.*, l. c., c. 3, p. 223.

[2]) « Continuum est indivisum in actu, licet sit indivisibile in po« tentia »; I, q. LXXXII, a. 4 c. Cf p. 495, et 496.

[3]) *In lib. VII Met.*, lect. 13, et *in lib.* X, lect. 4.

continuae, sed singulae a singulis seiunctae, seu prout non constituunt certam speciem numeri, puta denarium, *actu* in quantitate sunt, quia quidquid a ceteris omnibus discretum, sive seiunctum intelligitur, nonnisi tamquam aliquid, quod est *actu*, intelligi potest [1]. Sin considerentur, prout constituunt certam speciem numeri, tanquam totum quantitativum, *potentia* in ea sunt, quia, cum species, sive essentia cuiusque rei simplex sit, non potest in ea aliquid a ceteris seiunctum cogitari, quin essentia ipsa destruatur. E. g. si ternarius in se spectatur, *actu* ipsum esse intelligitur, quia tamquam numerus a ceteris divisus intelligitur; verum, si spectetur, prout est pars denarii, seu prout constituit totum quantitativum, quod numerus denarius dicitur, in denario *potentia* est, quia, si tria a septem seiuncta intellexeris, non denarium, sed duos diversos numeros, nempe ternarium, et septenarium intelliges.

Species vero, seu forma numeri ab ultima unitate, uti in *Idealogia* videbimus, constituitur. « Vnitas addita, « s. Thomas scribit, constituit speciem [2] ». Et sane, cum numerum ex eo gigni intelligamus, quod primae unitati, tanquam principio numeri, alias addi intelligimus, liquet cunctas unitates, ex quibus numerus constat, esse materiam numeri, et ultimam unitatem esse formam eius, quia per ultimam unitatem species numeri efficitur. Puta, numero senario speciem, seu essentiam sexta unitas largitur; si enim hanc ab eo subtrahas, quinarium, non vero senarium habes, sin sextae unitati addas septimam, septenarium. « In numeris, Aquinas inquit, quaelibet unitas « addita, vel subtracta variat speciem [3] ».

Quae cum ita se habeant, inde intelligis 1° partes quantitatis discretae, uti Albertus M. advertit, quamquam ob

---

[1]) « . . . actus, ait s. Thomas, habet virtutem separandi, et di- « videndi »; *In lib. VII Met.*, lect. 13.

[2]) *Qq. dispp., De Virtut.*, q. I, a. 11 c.

[3]) *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 41.

privationem termini communis singulae a singulis seiungantur, tamen unum *per se* esse, quia *sub una forma specifica discretionis vinciuntur*, quae est ultima unitatum aggregatarum [1]. 2° Partes quantitatis discretae, prout quantitatem constituunt, *potentia* in ipsa esse, licet ratione, uti diximus, quodammodo diversa, ac in quantitate continua. Nec secus partes in quantitate discreta se posse habere s. Thomas scite contendit. Etenim, si partes in quantitate discreta *actu* essent, ex ipsis non existeret unum *per se*, καθ' αὐτὸ, cuiusmodi omne *quantum* esse debet, sed unum *per accidens*, κατὰ συμβηβεκὸς [2]. 3° Quantitatem discretam, quamdiu in sua specie manet, observante Scoto, esse unam, et indivisam, licet unitates, quae eius materiam constituunt, sint divisae, quippe quod divisio quantitatis discretae speciem eius perimit [3].

---

[1]) « Sed hic advertendum est, quod quamvis discretae maneant « omnes particulae . . . numeri, tamen sub una forma specifica « discretionis vinciuntur, numerus enim unitatis constituitur ag- « gregatione et ordine, et quaecumque unitas congregationis or- « dinatae terminus, in quo stat aggregatio, ut in complente uni- « tate illa, ut finis et complementum, est forma numeri illius, « ut in quinario quinta, in denario dena, et sic de aliis. Et ideo « dicit Aristoteles, quod decem non est tria, et septem, aut bis « et quinque, aut octo et duo: sed oportet accipere formam in « unitate ultima, prout est finis aggregationis ordinatae ad uni- « tatem illam, quae complementum est talis aggregationis»; *Op. cit.*, ibid., c. 2.

[2]) « Duo enim, quae sunt in actu, numquam sunt unum actu, « sed duo, quae sunt in potentia, sunt unum actu, sicut in par- « tibus continui. Duo enim dimidia unius lineae sunt in poten- « tia in ipsa linea dupla, quae est in actu. Et hoc ideo, quia actus « habet virtutem separandi, et dividendi . . . Et sicut est in ma- « gnitudinibus, ita est in numero, si numerus est compositio u- « nitatum, sicut a quibus dicitur. Oportet enim, quod vel duali- « tas non sit unum quid, sive quicumque alius numerus, vel quod « unitas non sit actu in ea. Et sic dualitas non erunt duae unita- « tes, sed aliquid ex duabus unitatibus compositum. Aliter nu- « merus non esset unum per se, et vere, sed per accidens, sicut « quae coacervantur »; *In lib. VII Met.*, lect. 3.

[3]) « Ad primum potest dici, quod quantitas discreta est una, « et indivisa, id est, dum manet in sua specie, undecumque sit

Ex hactenus dictis intelligere in promptu est, quam scite Aristoteles docuerit quantitatem aliam esse, cuius partes *positionem*, θέσιν, inter se invicem habent, aliam vero, cuius partes *positionem* inter se invicem non habent [1]. Quantitas habere partes inter se positionem habentes dicitur, cum tales habet partes, ut haec in illa, veluti in suo loco, sit, puta digitus in manu et manus in brachio, ob idque dicere possimus, quod haec in ista, et ista in alia, atque haec ante, illa autem retro, aut ista rursum, et haec deorsum sunt [2]. Vt vero partes quantitatis sese invicem habeant hoc modo, tria secundum graecos, latinosque Aristotelis interpretes expostulantur. Primo, quod *alicubi*, ποῦ [3], nempe in aliquo subiecto sint, veluti partes lineae in plano, seu superficie, partes superficiei in corpore, et corpus in loco; alioquin nec fieri, nec intelligi posset, quomodo una pars in alia sit [4]. Secundo, quod subiectum, in quo sunt, sit continuum; si enim huiusmodi non esset, certe dici non

---

« eius unitas, quamvis materialia, quae subsunt illi formae, sunt « divisa; v. g. quinarius in sua specie manens, est formaliter in- « divisus, quia divisio eius perimit formam quinarii, quia, divi- « sione facta in ternarium, et binarium, non amplius manet qui- « narius, licet materialia, ut unitates, sint sic divisa »; *Super Praedicam.*, q. XVII, n. 4.

[1]) *Categ.*, l. c. p. 92, et 93 ed. cit.

[2]) Hinc s. Thomas « Distinctio, ait, secundum situm primo, et « per se convenit quantitati dimensivae, quae definitur esse quan- « titas positionem habens; unde et partes in subiecto ex hoc ipso « distinctionem habent secundum situm, quod sunt subiectae di- « mensioni »; *Quodlib.* I, a. 21 c.

[3]) Arist., *Categ.* ibid., p. 93.

[4]) Id exemplo corporis s. Augustinus eleganter, ut solet, declaravit: « Neque ullo modo potest (*corpus*) esse in loco huius « partis simul habere aliam partem, sed aliud hic, et aliud alibi « habens per quaelibet spatia locorum distanti et dividua, vel « potius, ut ita dicam, sectili mole distenditur »; *Cont. Ep. Man.*, c. 16, n. 20. Et rursus alibi: « Corpus non est nisi quod per loci « spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, « vel movetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet, et « breviore breviorem »; *Ep.* CLXVI, c. 2, n. 4.

posset, quod haec pars sit ante, illa autem retro, itemque quod illa sit sursum, haec deorsum. Tertio, quod simul permaneant, quia, si una dilaberetur, adveniente altera, nec una in alia, nec una ante, alia retro, aut una sursum, alia autem deorsum esse possent.

Iam, perspicuum est partes cuiusque quantitatis discretae positionem inter se non habere; si quidem, cum ipsae, ob defectum termini communis, inter se non continuentur, sed singulae a singulis discernantur, fieri non potest, ut omnes in aliquo subiecto, eoque continuo sint. Quamobrem Albertus M. dixit partes quantitatis discretae habere *ordinem in partibus loco positionis*, quippe ipsae non aliter quantitatem constituunt, quam quod quemdam ordinem inter se habent. Si quemdam numerum, exempli gratia, sumamus, procul dubio intelligere non possumus hanc unitatem esse in ista, et istam in illa, nec dicere possumus, quod haec unitas est ante, illa autem retro; sed illud intelligimus, unitates, ex quibus numerus constat, eiusmodi ordinem inter se habere, ut inde certus ille numerus efficiatur.

Contra ea, omnes species quantitatis continuae, si tempus exceperis, partes habent positionem inter se habentes. Certe, partes temporis positionem inter se non habent; harum enim, ut suo loco videbimus, una dilabitur, altera adveniente. Verum, partes lineae, superficiei, corporis, et loci, quae reliquae species quantitatis continuae sunt, positionem inter se habent. Nam praeterquam quod ipsae, uti ex se patet, permanent, semper in aliquo subiecto continuo pro naturae suae modo, et conditione sunt. Sic linea debet esse in plano, seu superficie, superficies in corpore, corpus in loco, locus denique in spatio [1]; superficies vero est subiectum conti-

---

[1]) « Locus, inquit s. Augustinus, in spatio est, quod longitudine, et latitudine, et altitudine corporis occupatur » (*Qq. LXXXIII*, q. 20). « Spatia locorum, alibi ait, tolle corporibus, nusquam e« runt »; *Epist.* CLXXXVII, c. 6, n. 18.

nuum, idemque de corpore, loco, et spatio dicito. Sic quoque, in quocumque linea describatur plano, ostendere nobis licet, ubi singulae eius partes collocatae sint, et velut digito indicare hic esse principium, illic medium, aut extremum. Item in quocumque corpore superficies intendatur, indicare possumus hanc eius partem esse sursum, illam deorsum, atque hanc esse primam, istam mediam, illam extremam. Id ipsum dic de corpore, et loco; si quidem proclive nobis est ostendere, ubi collocatus sit lapis ille in pariete, atque hic esse summam partem eius, illic imam, nec non loci partes has superiores dicere, illas vero inferiores.

Ex quibus illud quoque patescit, punctum, quod est principium quantitatis continuae, atque unum, quod est principium quantitatis discretae, inter se differre, quia illud non solum, perinde ac istud, est quoddam indivisibile, et mensura quantitatis, sed etiam habet positionem, sive situm [1]. « Differunt, s. Bonaventura ait, punctus, et unitas. Nam punctus est substantia posita... « Vnitas vero est substantia non habens positionem [2] ». Hoc autem non est intelligendum, quasi punctum ex partibus, quae positionem inter se habent, constet; nam, cum ipsum non sit quaedam species quantitatis, sed principium quantitatis, partes non habet. Verum, quoniam est principium lineae, quemdam ordinem ad partes eius, quae positionem inter se habent, teneat necesse est.

---

[1]) « Quoddam (*indivisibile*) . . . s. Thomas subdit, habet in sui « ratione aliquid praeter rationem indivisibilitatis, ut punctum, « quod praeter indivisionem importat situm; aliquid vero est, « quod nihil aliud importat, sed est ipsa sua indivisibilitas, ut « unitas, quae est principium numeri, et tamen inhaeret alicui, « quod non est sua unitas, scilicet subiecto suo » (*In lib. I Sent.* Dist. XXIV, q. I, a. 1 c.) « Punctus enim, alibi scribit, addit su« pra unitatem situm. Nam ens indivisibile ratione unitatis con« stituit. Et haec, secundum quod habet rationem mensurae, fit « principium numeri. Punctus autem supra hoc addit situm »; *In lib. I Met.*, lect. 2. Cf *In lib. II Sent.*, Dist. XXX, q. II, a. 1 c.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, dub. 4.

[3]) Vid. Alemannium, *Op. cit.*, ibid. q. XI, a. 5, ad 2 q. 2ae.

Inde intelligere potes, cur a Scholasticis post Albertum M. [1] dictum sit unum, quod est principium quantitatis discretae, esse indivisibile *simplex*, et punctum, quod est principium quantitatis continuae, esse indivisibile *materiale*.

His omnibus statutis, haud difficulter licet nobis dirimere litem a Scholasticis vehementer agitatam, utrum divisio quantitatis in continuam, et discretam sit divisio generis an analogi. Re vera doctrinam Alberti M., et s. Thomae, quam exposuimus, et propugnavimus, mente reputantibus manifestum nobis videtur divisionem quantitatis, si quantitas ontologice consideretur, esse generis in suas species, sin consideretur *logice*, esse analogi in *analogata*.

Et sane, notio quantitatis *ontologice* spectatae, uti diximus, est posse dividi in partes. Iam, quoniam partes, in quas quaelibet quantitas dividi potest, sunt vel continuae, vel discretae, consequens est habere partes continuas, vel discretas esse duas differentias, per quas quantitas determinatur. Quantitas, quae partes continuas habet, est *magnitudo*, et quae partes discretas habet, est *multitudo*. Quantitas igitur *ontologice* considerata per suas differentias, quae sunt habere partes continuas, vel discretas, in magnitudinem, et multitudinem dividitur [2].

Haec autem divisio est generis in species. Nam posse dividi in partes, per quod quantitas *ontologice* spectata in universum explicatur, eadem ratione in magnitudine, et in multitudine invenitur, nec aliter inter se magnitudo, et multitudo differunt, quam quod illius partes sunt continuae, huius vero, discretae. Ergo quantitas, si *onto-*

---

[1]) « Vnitas enim, est indivisibile simplex non habens positio-« nem; punctum autem est indivisibile positum, sive positionem « habens »; *Op. cit.*, ibid. c. 1. Locum, in quo punctum esse principium corporale asseruit, vid. p. 520, not. 1.

[2]) « Quantitas, s. Thomas inquit, . . . inquantum est quantitas, « habet, quod sit distinguibilis secundum situm, vel secundum « numerum »; 2^a 2^{ae}, q. XXIV, a. 5 ad 1.

logice spectetur, in magnitudinem, et multitudinem, tanquam genus in species sibi subiectas, dividitur, et continuum, discretumque sunt differentiae, per quas ipsa ad species magnitudinis, et multitudinis determinatur.

Quantitatis vero, si logice consideretur, notio est, uti ante vidimus, esse mensuram. Ast, esse mensuram non invenitur eadem ratione, quemadmodum genus in suis speciebus, in quantitate continua, et discreta, sed, quemadmodum analogum in *analogata*, prius, et proprius in quantitate discreta, quam in continua. Huius rei ratio est, quod mensura vere, et proprie dicta, ut ante innuimus, est illa, cuius principium est aliquid proprie, et per se indivisibile. Atqui indivisibile eiusmodi est dumtaxat unum, quod est principium numeri, quia diversa principia quantitatis continuae, uti punctum respectu lineae, linea respectu superficiei, et superficies respectu corporis, pro indivisibilibus habentur, eo quod ad simplicitatem, et indivisibilitatem unius magis, minusve accedunt[1]. Ergo esse mensuram, in quo quantitas logice considerata consistit, in primis, et proprie convenit quantitati discretae, et deinde quantitati continuae. Quod cum proprium analogorum sit, liquet quantitatem, si logice consideretur, in continuam, et discretam, tanquam analogum in *analogata* dividi.

Quandoquidem autem definitio notionis logicae rem non eo modo, quo ipsa in se est, sed eo modo, quo intellectus ipsam intelligit, proprie designat, sequitur definitionem quantitatis stricte sumtam, quae perinde continuae, ac discretae conveniat, dari non posse, quia essentia quantitatis eo modo, quo intellectus illam intelligit, non invenitur eadem ratione in continua, et discreta. Quocirca Albertus M. scite observavit non aliud logico superesse, quam

---

[1]) Locis, quae alibi (p. 507, et 512) adduximus, adiicere lubet hunc alium perbrevem Alberti M.: « . . . in discreto est unum « primum metrum, et unum indivisibile maxime dictum, et ab « illo ad omnia alia transumitur primum unum in quolibet genere « esse»; *Met.*, lib. I, tract. II, c. 3.

ut notionem quantitatis per diversas quantitates, in quas dividitur, explicet. E re est audire Beatum Doctorem, qui hanc rem luculenter declaravit: « Quia autem quantitas « multarum divisionum est, oportet primo nos notifi- « care quantitatem per divisionem ipsius: quod si per « diffinitionem notificaremus eam, non possumus dice- « re, nisi quia mensura est substantiae: et, cum ratio « mensurandi non sit per unum modum in continuo, « et discreto . . . , non habemus quod una ratio esset « quantitatis, secundum quod in genere accipitur sub- « stantiae: Cum enim, ut dicit Aristoteles, unumquod- « que mensuretur sui generis minimo, oportet, quod sic- « ut differunt mensurata, sic etiam differant mensurae, « et eodem modo differat in eis mensurandi ratio: non « habentes ergo quantitatis in genere sumptae diffinitio- « nem, ut aliquo modo declaretur, oportet, quod ex « posterioribus notificetur [1] ».

Omissa explicatione proprietatum quantitatis, de quibus in *Idealogia* disseremus, illud hic adnotandum est, quantitatem, uti s. Thomas docuit, a reliquis octo categoriis distingui quod hae, tanquam affectiones, sive, uti Scholae aiebant, *passiones* substantiae dumtaxat considerentur, illa autem non solum, tanquam affectio substantiae, sed etiam ipsa per se, hoc est, tanquam subiectum [2]. Ex. g. nos dicere non possumus hoc corpus esse albedinem, sed dumtaxat hoc corpus esse album; verum dicere possumus non solum hanc lineam esse quantam, sed etiam esse quantitatem. Cuius discriminis hanc solidam, luculentamque rationem idem Aquinas assignavit, quod postremae octo categoriae nonnisi in subiecto, cuius sunt accidentia, individuantur, sed quantitatem non modo in subiecto, cuius est accidens, sed etiam ex se ipsa individuari intelligimus. Nos enim non possumus, e. g., plures albedines intelligere,

---

[1]) *In lib. V Met.*, lect. 15.
[2]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, *sol.* 3 ad 2.

nisi in pluribus subiectis ipsas esse intelligamus, quippe quod nihil in ipsis intelligere nobis licet, quo una ab alia differt. Contra ea, unam quantitatem ab alia differre intelligimus, quin ambas in subiectis, in quibus sunt, consideremus; si quidem, cum notione quantitatis quaedam *positio*, sive ordo partium necessario includatur, alium in una, alium vero in alia quantitate ordinem partium esse intelligimus. « Quantitas, sanctus Doctor ait, non « individuatur solum ex subiecto, sicut alia accidentia, sed « etiam ex situ, qui est de ratione ipsius quantitatis di- « mensivae, quae est quantitas positionem habens [1] ». Iam, si unam quantitatem ab alia differre intelligimus, procul dubio quantitatem ipsam per se intelligere possumus, dummodo ipsam a materia sensibili abstrahamus. Quapropter idem sanctus Doctor advertit quantitatem, secus ac reliqua accidentia categorica, duplicem rationem individuationis habere, unam quidem per subiectum, in quo est, aliam per se ipsum, abstractamque a subiecto, cuius est accidens [2].

Ex his omnibus illud facile colligitur, quod Toletus [3]

---

[1]) *Quodlib.* VII, a. 10 c. Id fusius alibi: « Habet et hoc proprium « quantitas dimensiva, inter accidentia reliqua, quod ipsa secun- « dum se individuatur; quod ideo est quia positio, quae est or- « do partium in toto, in eius ratione includitur; est enim quanti- « tas positionem habens. Vbicumque autem intelligitur diversi- « tas partium eiusdem speciei, necesse est intelligi individuatio- « nem; nam quae sunt unius speciei non multiplicantur nisi se- « cundum individuum; et inde est quod non possunt apprehendi « multae albedines, nisi secundum quod sunt in diversis subiec- « tis; possunt autem apprehendi multae lineae, etiamsi secun- « dum se considerentur; diversus enim situs, qui per se lineae « inest, ad pluralitatem linearum sufficiens est »; *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 65; Cf III, q. LXXVII, a. 2 c.

[2]) « Nullum accidens habet in se propriam divisionem, nisi « quantitatis . . . et sic habet duplicem rationem individuationis. « Vnam ex subiecto, sicut et quodlibet aliud accidens; aliam ex « se ipsa, in quantum habet situm, ratione cuius abstrahendo a « materia sensibili imaginamur hanc lineam, et hunc circulum »; *Super Boët. De Trinit.*, lect. I, q. II, a. 2 ad 3.

[3]) *Op. cit.* in c. 6 *De quant.*, q. 1, fol. 63 *recto*.

animadvertit, nempe posse dividi in partes, et esse mensuram, quorum primum notionem ontologicam, alterum notionem logicam quantitatis significat ; in primis quantitati per se spectatae convenire, deinde substantiae, de qua quantitas praedicatur, denique aliis accidentibus, quae cum quantitate in eadem substantia sunt. Atque in primis ipsi quantitati convenit. Nam, cum nobis liceat partes in quantitate intelligere, quin ipsam in substantia esse consideretur, quantitatem per se divisibilem, et mensurabilem esse intelligere possumus. Re vera, geometrae lineam, quae species quantitatis in se spectatae est, in partes secant, atque unam alia longiorem, aut breviorem esse cogitant. Secundo, convenit substantiae, seu subiecto, de quo praedicatur. Enimvero, si substantiam in se consideremus, ipsam nec divisibilem, nec mensurabilem esse intelligimus, quia ad notionem substantiae non aliud pertinet, quam esse rem, cui convenit non esse in alio, tanquam in subiecto. Verum, si consideremus substantiam, prout quantitas ei inest, intelligimus ipsam partes *potentia* in se habere, in quas *actu* dividi potest [1], proindeque capacem mensurae esse. E. g., si noveris lignum esse substantiam, procul dubio haud nosti ipsum posse dividi in plures partes, et duorum, vel trium, vel quatuor pedum esse posse; at, statim ac mente recolueris ligno, utpote substantiae corporeae, quantitatem inesse, intelliges ipsum posse dividi in plures partes, quas *potentia* in se habet, ob idque posse esse duorum, vel trium, vel plurium pedum. Tertio convenit aliis accidentibus, quae cum quantitate in eodem subiecto sunt, quia, cum reliqua accidentia, uti s. Thomas ostendit, per quantitatem in substantia materiali sint [2], efficitur, ut ipsa in

---

[1]) « Divisio, s. Thomas inquit, accidit substantiae ratione quan-« titatis, ut dicitur in I Physic. »; III, q. LXXVII, a. 2 c. Hinc ipse sanctus Doctor scribit: « Submota quantitate, remanet sub-« stantia indivisibilis »; *Super Boët. de Trinit.*, lect. I, q. II, a. 2 c.; Cf *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 65.

[2]) Huius rei, de qua fuse in *Idealogia* agemus, brevem rationem

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

substantia, cui insunt, quamdam quantitatem habeant. Ita, ut a categoria qualitatis exemplum sumamus, albedinem tantam esse dicimus, quanta est superficies substantiae materialis, in qua ipsa est. Quandoquidem vero reliqua accidentia non dividuntur per se, sed per substantiam materialem, in qua sunt, liquet 1° quantitatem proprie, et per se non convenire accidentibus, sed substantiae, in qua sunt; quia, cum essentia quantitatis, in se spectatae, ut s. Thomas ait, in divisibilitate posita sit, « ratio quantitatis invenitur proprie in illis, quae secun« dum se dividuntur [1] »; 2° accidentibus categoricis, sicuti sanctus Doctor tenet, non convenire nisi per accidens [2].

Accidens quantitatis, si stricte accipiatur, in solam substantiam materialem, quemadmodum ante innuimus, cadit. Et sane, notio quantitatis, si *ontologice* consideretur, in divisibilitate, et, si logice, in mensurabilitate consistit. Atqui posse in partes dividi, et esse mensurae capacem, seu *mensurabilem* non alii substantiae convenire potest, quam materiali, quia haec sola ex partibus constat. Ergo accidens quantitatis in solam substantiam materialem cadit. At vero, quandoquidem res spirituales, ut saepe dictum est, ex materialibus cognoscimus, et denominamus, inde fit, ut notionem quantitatis e rebus materialibus ad spirituales *transferamus*, atque hoc pacto quantitatem, quae *proprie* sub-

---

hic accipe ab eodem s. Thoma: « Sciendum quod substantia ha« bet, quod sit subiectum accidentium ex materia sua, cui primo « inest subiici alteri. Prima autem dispositio materiae est quan« titas. . . Vnde omnia alia accidentia mediante quantitate in sub« stantia fundantur, et quantitas prior est eis naturaliter »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1 *sol.* 3 c.

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 1. Cf p. 500.

[2]) « Quantitas dimensiva, ita sanctus Doctor, est quorumdam « per accidens, sicut albedinis, quae dicitur quantitas secundum « quantitatem superficiei, ut in praedicamentis (cap. de quanti« tate) dicitur. Vnde non augetur nisi per accidens, sed per se « invenitur in corporibus, quae per se augentur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 1 c.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

stantiis materialibus convenit, *translate*, sive, ut graece dicitur, *metaphorice* substantiis spiritualibus quoque accommodemus. Ad rem s. Thomas : « Quantitas proprie « est dispositio materiae, unde omnes species quantitatis « sunt mathematica quaedam, quae secundum esse non « possunt a materia sensibili separari... Vnde patet, quod « nulla species quantitatis potest rebus spiritualibus con- « venire, nisi *secundum metaphoram* [1] ». Quantitas, quae substantiis spiritualibus tribuitur, a *virtute*, seu perfectione, quam, ut paulo post dicemus, significat, *virtualis* dicitur, et hoc nomine a quantitate propria substantiis materialibus discriminatur ; haec enim ob tres dimensiones longitudinis, latitudinis, et profunditatis, quas habet, *dimensiva* dicitur, et, quia corporis propria est, ideo, secundum s. Agustinum [2], quantitas *molis* quoque vocatur. Vtriusque quantitatis exemplum in Hercule idem Doctor afer attulit his verbis: « Solemus quae- « rere quantus fuerit Hercules, idest in quot pedes sta- « tura eius porrecta fuerit. Et item quantus vir fuerit, « idest quantae potentiae et *virtutis* [3] ». Quod cum ita sit, necesse est, ut investigemus, quomodo intellectus ad notionem quantitatis virtualis ex contemplatione quantitatis dimensivae sibi conficiendam assurgat. Qua in re ducem s. Thomam maxime sequemur.

Vt praeclara Aquinatis doctrina de hac re penitus perspiciatur, mente recolendum est substantias materiales ratione quantitatis ab se invicem distingui, indeque oriri, ut, quo maiorem quantitatem una substantia, quam alia, habet, eo perfectior alia sit [4]. Quamobrem ad

---

[1]) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 7 c. Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, p. 2, a. 1, q. I *resol.*

[2]) « Cum sit corpus, inquit, aliqua substantia, quantitas eius « est in magnitudine molis eius »; *Epist.* CLXXXVII, c. 4, n. 13.

[3]) *De quant. anim.*, c. 3, n. 4; Cf *ibid.*, c. 22, n. 69.

[4]) « Quanto, s. Thomas ait, corpus ignis fuerit maius, sup- « posita aeque intensa caliditate, tanto magis calefacit; et sup- « posita gravitate aeque intensa, quanto magis fuerit corpus « grave, tanto velocius movebitur motu naturali »; *Cont. Gent.*, lib. III, c. 69.

cognoscendum , unde quantitas virtualis substantiae spiritualis repetenda sit , prae oculis habere oportet , quid sit , ex quo perfectio substantiae spiritualis efficitur. Itaque, perfectio substantiae spiritualis, ut sanctus Doctor monuit , in primis ex perfectione formae , sive essentiae , quam habet , exstimanda est , quippe quod , cum quaelibet res per essentiam suam in certo quodam genere , vel specie constituatur , eo perfectior res est , quo perfectior est eius essentia. Iam , ob perfectionem , quam substantia spiritualis ex essentia sua habet , *magnitudo* ei tribuitur, atque una substantia alia maior dicitur, prout forma, sive essentia unius est perfectior forma alius, quippe quod « in his,uti s.Augustinus monet,quae non mole « magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse [1] ». At, forma, sive essentia rei non est illud solum, ex quo quantitas virtualis substantiae spiritualis enascitur ; essentia enim est quidem radix omnis perfectionis , quae in re invenitur , sed non est sola perfectio , quae in re nobis occurrit. Quocirca essentia *radix* , seu principium omnis quantitatis virtualis , sed non sola quantitas virtualis dicenda est. Re vera, quantitas virtualis substantiae spiritualis, ut s. Thomas pergit , repetenda quoque est ex effectibus formae, sive essentiae eius, scilicet ab *esse* , per quod essentia eius *actu* est , atque ex operationibus , per quas vim suam agendi exercet [2]. Iam , si *esse* in substantia spirituali consideretur, ei convenit *duratio*, quae, uti alias videbimus, quae-

[1]) *De Trinit.*, lib. IV, c. 8, n. 9.

[2]) Inde s. Fulgentius aequalitatem, quae est proprietas quantitatis, trium divinarum Personarum in Deo repetivit. Aequalitas, inquit, « intelligitur in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, « inquantum nullus horum aut praecedit *aeternitate*, aut excedit « *magnitudine*, aut superat *potestate* »; *De Fide ad Petrum*, c. 1. Hunc in locum P. Lombardus, qui ob suos *Sententiarum* libros Magister Sententiarum dictus est, inquit: « Ecce breviter assi- « gnavit Augustinus (cui opus Fulgentii, Lombardi aetate, adiu- « dicabatur), in quo trium Personarum consistat aequalitas, sci- « licet, quia alia aliam non excellit aut aeternitate, aut magni- « tudine, aut potestate »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX.

dam species quantitatis continuae est. Nam, cum proportio intercedere debeat inter essentiam, et *esse*, quo essentia ad actum determinatur, sequitur ea, quae sunt perfectioris naturae, maioris durationis esse. Vnde Deo, quippe cuius *esse* est perfectissimum, aeternitas, seu, si ita loqui fas est, infinita duratio convenit. Sin operatio in substantia spirituali consideretur, ei convenit *potentia ad agendum*, quae tanquam species quantitatis considerari potest, quia, quo perfectior est natura substantiae spiritualis, eo maior est potentia eius ad agendum. Praestat audire sanctum Doctorem: « Huiusmodi autem « quantitas virtualis attenditur primo quidem in radi- « ce, idest, in ipsa perfectione formae, vel naturae; et « sic dicitur magnitudo spiritualis (alit. *specialis*), sicut « dicitur magnus calor propter suam intensionem, et « perfectionem. . . Secundo autem attenditur quantitas « virtualis in effectibus formae. Primus autem effectus « formae est esse, nam omnis res habet esse secundum « suam formam. Secundus autem effectus est operatio, « nam omne agens agit per suam formam. Attenditur « igitur quantitas virtualis et secundum esse, et secun- « dum operationem. Secundum esse quidem, inquan- « tum ea, quae sunt perfectioris naturae, sunt maioris « durationis. Secundum operationem vero, in quantum « ea, quae sunt perfectioris naturae, sunt magis potentia « ad agendum [1] ».

Id, quod in laudato loco sanctus Doctor *a priori* exposuit, alibi *a posteriori* evincere studuit, nimirum progrediendo ab *operatione*, quae prius, magisque nobis innotescit, ad *esse*, *et essentiam*, quae per operationem cognoscimus. Lubet ad maiorem huius rei explanationem exscribere hunc quoque locum sancti Doctoris, qui satis per se luculentus est: « ... virtus est perfectio quaedam, et tunc unum- « quodque perfectum est, quando attingit propriam vir- « tutem. Omnibus igitur illis modis, quibus contingit

---

[1]) I, q. XLII, a. 1 ad 1.

« pertingere ad ultimum , est considerare virtutem rei. « Hoc autem contingit tripliciter. Primo, in operationi- « bus, in quibus contingit gradus perfectionis inveniri. « Vnde dicitur habere virtutem ad operandum quod « attingit completam operationem, prout dicitur II Ethic. « (c. V) , quod virtus est , quae bonum facit haben- « tem , et opus eius bonum reddit. Secundo etiam re- « spectu ipsius esse rei, secundum quod etiam Philoso- « phus dicit (Coeli et mundi text. CIII) quod aliquid « habet virtutem, ut semper sit. Item secundum pleni- « tudinem perfectionis respectu ipsius entis , secundum « quod attingit ultimum naturae suae. Vnde virtus cir- « culi dicitur secundum Philosophum (I Phys. text. V), « quando attingit complete definitionem suam [1] ».

Exposita notione quantitatis virtualis, ad eius species indagandas, contemplatione eiusdem quantitatis dimensivae adiuti, progrediamur. S. Thomas, cuius vestigiis hac in re maxime insistimus , ab operatione , quippe quae prius, magisque nobis innotescit, species quantitatis virtualis cognoscere studuit. Iam, secundum sanctum Doctorem, in primis animadvertimus illud inter quantitatem dimensivam , et virtualem hac in re intercedere , quod illius divisio ex principiis intrinsecis, et huius divisio ex principiis extrinsecis oritur. Nam , cum quantitas dimensiva partes, in quas dividi potest, *potentia* in se habeat, ipsa ex natura sua divisibilis est , atque ex natura sua species habet , in quas pro diversitate modi , quo partes in ea sunt, dividitur. At quantitas virtualis non est per se divisibilis in partes , nec proinde in plures species per se dividi potest, quia, cum virtus substantiae spiritualis, tum omnis operatio, per quam virtus illa exercetur , in se consideratae simplices sunt; quapropter divisio quantitatis virtualis ex principiis extra ipsam positis repetenda est. Re sane vera , divisibilitatem , et mensurabilitatem in quantitate virtuali spectare nobis licet ex multitudi-

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. III, a. 1 *sol.*

ne actuum, in quos virtus, seu vis activa substantiae spiritualis prodire potest, atque ex multitudine obiectorum, ad quae eadem virtus porrigitur. Nam, quoniam virtus cuiuslibet substantiae spiritualis per plures actus exercetur, et ad plura obiecta porrigitur, possumus quantitatem virtualem cuiuslibet substantiae spiritualis, tanquam magnitudinem in plures actus, et in plura obiecta divisibilem, intelligere, eamque maiorem, aut maiorem dicere, prout plures sunt actus, quibus exercetur, pluraque obiecta, ad quae porrigitur. Atqui hoc est quantitatem virtualem, tanquam divisibilem, et mensurabilem, intelligere. Ergo quantitas virtualis, etsi essentia sua nec mensurabilis, nec divisibilis sit, tamen propter multitudinem actuum, et obiectorum, quae ad ipsam referentur, utroque modo intelligi a nobis potest. Hinc scite s. Thomas « virtualis quantitas, scribit, non dividitur divisione essentiae « suae; sed magnitudo eius attenditur ad aliquid divisibile extra, vel multiplicabile, quod est obiectum, vel « actus virtutis [1] »; atque alibi: « Invenitur etiam (*ratio « quantitatis*) quodammodo in illis, quorum divisio attenditur secundum ea, quae extrinsecus sunt; sicut virtus « dicitur divisibilis, et quantitas rationem habens ex ratione, et divisione actuum, et obiectorum [2] ».

Praeterea, ex diversis modis, quibus actus substantiae spiritualis considerari possunt, divisio quantitatis virtualis in continuam, et discretam, eodem s. Thoma auctore, deduci potest. Et sane, in actibus substantiae spiritualis considerare nobis licet vel multitudinem ipsorum actuum, vel intensionem cuiusque actus singularis [3], si quidem substantia spiritualis et per plures actus vim, seu virtutem suam exercet, et in cuiuslibet singularis actus exercitatione ob causas, quas alibi exponemus, maiorem, vel minorem vim intendit. Iam, si quantitas virtualis

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 1 *sol.*

[2]) *Ibid.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 1.

[3]) Vid. s. Thomam, *In lib. IV Sent.*, Dist. XVI, q. III, a. 1, q. 2 ad 6.

ex multitudine actuum, ad quos refertur, consideretur, speciem, sive, imaginem quantitatis discretae prae se fert; nam, cum singuli actus a singulis discernantur, ipsi, tanquam partes non continuae quantitatis virtualis, intelliguntur. Sin quantitas virtualis ex intensione cuiuslibet actus, quem exerit, consideretur, quantitatis continuae species prae se fert, quia intensionem non aliter, quam, veluti quoddam continuum, intelligere possumus. Audiatur rursus s. Thomas: « . . quantitas virtutis « attenditur dupliciter, vel quantum ad numerum obiec« torum, et hoc est per modum quantitatis discretae: « vel quantum ad intensionem actus super idem obie« ctum, et hoc est sicut quantitas continua [1] ».

Quae cum ita sint, facile decernere possumus, utrum quantitas aliquo modo in Deum cadat. Quisquis, nobis etiam non monentibus, intelligit quaestionem circa quantitatem stricte sumtam haud versari; cum enim Deus omnino simplex sit, Eum proprie divisibilem, aut mensurabilem esse omnino repugnat. At vero, quantitatem virtualem in Deo quodammodo agnoscamus necesse est: tantum abest, ut Ei repugnet. Nam, quandoquidem nos in Deo *essentiam*, *esse*, et *operationem* secundum rationem, κατ' επινοιαν, distinguimus, in hisce omnibus summam perfectionem agnoscere cogimur, ideoque Deo propter suam operationem potentiam infinitam, seu *omnipotentiam*, propter τὸ esse suum infinitam durationem, seu *aeternitatem*, et propter essentiam magnitudinem infinitam, seu *infinitatem* tribuimus. Id quoque ab Aquinate didicimus, qui in loco ante laudato quaerens, *utrum magnitudo competat Deo*, postquam tres modos explicuit, quibus quantitas virtutis considerari potest, subdit: « Si igitur virtus divina consideretur « secundum perfectionem ad opus, erit virtus potentiae « operativae. Si autem consideretur perfectio quantum « ad ipsum esse divinum, virtus eius erit aeternitas. Si

[1]) *In lib. I Sent.* Dist. XVII, q. II, a. 1 ad 2.

« autem consideretur quantum ad complementum per-
« fectionis ipsius naturae divinae, erit magnitudo ». Quin immo, quoniam Deus, cum res extra se producit, diversas similitudines infinitae perfectionis suae eis largitur, consequens est non solum quantitatem virtualem in Deo esse, sed etiam ipsam esse causam omnis quantitatis virtualis, quae in rebus creatis invenitur. En quomodo in eodem loco sanctus Doctor concludit: « Et sicut
« omnipotentiae suae virtute omnes potentias operativas
« fundat, et in eis operatur; ita per virtutem aeternitatis
« suae instituit, et firmat omnem durationem, et per
« virtutem magnitudinis suae omnia implet, et continet[1] ».

Quod si quaesiveris, quomodo divisibilitas, et mensurabilitas, quae in quantitate virtuali, ut diximus, quodammodo inveniuntur, in Deo admitti queant, in promptu responsio est. Et sane divisibilitas quodammodo Deo convenit, quia, etsi actio Dei simplicissima sit, tamen plures extra Eum terminos habet, quia plures sunt res, quas Deum una, et simplicissima actione sua extra se producit. Vnde idem Aquinas inquit: « . . . ratio quantitatis
« invenitur proprie in illis, quae secundum se dividuntur;
« et sic Deo non convenit. Invenitur etiam quodammodo
« in illis, quorum divisio attenditur secundum ea, quae
« extrinsecus sunt. . . Et talis ratio quantitatis, scilicet
« virtualis, Deo convenit[2] ». Quod autem ad mensurabilitatem pertinet, profecto Deus non est vere, et proprie mensurabilis. Namque mensurae ea vere, et proprie subiiciuntur, quorum *esse* aliquo modo determinatur; mensura enim, ut s. Augustini verbis utamur, « omni rei mo-
« dum praefigit[3] ». Sed esse Dei, quippe quod infinitum est, omnem modum excedit. Deus igitur vere, et proprie mensurabilis non est. Hocce argumentum, praeter alia, quae hic praeterimus, s. Thomas exposuit his verbis: « Vnde dico,

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, q. III, a. 1 *sol.*
[2]) *Ibid.*, Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 1.
[3]) *De Gen. ad lit.*, lib. IV, c. 3, n. 7.

« quod divina magnitudo nullo modo est mensurabilis, « vel mensurata nec ab alio, nec a se. Primo, quia « mensuratio ponit terminationem, et divina magnitudo « non habet terminum intra, nec extra; et ideo infinita « dicitur. . . per negationem termini [1] ». At, si Deus non est vere, et proprie mensurabilis, est vere, et proprie mensura omnium. Nam, quoniam τὸ *esse* divinum est fons omnium perfectionum, quae in rebus sunt, et res ex diversis modis, quibus perfectio ipsarum considerari potest, mensuram in se admittunt, consequitur cunctas res ad Deum referri, tanquam mensuratum ad mensuram, proindeque τὸ *esse* divinum esse omnium rerum mensuram. Apposite idem Aquinas: « . . . sicut omnis « motus reducitur ad movens, quod non est motum ne- « que a se, neque ab alio; ita omnis mensuratio reduci- « tur ad unum primum, quod nullo modo est mensura- « tum, sed est omnium mensura; et hoc Deus est [2] ». Quamobrem, sicut unitas dicitur mensura numeri, quia est principium quantitatis discretae; ita Deus mensura omnium rerum vocatur, quia quidquid perfectionis in rebus est, sive sit substantia, sive accidens, Deum tanquam principium, et causam agnoscit. « Vnitate, ait, « non mensurantur nisi numeri, sed Deus est mensura « non tantum substantialium perfectionum, sed omnium, « quae sunt in omnibus generibus, sicut sapientiae, vir- « tutis et huiusmodi [3] ».

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. cit., q. I, a. 1 ad 4. Hinc idem Aquinas advertit nos dicere Deum aeternum (idem dicere posses de aliis attributis, quae ad quantitatem virtualem pertinent), non quia aeternitate proprie mensuretur, est enim ipsa aeternitas, sed quia Eum non aliter aeternum intelligere possumus, quam quod aeternitate mensurari intelligamus. « Dicendum, ait, quod ae- « ternitas non est aliud, quam ipse Deus. Vnde non dicitur Deus « aeternus, quasi sit aliquo modo mensuratus; sed accipitur ibi « ratio mensurae secundum apprehensionem nostram »; I, q. X, a. 2 ad 3.

[2]) *In lib. I Sent.*, loc. cit.

[3]) *Ibid.*, Dist. VIII, q. IV, a. 2 ad 3.

ARTICVLVS DECIMVS SECVNDVS

De categoria relationis

Postquam de categoria quantitatis dictum est, ordo huius logicae tractationis expostulat, ut ad categoriam relationis, τοῦ πρός τι, explicandam illico progrediamur. Qua in methodo Aristotelem quoque ducem sequimur; hic enim in *Organo*[1] qualitati non solum quantitatem, uti vidimus, sed etiam relationem anteposuit, licet in *Metaph.*[2] de ralatione post qualitatem tractasset. Verum, falsus Archytas, teste Simplicio[3], relationi quartum locum in ordine categoriarum dedit, illa ratione permotus, quod quaelibet res prius secundum se, sive *absolute*, dein, prout ad aliud refertur, seu *relate* consideranda est. Stoici in eadem fuisse sententia videntur; si quidem, uti ex Plotino[4], et Simplicio[5] didicimus, quartam categoriam, quae, eorum iudicio, ultima est, ea, quae aliquo modo ad aliquid se habent, πρός τί πως ἔχοντα, complecti docuerunt. At graeci, latinique Interpretes *Organi* aristotelei nihil ponderis rationi, quam Archytas adduxit, inesse vehementer pugnarunt. Nam, cum de investiganda veritate agitur, non ab eo, quod prius natura est, sed ab eo, quod nobis prius innotescit, quodque cum ad praecedentium, tum ad subsequentium faciliorem intelligentiam confert, progrediendum est. Sed relatio prius, quam qualitas, ceteraque accidentia categorica, nobis innotescit, quippe quod in tractatione de quantitate parvum et magnum, multa et pauca, aliaque eiusmodi, quae species quaedam quantitatis sunt, nobis occurrunt; itemque, tum ad ipsam quantitatem, per quam nobis in primis innotescit, ut

---

[1]) *De categ.* c. 7. — [2]) Lib. IV, c. 15, ed. cit.
[3]) *Op. cit.*, c. 7. — [4]) *Enn.* VI, lib. I, c. 25, ed. cit.
[5]) *Op. cit.* ibid.

ex dictis patet, tum ad qualitatem, reliquasque categorias plane intelligendas, uti alias videbimus, valde utilia sunt. De relatione igitur prius, quam de qualitate, agendum nobis est.

Bonghius [1], Trendelenburgium [2], quo duce in explicatione categoriarum aristotelicarum saepe utitur, secutus, censuit nullam causam assignari posse, ob quam Aristoteles in *Organo* elrationem tertio loco posuit, causamque a graecis Interpretibus adductam irridet, propterea quod, cum notio relationis non solum in quantitate, sed etiam in qualitate inveniatur, nihil causae est, cur inter quantitatem et qualitatem, et non ante ipsam quantitatem locus ei detur. Verum, ille in hoc, aliisque permultis locis praepostera eruditione hodiernorum Germanorum, quorum scrinia plerumque compilat, deceptus, in veteribus Interpretibus, nec non in Scholasticis id, quod non intelligit, incredibili iactantia respuit, et confutat. Et sane, Porphyrius, quem ipse nominat, aliique quamplurimi, quos praeterit, minime negarunt relationem, secundum Stagiritam, in qualitate inveniri, sed illud dumtaxat sibi voluere, notionem relationis, Stagiritae iudicio, nobis prius in quantitate, quam in qualitate, reliquisque categoriis occurrere, ideoque, antequam ad qualitatis, ceterorumque accidentium explicationem progressio fiat, de relatione agendum esse.

Nobis ratio, quae a Scholasticis post Porphyrium, Simplicium, aliosque veteres ad tertium locum relationi vindicandum allata fuit, maxime probatur. Quamobrem ordini, quem Aristoteles in tractatu *de Categoriis* tenuit, insistentes, de relatione ante qualitatem agemus. Nec quemquam movere debet, quod idem Stagirita in *Metaph.* IV qualitatem relationi anteposuit; si quidem ipse in *Organo*, in quo categorias *logice* consideravit, ordinem cognitionis, et in *Metaph.*, in qua categorias ontologice

---

[1]) *Op. cit.*, lib. V, c. 15, p. 293, not. (1).
[2]) *Categ.*, etc. p. 118, ed. cit.

consideravit, ordinem naturae sectatus est. Haec non parvi momenti observatio Waitzium quoque effugit. Hic enim anxie haud inquirendum esse dixit, cur categoria relationis modo tertium, modo quartum locum apud Aristotelem occupet, quia Aristoteles easdem res non semper eodem ordine enumerat, et quandoque res diverso ordine enumerat, quam quo de illis agit [1].

In huius autem categoriae tractatione diligenter versemur oportet; nam penita cognitio relationis et ad divinarum, humanarumque scientiarum comparationem magnum momentum habet, et multis, iisque fere inextricabilibus difficultatibus obsita, implicataque est. Et primum, cognitionem relationis ad scientiarum humanarum adeptionem admodum necessarium esse facile tibi persuadebis, sive res ipsas, quae obiectum scientiae sunt, sive modum, quo intellectus humanus scientiam rerum assequitur, contemplatus fueris. Si enim res, quae obiectum humanae scientiae sunt, consideraveris, cum hae omnes inter se aptae, colligataeque sint, haud possibile est nos earum scientia potiri sine notitia relationis, per quam inter se nectuntur, et colligantur. Sin modum, quo intellectus scientiam adquirit, spectaveris, nemo inficias it nos tum res vere scire, cum causas, quibus res gignuntur, cognoscimus. Atqui ab effectu ad causam, atque a causa ad effectum, nonnisi perspecta vi relationis, progredi nobis licet. Ergo haud possibile est nos ullam scientiam assequi, nisi notio relationis comperta nobis sit. Idem de scientiis divinis dicendum est. Namque sine penita doctrinae relationum cognitione disserere nobis haud licet nec de profundissimo Trinitatis Mysterio, quia hoc totum in divinis relationibus fundatur, nec de attributis, quae Deo tum Creatori, tum Gubernatori, tum Redemptori conveniunt, quia ipsa Deo conveniunt, quatenus res creatae ad eum referuntur. Ambas partes assertionis comprobare in promptu est et ex historia phi-

---

[1]) *Comment. in Categ.*; *Op. cit.*, vol. I, p. 198.

losophiae, et ex historia theologiae revelatae. Enimvero, Aenesidemus [1] inter antiquos, et Humius [2] inter recentes, procul dubio omnium Scepticorum teterrimi, sese nullam validiorem machinam contra humanarum scientiarum aedificium posse admovere rati sunt, quam si vim obiectivam relationis impugnarent; hac enim sublata, omnem scientiam una tolli pervidebant. Omnibus vero compertum est Patres, et Theologos in relationis notione, et proprietatibus explicandis diligentissimam operam navasse, cum persuasum eis esset non posse sine perfecta eius cognitione arma retundi, quibus haeretici dogmata ad Trinitatem pertinentia aggrediebantur.

At, si cognitio categoriae relationis magni momenti est, ea maximis, ut diximus, difficultatibus laborat. Id nos ipse Aristoteles monuit quippe qui in extremis verbis huius capitis edixit nihil σφοδῶς, vehementer, nempe sine ulla haesitatione quemquam de huiusmodi doctrinis asserere posse, nisi postquam in eis diu, multumque versatus fuerit, plurimumque ad verum assequendum prodesse ventilationem eorum, quae obiici possunt [3]. Doctores Scholae difficultatis causam in ipsa natura relationis latere arbitrati sunt. Eorum argumentatio huc redit: Quandoquidem intellectus noster, ut saepe innuimus, quidquid intelligit, sub ratione entis intelligit, profecto eo maiorem difficultatem ipse in rebus intelligendis invenire debet, quo minus participes τοῦ *esse* res sunt [4]. Nam, si intellectus res sub ratione entis intelligit, consequens est, quo minus participes τοῦ *esse* res sunt,

---

[1]) Vid. Sext. Emp., *Advers. Log.*, lib. II, sect. 453, 454, et 455-463; *Advers. Phys.*, lib. I, sect. 207, et 208.

[2]) *Essais sur l'entendement humain*, Ess. III, *Oeuvr. phil.*, trad. de l'angl. t. I, Londres 1788.

[3]) P. 103, v. 21-24, ed. Waitz.

[4]) « Quaedam, s. Thomas ait, sunt procul a notitia nostra .... « quia ab esse deficiunt »; *Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. XII, a. 2 c. Cf *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, q. II, a. 5 ad 4.

eo maiori attentione ei opus esse, ut ipsas intelligat. Atqui res eo maiorem difficultatem intellectui facessunt, quo maiorem attentionem ad ipsas intelligendas ei opus est, quippe quod intellectus, ut suo loco dicemus, a sensibus quodammodo pendet. Ergo, quo minus participes τοῦ *esse* res sunt, eo maiorem difficultatem in illis intelligendis intellectus invenire debet. Iamvero, τὸ *esse* relationis, quemadmodum paulo inferius ostendemus, est *imperfectissimum* [1], et *debilius* [2], quam τὸ *esse* reliquarum categoriarum, quia τὸ *esse* relationis non solum, uti reliqua accidentia categorica, ab *esse* substantiae, sed etiam, secus ac illa, ab *esse* eius, ad quod substantia per ipsam refertur, pendet. Necesse igitur est, ut intellectus in notione, proprietatibusque relationis investigandis non parum difficultatis nanciscatur. Quae cum ita se habeant, breviter quidem, sed qua maiori fieri potest diligentia, huius categoriae explicationem aggrediamur.

Multa sunt, quae de natura et proprietatibus relationis a Philosophis quaeruntur, diversaeque sunt solutiones quaesitorum, quae apud illos leguntur. Nos, ceteris omnibus in praesentia omissis, tria, quae ad relationem, prout specialis categoria est, intelligendam expostulantur, dumtaxat inquiremus. Ea sunt 1° quid sit relatio, et quot sint eius species; 2° num relatio sit specialis categoria, et quonam modo considerata in numerum categoriarum veniat; 3° Quae sint praecipuae proprietates relationis, prout categoria est.

Prioris quaestionis solutio ad categoriae relationis cognitionem magni momenti est. Nam, cum relatio, prout est categoria, ut mox dicemus, sit quaedam species relationis, consequitur, nos non posse notionem eius nobis comparare, nisi notiones generis, et differentiae,

---

[1]) S. Thom., *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14.

[2]) Vid. Albertum M., *Op. cit.*, tract. IV, c. 1; s. Thomam, *Qq. dispp.*, *De Pot. Dei*, q. VII, a. 9 c.; Gandavensem, *Op. cit.*, art. LV, n. 12, ed. cit.

ex quibus ipsa constituitur, perspectas habeamus. Quamobrem relationem generice sumtam in antecessum consideremus necesse est.

Relatio in universum accepta illud proprie denotat, per quod aliquid quemdam ordinem, sive ut Scholastici post Graecos dicere malunt, *habitudinem*, σχέσιν, ad aliud habet. Vnde cum s. Thoma dici potest, quod relatio in universum considerata « non est aliud, quam ordo unius « creaturae ad aliam [1] »; vel cum s. Bonaventura, quod « relatio dicit ordinem, et habitudinem [2] ». Itaque tota essentia, sive, ut logica voce utamur, notio relationis in ordine, seu habitudine unius ad alterum consistit. « Proprie « relationis ratio, inquit s. Thomas, in eo consistit quod « est ad alterum [3] ». Ex hac definitione in primis patet relationis, quaecumque ea sit, notione plures includi terminos, eosque ab se distinctos, sive *re*, πράγματι, sive *ratione*, τῷ λογῳ καὶ ἐποίνιᾳ. Etenim, cum relatio ordinem denotet [4], procul dubio eius notio duas notiones necessario continet [5]; scilicet unam rei, quae ad aliam ordinem habet, alteram rei, ad quam ordinem habet. Hinc apposite Albertus M. secundum Platonem « semper in- « quit, in diversitate et pluralitate eorum, quae ad in- « vicem ad convertentiam dicuntur, consistit relatio [6] ». Secundo, perspicitur notione relationis includi actum rationis unum ad alterum referentis. Nam, cuiuscumque naturae sint termini, inter quos relatio intercedit, relatio

---

[1]) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 9 ad 7.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, a. 1, q. I *ad arg.* Audi sanctum Damascenum « Scire autem operae pretium est, cum quidquam « secundum se consideratur, non esse ad aliquid (πρός τι); cum « autem ad alterum habet habitudinem (σχέσιν πρὸς ἕτερον), tum « demum ad aliquid dici »; *Dialect.*, c. L. Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. VII, c. 1.

[3]) *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14.

[4]) « Nomen ordinis, s. Thomas ait, significat ipsam relatio- « nem »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 1 *sol.* 2 ad 4.

[5]) « Dicendum, idem Doctor inquit, quod ordo absque distin- « ctione non est »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. X, a. 3 c.

[6]) *Op. cit.*, tract. IV c.

in illis nonnisi *potentia*, sive *aptitudine* est, quatenus termini ita comparantur, ut intellectus illos ad se invicem referre queat; verum relatio *actu* in intellectu est, si quidem intellectus unum ordinem ad alterum habere cognoscens unum ad alterum refert. Hinc idem Albertus: « . . . per « comparationem dupliciter est considerare secundum « aptitudinem, et secundum actum. Secundum aptitu- « dinem quidem est in rebus. Secundum actum autem « comparatio est in ratione, vel anima comparantis: et « actus ille non facit, quod non secundum aptitudinem « sit in rebus comparatis; et ideo secundum aptitudinem « est in rebus: secundum perfectionem autem est in « ratione [1] ».

At, quamvis relatio *actu* sit in intellectu, et *potentia* dumtaxat in terminis, tamen natura relationis non a natura actionis intellectricis, sed a natura terminorum, qui obiectum sunt actionis intellectricis, pensanda est. Et sane, natura cuiusque actionis intellectricis, quemadmodum alias videbimus, non ab ipsa actione, sed a natura obiecti, circa quod versatur, pendet. Atqui obiectum intellectus unum terminum ad alterum referentis est τὸ *esse* terminorum. Ergo natura actionis intellectricis unum terminum ad alterum referentis a natura, seu ab *esse* terminorum pensanda est. « Dicendum, s. Tho- « mas subdit, quod respectus relationis dependet ex ter- « mino, ad quem aliquid refertur [2] ».

Inde facile intelligis diversas esse oportere relationis species, si τὸ *esse* terminorum, inter quos relatio intercedit, diversum esse potest [3]. Iam, diversum re ipsa esse potest τὸ *esse* terminorum, inter quos relatio intercedit, propterea quod non solum res naturae, sed etiam conceptiones mentis eiusmodi sunt, ut una ad alteram ab intellectu referri possit. Ita, quod ad res naturae attinet,

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.—[2]) *Quodl.* IX, a. 4 ad 2.

[3]) « Cum relatio, s. Thomas ait, dicatur secundum respectum « ad alterum, differentiae rationis erunt secundum quod est ad « diversa »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVII, q. I, a. 1 *sol.*

pater, et filius, ob generationem, eiusmodi ordinem inter se habent, ut intellectus filium ad patrem; et vicissim referre queat, immo cogatur, et quod ad conceptus, intellectus idem cum seipso ita comparare potest, ut idem esse idem cum seipso intelligat.

Quandoquidem τὸ *esse* rerum, quae in natura sunt, est *reale*, et τὸ *esse* conceptum est *logicum*, sive *ens rationis*, inde patescit τὸ *esse* terminorum, quod est obiectum relationis, esse posse aut *reale*, aut *logicum*; reale, si aliquid ad aliud refertur, uti s. Bonaventura scribit, *secundum rationem existendi*, logicum vero, si *secundum rationem intelligendi* [1]. Hinc relatio in primis a Scholasticis in *realem*, et *logicam* sapienter divisa fuit. Vtramque relationem s. Thomas definivit hunc in modum: « Relatio realis consistit in ordine rei ad rem . . . Relatio rationis consistit in ordine intellectuum [2] ». Has definitiones vero multis in locis fuse exposuit, ex quibus unum, eumque brevem afferre nobis lubet. Qui eiusmodi est: « Ea vero, quae dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, utpote quando aliquae res secundum suam naturam ad invicem ordinatae sunt, et invicem inclinationem habent. Et huiusmodi relationes oportet esse reales; sicut in corpore gravi est inclinatio; et ordo ad locum medium. . . . Aliquando vero respectus significatus per ea, quae dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri: et tunc est relatio rationis tantum; sicut cum comparat ratio hominem animali, ut speciem ad genus [3] ».

Haec prima, et praecipua divisio relationis, uti ex dicendis patescet, ad multa cum philosophiae, tum theologiae revelatae dogmata intelligenda, nedum utilis, o-

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXVIII, dub. 3.
[2]) *Qq. dispp., de Pot.*, q. VII, a. 11 c.
[3]) I, q. XXVIII, a. 1 c. Cf eiusdem, *Comp. theol.*, c. 53, et alibi; Albert. M., *Op. cit.*, ibid. c.; s. Bonavent. *In lib. I Sent.*, loc. cit.

minino necessaria est; quapropter in ea, quantum satis est, declaranda immoremur oportet. Atque a relatione reali initium sumentes, principio advertimus ipsam duo necessario expostulare, scilicet ut termini, inter quos intercedit, sint reales, et ut ad se invicem per aliquod *principium* reale referantur. Primum quidem, quia, cum natura relationis, ut modo diximus, ex natura terminorum, inter quos intercedit, pendeat, manifestum est relationem non posse dici realem, nisi eius termini sint res, quae in natura sunt [1]. Alterum vero, quia, si alteruter terminus ad alium non per aliquid, quod re vera in eo est, sed ex sola consideratione intellectus referretur, ordo inter eos omnino realis non foret, proindeque relatio, quae inter eos intercederet, realis proprie dici non posset. E. g. relatio, quae inter scientiam, et rem, quae est obiectum eius, intercedit, uti mox videbimus, realis proprie dici nequit, quia nihil in re scita est, per quod ipsa ad scientiam refertur, sed intellectus ipsam ad scientiam refert. « Ad hoc, apposite s. Thomas scribit, quod aliqua « habeant ordinem, oportet, quod utrumque sit ens, et « utrumque distinctum, quia eiusdem ad seipsum non « est ordo, et utrumque ordinabile ad aliud [2] ». Porro omnis relatio realis, ut sapienter a Scholasticis observatum fuit, est *mutua*. Namque in iis, inter quae relatio realis intercedit, ordo ex utroque extremo reciprocus est; atqui relatio in ordine re vera consistit : ergo relatio realis in utroque extremo est, ideoque est mutua. Ita, ut id aliquo exemplo declaremus, mutua est relatio rea-

---

[1]) « Relatio realis, s. Thomas inquit, exigit utrumque extre« morum in actu »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.* Cf *ibid.*, Dist. XXX, q. I, a. 1 *sol.*, et I, q. XXVIII, a. 1 c., cuius verba exscripsimus pag. praecedenti.

[2]) *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 11 c.; cf *In lib. I Sent.*, Dist. II, *Expos. text.* ad 2. Hoc quoque s. Bonaventura docuit luculentis hisce verbis: « Relatio non praedicat quid absolutum, sed « praedicat ordinem ad alterum, ordo autem respicit dispositio« nem ordinatorum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, dub. 3.

lis, quae inter patrem, et filium, uti diximus, intercedit, quia pater ad filium, et filius ad patrem ordinem habet. Praeterea, non solum omnis relatio realis est mutua, sed etiam non alia relatio est mutua, nisi realis. Id s. Thomas ex eo probavit, quod in relatione mutua ordo ex utroque extremo reciprocus esse debet; ordo reciprocus autem non aliis in rebus invenitur, nisi inter quas relatio realis intercedit. « Cum relatio realis, inquit, « consistat in ordine unius rei ad rem aliam, in illis tan« tum mutua realis ratio invenitur, in quibus ex utraque « parte est eadem relatio ordinis unius ad alterum [1] ».

Praeterea, quoniam termini relationis realis semper sunt res, quae in natura sunt, inde, uti s. Thomas advertit, fluit diversum esse ordinem, qui inter terminos relationis realis intercedit, prout diversum est principium, ex quo ille ordo efficitur [2]. Atqui relationes pro diversitate ordinis, qui inter ipsarum terminos intercedit, diversae sint oportet, quia essentia relationis in ordine ad aliud consistit. Tot igitur, ut idem Aquinas

---

[1]) *Ibid.*, a. 10 c. S. Bonaventura relationes mutuam et non mutuam significavit hoc modo: « Dicendum, quod quaedam sunt re« lativa secundum esse ex parte utriusque extremi, ut dominus, « et servus in creatura, quaedam ex parte alterius, ut scibile, et « scientia, et mensuratio, et mensura »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, a. 1, q. 3 *ad arg.* Advertito nos hic loqui de relatione reali stricte sumta. Nam s. Thomas interdum realem dixit illam relationem, cuius termini quidem sunt reales, sed in alterutro tantum est aliquid reale, per quod ad alterum refertur. Vnde quandoque relationem realem in *mutuam*, et *non mutuam* divisit (*Qq. dispp.*, *De Pot. Dei*, q. III, a. 3 c.; *ibid.* q. VII, a. 10 c.; I, q. XXVIII, a. 1 c., et alibi). Verum, quoniam haec relatio realis non mutua, uti inferius dicemus, ab eodem s. Thoma, aliisque Scholasticis plerumque inter diversos modos relationis logicae numerata fuit, ideo solam relationem realem esse mutuam in universum statuimus.

[2]) « . . . quia relatio non habet esse naturale, nisi ex eo, quod « habet fundamentum in re. . . et ex hoc collocatur in genere. . . « inde est, quod secundum ordinem eorum, in quibus fundantur « relationes, est etiam ordo relationum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 2 ad 4.

monuit, relationes reales sunt distinguendae, quot diversa sunt principia, ex quibus ordo inter terminos relationis enasci potest [1]. Scholastici principium, ex quo ordo inter terminos relationis oritur, *fundamentum* relationis vocarunt, atque hoc esse dixere id, quod in causa est, cur unum ad alterum referatur.

Iamvero, unum, quemadmodum s. Bonaventura observavit, ad aliud ex tribus potissimis principiis referri potest. Primo, propter aliquam proprietatem essentialem, nempe, si unum ad aliud eiusmodi ordinem habet, ut cum eo aliquod genus, vel speciem constituat. Hoc modo materia ad formam refertur; haec enim materia, e. g., est corpus humanum, non vero belluinum, quia principium, ex quo vitam habet, est forma, sive essentia humana, non vero belluina. Secundo, propter principium causalitatis, nimirum, cum unum ad aliud, tamquam causa ad effectum, vel vicissim, tanquam effectus ad causam, ordinem habet. Ita pater, et filius ad se invicem referuntur, quia pater est causa filii, et filius est effectus patris. Tertio, propter aliquam proprietatem accidentalem, scilicet cum id, per quod unum ad aliud ordinem habet, est extra essentiam eius. Hoc pacto, duo parietes albi ob similitudinem albedinis, quae eorum accidens est, ad se invicem referuntur. En verba Seraphici Doctoris, quae modo explicuimus: « Realis autem relatio triplex est. Ali« quando enim fundatur super proprietatem accidenta« lem, ut similitudo in duplici albedine. Aliquando su« per dependentiam essentialem, sicut respectus, vel re« latio materiae ad formam; nam, sicut dicit Philoso« phus, materia hoc ipsum, quod est, ad alterum est. « Aliquando super originem naturalem, sicut effectus « ad causam, et filii ad patrem [2] ». Hanc doctrinam Doctoris Seraphici veritati adprime consentaneam esse quis-

[1]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XXVII, q. I, a. 1, *sol.* 1 ad 3.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, a. 1, q. 3 *resol.* Vid. eumdem Doctorem *in lib. II Sent.*, Dist. I, p. 1, a. 3, q. 2 *resol.*, et s. Thomam *in lib. V Met.*, lect. 17.

quis haud difficulter intelliget, si mente recoluerit aliqua duo ordinem ad se invicem habere posse vel secundum aliquid, quod ad essentiam pertinet, vel secundum aliquid, quod essentiae iam constitutae addi intelligitur, vel secundum *esse*, per quod essentia *actu* est. Nam, si primum, ordinem ad se habent secundum aliquam proprietatem essentialem; sin alterum, secundum aliquam proprietatem accidentalem; sin ultimum, secundum principium causalitatis, quia effectus a causa τὸ *esse* habet. Ergo non plura, nec alia principia, quam tria a s. Bonaventura exposita, sunt ea, ex quibus relatio realis effici potest.

Duo de relatione reali digna sunt, quae hic notentur. Primum illud est, quod ex s. Augustino didicimus, nimirum quandoque respectum relationis esse in utroque termino eiusdem rationis, ob idque relationem unico nomine in utroque significari, quandoque autem esse diversae rationis, ideoque duo diversa nomina ad relationem significandam adhiberi. Primi generis est relatio *similitudinis*, quae inter duo alba intercedit, quia idem est respectus albedinis in ambobus; unde ambo eodem nomine alba dicuntur. Alterius est relatio, quae intercedit inter patrem, et filium, quia alius est respectus relationis, ob quem filius ad patrem, alius autem, quo pater ad filium refertur; ex quo fit, ut eadem relatio in patre *paternitas*, et in filio *filiatio* dicatur. Hocce discrimen aptioribus verbis, quam quae s. Augustinus adhibuit, explicari non posse arbitramur: quocirca eius locum sine ulla commentatione afferemus. « Quae « (*relativa*), sanctus Doctor ait, aliquando eadem sunt, « aliquando diversa. Eadem scilicet, cum frater ad fratrem, « amicus ad amicum, vicinus ad vicinum, cognatus ad « cognatum: et si qua similia, quae infinitum est velle « percurrere. In his enim quod est ista ad illum, hoc « est ille ad istum. Diversa sunt autem, sicut pater ad « filium, filius ad patrem, socer ad generum, gener ad « socerum, dominus ad servum, servus ad dominum.

« Non est quidem hoc iste ad illum, quod ille ad istum, « sed ambo tamen homines sunt, relatio diversa est, « non natura. Quoniam, si attendas quid sit alter ad « alterum, non est hoc ad illum iste, quod ad istum « ille, quia iste pater, ille filius, aut iste socer, ille ge- « ner, aut iste dominus, ille servus. Si autem attendas « quid quisque sit ad seipsum, vel in seipso, hoc est « ille, quod iste, quia ille homo est, sicut iste[1] ».

Alterum est, quod a s. Bonaventura, et s. Thoma saepe inculcatum fuit, scilicet multiplicationem specificam relationum a diversitate fundamentorum, quae causae ipsarum sunt, et numericam a numero subiectorum, in quibus sunt, sed neutram a multiplicatione terminorum esse repetendam. Primo, cum ratio, seu natura specifica relationis in ordine ad aliud consistat, consequitur, multiplicatis fundamentis, quorum gratia unum ad aliud refertur, relationes specie differentes in subiecto multiplicari. E. g. si quis sit pater, et dominus, paternitas, et dominium sunt in eo duae relationes specie differentes, quia fundamenta, seu causae, ex quibus ipsae oriuntur, specie differunt[2]. Secundo, si plura subiecta, ob idem fundamentum, ad aliud referuntur, relatio in ipsis specie est una ob unitatem fundamenti, ex quo oritur, sed numero est multiplex, quia subiecta, in quibus est, numero distinguuntur. Puta, si quis pater

---

[1]) *Epist.* CLXX, n. 6. A Scholasticis prior relatio dicta est *aequiparantiae*, posterior autem *disquiparantiae*. Prioris nomen occurrit apud s. Bonaventuram: « Prout dicunt convenientiam... « sunt relativa aequiparantiae »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXI, part. 1, a. 1, q. 3 *ad arg.* Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 8 ad 4.

[2]) « Vnitas relationis, s. Thomas ait, vel eius pluralitas non at- « tenditur secundum terminos, sed secundum causam vel subie- « ctum »; 3, q. XXXV, a. 5 c. Et s. Bonaventura: « Numerus « relationum secundum differentiam formalem, sive specificam, « causatur a principio, a quo est. . . Plurificatio autem relationis « secundum numerum non venit principaliter ratione eius, a « quo est, nec ratione eius ad quem, sed ratione subiecti eius, in « quo »; *In lib. III Sent.*, Dist. VIII, a. 11, q. 2 *resol.*

plures filios habet, unica est specie relatio, nempe filiatio, in cunctis filiis, quia unica est causa, nempe nativitas, per quam ad patrem referuntur, sed plures numero in ipsis sunt relationes, quia filii plures numero sunt. Tertio, si unum ad plura ob unum, idemque fundamentum refertur, relatio in eo una est specie, et numero; licet termini sint plures; specie, quia fundamentum eius est unum; numero, quia unum est subiectum, in quo est. Ita unica est in patre relatio specie, et numero, nempe paternitas, ex qua pater ad plures filios refertur, quia unicum est principium eius, et unicum quoque est subiectum; itemque unica est relatio, ob quam filius ad patrem, et ad matrem refertur, quippe quod non solum filius est unicum subiectum, sed unicum quoque est fundamentum, nempe nativitas, cuius gratia ordinem ad utrumque habet [1].

Explicata relatione reali, ad logicam gradum faciamus. Haec, quemadmodum s. Thomas advertit, quatuor diversos modos habere potest. Primus est, cum unus terminus relationis habet fundamentum in re, alter vero tantum in intellectu, qui in hoc secundo ordinem quemdam ad primum ponit. Huiusmodi est, e. g. relatio, quae inter *scientiam*, et *scibile* intercedit. Etenim ipsa in subiecto, quod scientiam assequitur, reale fundamentum habet, quia subiectum per adeptionem scientiae novum modum essendi assequitur; in re autem, quae scitur, sive in *scibili* non habet reale fundamentum, quia res, ex eo quod intellectus illam scit, non obtinet novum modum essendi, sed scientia in re est

---

[1]) Totam hanc doctrinam copiose expositam, et exemplis, quae adduximus, illustratam videre licet apud s. Thomam, I, q. XXXII, a. 2 c.; 3, q. XXXV, a. 5 c.; *Quodlib.* IX, a. 4 c.; *In lib. III Sent.*, Dist. XXI, q. I, a. 1 *sol.* 2 ad 5; *in lib. IV Sent.*, Dist. XXVII, q. I, a. 1, *sol.* 1 ad 3; et apud s. Bonaventuram, *In lib. III Sent.*, Dist. VIII, a. II, q. 2 *resol.*, et *ad arg.* Quanto usui autem ad mysterium SS. Trinitatis, aliaque theologiae catholicae capita exponenda, et tuenda sit, si quis ignoret, eosdem Doctores, aliosque, quos praeterivimus, consulat.

per intellectum, quia intellectus intelligens aliquam rem esse obiectum scientiae, ipsam ad scientiam refert, et tanquam *scibilem* considerat [1]. Id genus, ne de cunctis dicamus, est relatio creationis, quae inter Deum, et res ab Eo creatas intercedit. Nam, cum per actum creationis res creatae, quidquid sunt, a Deo accipiant, Deus vero ab eis nullo modo perficiatur, relatio creationis in rebus creatis invenitur realiter, in Deo autem tantum secundum rationem [2].

Secundus modus est, cum duo termini, inter quos relatio intercedit, sunt re unus, idemque terminus, sed hic unus terminus duobus distinctis intellectus actibus apprehenditur. Quod ut plane intelligatur, duo hic adnotanda sunt, quae ex dicendis in *Dynamilogia* patescent, scilicet 1° intellectum id, quod unum est, pluries posse *actu* intelligere, quia vim suam intellectricem in ipsum pluries intendere potest; 2° cum intellectus unum, idemque pluribus distinctis actibus intelligit, illud, quod unum in re est, multiplex ratione fieri, quia, etsi obiectum sit unum, tamen plures sunt

---

[1] « Omnis enim relatio, sanctus Doctor ait, quae consequitur « propriam operationem alicuius rei, aut potentiam, aut quan- « titatem, aut aliquid huiusmodi, realiter in eo existit: aliter « enim esset in eo solo intellectu, sicut apparet de scientia, et sci- « bili: relatio enim scientiae ad scibile consequitur actionem « scientis, non autem actionem scibilis; scibile enim eodem mo- « do se habet, quantum in se est, et quando intelligitur, et « quando non intelligitur; et ideo relatio in sciente realiter est, « in scibili autem secundum intellectum tantum; dicitur enim « quod intelligitur scibile ad scientiam relative, ex eo quod « scientia refertur ad ipsum »; *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14; cf I, q. XIII, a. 7 c. et *Qq. dispp.*, *De Pot. Dei*, q. VII, a. 10 c.

[2] « Nam, idem Aquinas ait, in omnibus, quae secundum re « spectum ad invicem referuntur, quorum unum ab altero de- « pendet, et non e converso, in eo, quod ab altero dependet, rela- « tio realiter invenitur: in altero vero secundum rationem tan- « tum, sicut patet in scientia et scibili, ut dicit Philos. *in V Met.* « Creatio autem secundum nomen refertur ad Creatorem. De- « pendet autem creatura a Creatore, et non e converso; unde o- « portet quod relatio, qua creatura ad Creatorem refertur, sit « realis: sed in Deo est relatio secundum rationem tantum »; *Qq dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 3 c.

actus rationis, quibus apprehenditur. Atqui, si intellectus id, quod est re unum, tanquam multiplex, puta duo, intelligere quit, quendam ordinem unius, eiusdemque ad seipsum, proindeque unum, idemque ad seipsum relatum intelligere potest. « Secundum quod ratio, s. Tho- « mas inquit, apprehendit bis aliquod unum, statuit illud, « ut duo: et sic apprehendit quandam habitudinem « ipsius ad seipsum [1] ». Dari igitur potest relatio, cuius unus, idemque re est terminus, sed hic unus ab intellectu duobus distinctis actibus apprehenditur. Iam perspicuum est huiusmodi relationem esse merum opus intellectus, ob idque omnino logicam. Nam omnis relatio, ut modo diximus, diversitatem terminorum expostulat. Atqui diversitas terminorum in relatione, cuius unus re est terminus, sed hic duobus actibus apprehenditur, non est re vera in ipsis terminis, quemadmodum in terminis realis relationis, sed efficitur ab intellectu, qui ipsam apprehendit; si quidem, uti ad hanc rem Durandus scite observavit, cum intellectus duo, quae re ipsa unum sunt, inter se componit, eorum diversitatem non apprehendit tantum, sed etiam efficit [2]. Ergo relatio, cuius unus, idemque re est terminus, sed hic duobus distinctis actibus ab intellectu apprehenditur, est omnino logica. Hinc s. Thomas de relatione *identitatis* loquens, « Manife-

---

[1]) I, q. XIII, a. 7 c. Hinc scite Durandus haec habet: « . . . in re- « lativis identitatis aliquid unum secundum rem accipitur ut plu- « ra secundum rationem, quia omnis relatio requirit duo extre- « ma »; *Sum. theol.*, lib. I, Dist. 2, q. II, a. 3, n. 20, Lugduni 1622.

[2]) « Obiectum actus componentis, vel reflexi semper inclu- « dit duo diversa secundum rem, vel secundum rationem, dif- « ferenter tamen; quia quando sunt diversa secundum rem, ex « natura obiecti est talis diversitas; unde cum per intellectum « apprehenditur, non efficitur. Sed quando sunt diversa secun- « dum rationem tantum, ut cum apprehendimus intellectu com- « ponente, quod Deus est Deus, diversificantes, secundum ratio- « nem, unum et idem in loco subiecti et praedicati, tunc haec di- « versitas non solum apprehenditur, sed efficitur ab intellectu, « non ex sola apprehensione, sed ex modo apprehendentis »; *Op. cit.*, lib. I, Dist. I, q. 2, et 3, n. 20.

« stum, scribit, est, quod idem ad seipsum non refertur « aliqua relatione reali [1] ».

Tertius modus est, cum relatio inter ea intercedit, quorum uno τὸ *esse*, altero autem τὸ *non esse* significatur. Nam, cum τὸ *non esse* terminus relationis realis esse nequeat, liquet ipsum ad *esse*, cum quo comparatur, nonnisi *secundum rationem* ordinem habere posse; si quidem intellectus ex eo, quod intelligit *non esse* esse negationem τοῦ *esse*, illud ad istud refert. Atqui relatio, cuius unus terminus ad alium secundum rationem ordinem habet, est logica. Relatio igitur est logica, cum unus terminus denotat *esse*, alter autem *non esse*. Ita, ut exemplum ab eodem s. Thoma mutuemur [2], cum dicimus nos esse priores iis, qui futuri sunt, haec prioritas est relatio logica, quippe id, quod *actu* non est, terminus relationis realis esse non potest.

Quarto modo denique logica est relatio relationis, scilicet relatio, per quam unum terminum relationis ordinem ad alium habere intelligimus. Ad demonstrandum hanc relationem esse non posse realem duo argumenta ex s. Thoma, et s. Bonaventura nobis suppetunt. Primum ille ex eo petivit, quod ad aliud referri ad essentiam relationis pertinet; alterum hic ex eo, quod relatio non est *ens per se*, sive substantia, sed *ens entis*, sive accidens substantiae. Et sane, quod ad primum attinet, cum omnis relatio essentia sua ad aliud referatur, inde profecto efficitur, ut intellectus, unum ad aliud referri intelligens, relationem unius ad aliud simul intelligat. Atqui, si intellectus relationem unius ad aliud intelligit ex eo, quod unum ad aliud referri intelligit, evidens est illud, per quod unum ad aliud referri intelligit, nempe relationem relationis, non esse aliquid reale, sed logicum. Ergo relatio relationis, sive, ut eiusdem s. Thomae verbis utamur, « relationis respectus, quo ad alterum refertur [3] », non

---

1) I, q. XLII, a. 1 ad 4.
2) *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.*
3) *Ibid.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1 *sol.*

potest esse realis, sed tantum logica [1]. Quod vero spectat ad alterum, quandoquidem relationes sunt accidentia substantiae, eaeque in ipsa quemdam ordinem ad aliud ponunt, stricte, et proprie dicendum est relationes referre substantias, non vero seipsas ad aliud [2]. Iam, si relationes proprie non referuntur, sed referunt substantias ad aliud, consequitur relationem, per quam relationes referuntur, sive, relationem relationis non posse esse realem [3]. Quocirca relatio relationis aliud esse non potest, quam opus intellectus quemdam ordinem inter duas relationes puta paternitatem, et filiationem considerantis [4]. Nemo vero existimet hanc doctrinam de re-

---

[1]) En duo brevia loca sancti Doctoris: « . . . . relationes ipsae « non referuntur ad aliud per aliam relationem; sed per seipsas, « quia essentialiter relationes sunt »; *Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. VII, a. 9 ad 2; atque alibi: « Intellectus noster intelligendo ali- « quid referri ad alterum, eo intelligit relationem illius ad « ipsum »; *Cont. Gent.*, lib. II, c. 13, n. 2.

[2]) « Dicendum, inquit s. Bonaventura, quod sicut relativa re- « feruntur proprie, quae dicunt rem substratam cum respectu, « ipsae autem relationes, sive respectus non referuntur, imo ma- « gis alia referunt, quia non sunt entia, sed entium; sic dicen- « dum quod ipsae relationes per se non referuntur, sed cum sub- « stantiis, ita quod unum cum alio, et per aliud, ideo non est « ultra quaerere aliud, quo referuntur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, dub. 4.

[3]) « Apposite s. Thomas: « . . . relationes, quibus subiectum « refertur ad aliud, non referuntur ad subiectum aliqua alia re- « latione media, nec etiam ad oppositum, sicut paternitas neque « ad patrem, neque ad filium refertur aliqua alia relatione me- « dia, et, si aliquae relationes mediae dicantur, sunt rationis tan- « tum, et non rei »; *In lib. V Met.*, lect. 20; cf I, q. XLII, a. 1 ad 4.

[4]) En locum, in quo Aquinas hosce quatuor modos relationis logicae breviter explicuit: « Contingit quatuor modis . . . quod « sint relationes relationis, et non rei. Vno modo, quando relatio « non habet aliquid in rei natura, supra quod fundetur; et inde « est quod quandoque contingit quod relatio realiter est in uno, « et non in altero, quia in uno habet motum quemdam, supra « quem fundatur, quem non habet in alio; sicut est in omnibus « illis relationibus, quibus Deus ad creaturam refertur, quae « quidem realiter sunt in creaturis, et non in Deo. Secundo « modo, quando relatio non habet aliquam realem diversitatem

latione relationis esse omnino futilem, aut certe supervacaneam: si quidem ea, uti apud Doctores, quos laudavimus, videre licet [1], valde utilis, immo necessaria est ad obiectiones refellendas cum illorum, qui res creatas realem relationem ad Deum habere inficiati sunt, tum illorum, qui aequalitatem divinarum Personarum vel negarunt, vel esse relationem realem a relationibus personalibus distinctam contenderunt.

Si ea, quae de relatione reali, et de relatione logica, statuimus, secum conferantur, illud quoque cum s. Thoma dici potest, relationem, ex natura terminorum, inter quos intercedit, consideratam, tribus modis se habere. Praestat hosce modos exponere ipsis verbis sancti Doctoris, cum nulla his luculentiora nobis suppetant. « Quan- « doque enim, ipse ait, ex utraque parte est res rationis « tantum: quando scilicet ordo, vel habitudo non pot- « est esse inter aliqua, nisi secundum apprehensionem « rationis tantum, utpote cum dicimus: idem eidem « idem . . . . Quaedam vero relationes sunt quantum « ad utrumque extremum res naturae, quando scilicet « est habitudo inter aliqua duo secundum aliquid rea- « liter conveniens utrique . . . . Quandoque vero re- « latio in uno extremorum est res naturae, et in alte- « ro est res rationis tantum; et hoc contingit, quando- « cumque duo extrema non sunt unius ordinis, sicut « sensus, et scientia referuntur ad sensibile, et scibile;

« inter extrema, sicut relatio identitatis, et ideo hoc nihil ponit « secundum rem, sed solum secundum rationem, ut cum dicitur « idem eidem idem. Tertio modo, quando designatur relatio ali- « qua entis ad non ens, ut cum dicitur quod nos sumus priores « illis, qui secuti sunt, ista enim prioritas non est aliqua relatio « secundum rem, sed solum secundum rationem; quia relatio « realis exigit utrumque extremorum in actu. Quarto modo, « quando ponitur relatio relationis, ipsa enim relatio per seipsam « refertur, et non per aliam relationem. Vnde in creaturis pater- « nitas non coniungitur subiecto per aliquam relationem me- « diam »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.*; cf *Qq. dispp. De Pot.*, q. VII, a. 11 c. — [1]) *LL. citt.*

« quae quidem, in quantum sunt res quaedam in esse « naturali existentes, sunt extra ordinem esse sensibilis, « et intelligibilis [1] ». Harum trium relationum prima a recentis aetatis Scholasticis dicta est *logica*, secunda *realis*, tertia denique *mixta*, nempe partim logica, et partim realis. Monendum tamen est hanc postremam relationem a s. Thoma, aliisque Scholasticis modo dictam esse logicam, quia in alterutro termino ordo ad alium est logicus [2], modo autem realem non mutuam, quia unus terminus in ea ordinem ad alium re ipsa habet [3].

Quoniam relationes quandoque sunt reales, quandoque autem logicae, consequens est longe a rei veritate aberrasse cum illos Philosophos, qui omnem relationem logicam, tum illos, qui omnem relationem realem esse voluerunt. Priorem sententiam, uti Albertus M. advertit, fere omnes veteres Philosophi, in primisque Zeno Eleensis ante Platonem, et Aristotelem propugnarunt. Eorum argumentatio, prout ab eodem Alberto M., et a s. Thoma exposita est, huc redit: Relativum, sive, ut secundum graecos rectius dicitur, *ad aliquid*, πρός τι, non est accidens categoricum speciale, sed est aliquid cunctis categoriis commune, nempe, ut Alberti voce utamur, *immixtum* [4],

---

[1]) I, q. XIII, a. 7 c.

[2]) Vid. S. Thomam, *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.*

[3]) Vid. eumdem Doctorem, *Qq. dispp.*, *De Pot. Dei*, q. VII, a. 10 c.; *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, q. I, a. 3 ad 3; I, q. XXVIII, a. 1 ad 3. Incredibile videtur Petersen, virum alioquin eruditum, Aristoteli tribuisse hanc notionem relationis mutuae: « Relatio « enim est aut mutua, i. e. ab utraque parte eadem, ut in bono « et malo, nigro et albo, amaro et dulci, quorum utrumque si« mul in eodem substrato esse non potest » (*Op. cit.*, part. 1ª, c. 6, p. 131 ed. cit.). Discant inde iuvenes, quid de multis recentibus dicendum sit, qui Scholasticos aristotelicam philosophiam praeposteris suis interpretationibus corrupisse conquesti sunt.

[4]) « Ex his, Albertus scribit, et similibus rationibus moti fue« runt antiqui, et fere omnes praeter Platonem et Aristotelem, « qui dixerunt ad aliquid non esse genus, quod sit prima pars « accidentis, aut una ex primis: sed dixerunt ipsum ex habitibus « aliorum generum ad invicem per actum rationis unum ad al-

quippe quod relatio non existit in rebus, sed est ordo, quem intellectus inter conceptus rerum ponit. Intellectus enim, naturas rerum contemplans, ipsas quodam ordine inter se contineri intelligit. Atqui id, quod intellectus in rebus ponit, est *logicum*, non vero *reale*. Omnis relatio igitur est logica, non realis. S. Thomas horum Philosophorum sententiam exponens breviter, et egregie dixit, quod, eorum iudicio, « relatio non est aliquod unum genus en-« tium, nec est aliquid in rerum natura, sed est tantum « quidam respectus respersus in omnibus entibus, et quod « relationes sunt de intentionibus secundis, quae non « habent esse, nisi in anima [1] ». Horum Dogmaticorum sententiam ambabus, ut aiunt, ulnis veteres Sceptici, inter quos Aenesidemus principem locum sibi vindicat [2], exceperunt, ut inde, quemadmodum diximus, nihil certi de naturis rerum nobis in promptu esse colligerent. Si enim non alius ordo rerum nobis compertus est, quam quem ipsi nobis intellectu fingimus, sequitur realem ordinem rerum nobis latere; ignorantes autem realem ordinem rerum, naturas rerum quoque ignoremus necesse est. Iuvat pauca ex Sexto Empirico verba exscribere, quae ad hanc rem multum faciunt: « Quae au-« tem referuntur ad aliquid, mente tantum concipiun-« tur, non autem existunt. . . . Quod autem re vera, « quae ita se habent, ut aliquo modo referantur ad a-« liquid, conserventur sola mentis conceptione, non sit « autem eis existentia, docere licet ex confessione Dog-« maticorum. Describentes enim relatum uno consensu di-« cunt, relatum est, quod intelligitur ad alterum. Si au-« tem particeps esset existentiae, non id sic definiissent,

---

« terum conferentis omnibus aliis esse immixtum »; *Op. cit.*, tract. IV, c.1. Zenonem, cuius mentionem ibidem fecit, non Cittieum, auctorem Stoae, sed Elaeum fuisse putamus, quia Stoicos categorias pro realibus habuisse exploratum est.

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.*; cf *Qq. dispp.*, *De Pot. Dei*, q. VII, a. 9 c., et I, q. XIII, a. 7 c.

[2]) Vid. p. 544.

« sed potius hoc modo, relatum est, quod alteri ade-« xistit [1] ».

Eidem opinioni, quemadmodum ante dictum est, recentes Sceptici, in primisque Humius, eorum antesignanus [2], adhaeserunt, cum ipsa praecipuum pyrrhonismi fulcrum non immerito visa eis fuerit. Emmanuel Kantius, quamvis a pyrrhonismo se abhorrere professus esset, tamen antiquorum, recentiumque Scepticorum vestigiis insistens, relationem, non secus ac ceteras categorias, omni realitate expoliavit, proindeque non aliam relationem, quam logicam, admisit [3]. Ex quo factum est, ut scepticismo, nedum viam obstrueret, latiorem, facilioremque sterneret [4].

Verum, non defuere, qui omnem relationem esse realem, nullam vero logicam autumarent. B. Albertus M. [5], et s. Thomas [6] testes sunt hanc secundam opinionem nonnullis arrisisse, eamque idcirco saepe confutarunt. At quinam hi fuerint, haud luculenter significarunt. Indubium est eos de nonnullis Theologis locutos fuisse, qui in mysterio Trinitatis exponendo non mediocriter decipiebantur; si quidem s. Thomas aliquando cuiusdam Praepositivi mentionem fecit [7]. Sed fortasse ad Platonem, eosque, qui sive in antiqua, sive in media aetate eum ducem secuti fuerant, digitum quoque intenderunt. Certe, Plato idem, et diversum, parvum, et magnum, multum, et paucum, aliasque relationes, quae, ut mox dicemus, in quantitate, et qualitate fundamentum habent, inter *ideas* recensuit, illasque ideas, perinde ac ceteras, non pendere ab intellectu humano, sed *per se* esse voluit [8]. Iam,

---

[1]) *Adv. Log.*, lib. VIII, sect. 453, et 454, *Opp.*, t. II, p. 527, Lipsiae 1841.

[2]) Vid. p. 544. — [3]) Vid. p. 372, et 388.

[4]) Vid. p. 389 et 393-394. — [5]) *Op. cit.*, tract. IV.

[6]) *Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. VII, a. 10 c., et *in lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.*

[7]) I, q. XXXII, a. 2 c.

[8]) Ne permulta eius loca hic nominemus, videre ea licet apud Rit-

quandoquidem ideae platonicae, secundum probabiliorem interpretationem, quam plerique Patres, et Scholastici post Aristotelem, et non ignobiles recentes Philosophi sectati sunt [1], nec ab intellectu divino, nec ab intellectu humano pendent, sed res sunt per se subsistentes, eaeque necessariae, immutabiles, et aeternae, Platonem omnem relationem pro reali habuisse sine ulla haesitatione tenendum est. Platoni, praeter multos eruditos saec. XV, et XVI, qui eius philosophiam studiose excoluerunt, inter hodiernos Cousinius consensisse nobis videtur. Hic enim, postquam omnia entium genera ad duo, scilicet ad *absolutum* et *relatum*, secundum Platonem [2] revocavit [3], tantum duas categorias illis respondentes admisit, easque non esse rationis humanae personalis, et contingentis proprias, sed in ratione *impersonali*, et absoluta, de qua nonnihil ante innuimus [4] subsistere dixit [5]. Ceterum de nuperis Eclecticis, perinde ac de cunctis fere recentibus, nihil dicere attinet, cum ipsi notionem relationis vel omnino praetermiserint, vel certe ipsam, tanquam categoriam, minime consideraverint.

Iamvero, hae duae opiniones, quae e regione sibi opponuntur, et absurdae in se sunt, et ad absurda consectaria ducunt. Id, quamvis ex dictis facile patescat, tamen magis, magisque declarare iuvat, cum de controversia magni momenti agatur. Et sane, quin relationes reales dentur, dubitari non potest. Namque, si termini, inter quos ordo, sive habitudo intercedit, sunt res, quae in natura existunt, et principium, ex quo ordo inter illos terminos enascitur, est utrinque aliquid reale, relatio, quae in ordine illorum terminorum consistit, realis quoque esse debet, quia relatio nequit esse alterius na-

---

ter, *Op. cit.*, lib. VIII, c. 3, t. II, p. 187 sqq, et Garnier, *Traité des facultès de l' ame*, lib. IX, c. 1, § 2, t. III, p. 204, et 205, Paris 1852. — [1]) De hac re alias.

[2]) Τὸ μὲν αὐτὸ καθ' αὑτό τόδε ἑφιέμενον ἄλλου; *Phileb.*, t. II, p. 53, ed. II. S.

[3]) Cf p. 375. — [4]) Pag. 449. — [5]) *Cours du 1828*, leç. 4.

turae, ac principia, quae ipsam efficiunt [1]. Atqui indubium est 1° inter res, quae in natura sunt, quamdam habitudinem, sive ordinem intercedere; si quidem perfectio rerum, quae in natura sunt, non solum ex eo, quod ipsis singulis absolute convenit, sed etiam ex ordine, quem omnes ad se invicem habent, gignitur; 2° principia, ex quibus ille ordo efficitur, esse realia, quippe quod ordo in naturis rerum fundatur. Relationes reales igitur re ipsa dari certum est. Audire praestat s. Thomas: « Et praeterea perfectio, et bonum, « quae sunt in rebus extra animam, non solum attenditur secundum aliquid absolute inhaerens rebus, sed « etiam secundum ordinem unius rei ad aliam, sicut « etiam in ordine partium exercitus bonum exercitus « consistit; huic enim ordini comparat Philosophus ordinem universi X *Met.* Oportet ergo in ipsis rebus « ordinem quemdam esse: hic autem ordo relatio quaedam est; unde oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundum quas unum ad alterum ordinatur [2] ».

Falsa etiam est opinio, quae huic e regione opponitur, scilicet omnes relationes esse reales, nullas vero logicas. Enimvero, relatio, quemadmodum ad hanc rem s. Thomas advertit, ex se non expostulat, ut termini, inter quos ipsa intercedit, sint ens reale, aut ens rationis, quia habitudo unius ad aliud, in qua relatio consistit, ad utrumlibet indifferens est. Quamobrem, si habitudo non solum inter res, quae in natura sunt, sed etiam inter conceptus intellectus, aut inter conceptus, et res, ad quas conceptus referuntur, inveniri potest, rela-

---

[1]) Id certe s. Bonaventura sibi voluit, ubi scripsit conceptum relativum oportere esse verum, nempe realem, cum circa id, quod *actu* est, versetur: « Quando (*relatio*) est respectu existentis « in actu, tunc necesse est, quod respondeat verus respectus »; *In lib. I Sent.*, Dist. XL, a. 1 q. I *ad arg.*

[2]) *Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. VII, a. 9 c.; cf *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.*, et I, q. XIII, a. 7 c.

tionem non solum realem, sed etiam logicam esse posse dicendum est. Atqui quaedam habitudo, sive ordo cum inter ipsos conceptus intellectus, tum inter conceptus, et res, quae conceptibus respondent, re ipsa esse potest; intellectus enim, ob vim, qua pollet, super actus suos reflectendi, quemdam ordinem ponere potest et inter conceptus suos, et inter conceptus, resque, ad quas conceptus referuntur [1]. E.g., si intellectus conceptum lapidis, quem *actu* in se considerat, cum conceptu eiusdem lapidis, quem antea sibi confecit, comparat, unum esse eumdem cum alio advertit, relationemque identitatis inter utrumque ponit. Item, si intellectus scientiam, quam adeptus est, cum obiecto, ad quod ipsa refertur, comparat, quemdam ordinem in obiecto ad scientiam suam comparato ponit, relationemque scibilis ad scientem apprehendit. Ergo relationem non solum realem, sed etiam logicam esse posse tenendum est [2].

Praeterea, duae istae opiniones, etsi sibi invicem opponantur, tamen omnem scientiam perinde perimunt. Quod ad primam spectat, plus una vice observatum nobis est inde scepticismum prono alveo fluere. Nam, si non aliae relationes inter res a nobis cognoscuntur,

---

[1]) Ambas partes huius assumptionis s. Thomas innuit his verbis: « has relationes ratio adinvenit considerando ordinem eius, « quod est in intellectu ad res, quae sunt extra, vel etiam or- « dinem intellectuum ad invicem »; *Qq. dispp.*, *De Pot. Dei*, q. VII, a. 11 c.

[2]) En unum ex multis locis, in quibus Aquinas existentiam relationum logicarum evicit: « . . . relationes non habent quod « sint res naturae ex ratione respectus ad alterum. Inveniuntur « enim quidam respectus, qui non sunt reales, sed rationales tan- « tum, sicut scibile refertur ad scientiam non aliqua reali rela- « tione in scibili existente, sed potius quia scientia refertur ad « ipsum; sed relatio habet quod sit res naturae ex sua causa, « per quam una res naturalem ordinem habet ad alteram; qui « quidem ordo naturalis, et realis est ipsis ipsa relatio; unde dex- « trum, et sinistrum in animali sunt relationes reales, quia con- « sequitur quasdam naturales virtutes; in columna autem sunt re- « spectus rationis tantum secundum ordinem animalis ad ipsam»; *Quodlib.* I, a. 2 c. *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.*

quam quas intellectus ipse efficit, seu quas intellectus in rebus ponit, consequens est nos non posse cognoscere ordinem, quo res inter se re ipsa continentur, sed ordinem dumtaxat, quem in rebus esse ipsi nobis intellectu fingimus. Atqui, si cognoscere non possumus ordinem, quo res inter se continentur, scientiam illarum, uti ante innuimus, assequi non possumus. Ergo opinio eorum, qui non alias relationes, quam logicas, dari contendunt, ad scepticismum ducit. Idem de secunda opinione tenendum est. Nam, si non aliae relationes, nisi reales, darentur, sequeretur mentem humanam non posse cognoscere ordinem, qui intercedit inter conceptus suos, atque inter conceptus, et res, quibus conceptus respondent. Iamvero, nosse hunc ordinem ad scientiae adeptionem necessario expostulatur; si quidem nos non possumus scientia rerum potiri, nisi modum cognoscamus, quo illam adquirimus, atque hunc modum cognoscere non possumus, nisi cum ordinem, quo conceptus nostri continentur, tum ordinem, qui inter conceptus, et res ipsis respondentes intercedit, perspiciamus. Ergo ad scepticismum quoque ducit opinio eorum, qui non alias relationes, nisi reales esse obganniunt.

Sed, ut hae duae opiniones radicitus evertantur, necesse est fundamenta disiicere, quibus ipsae ab eorum auctoribus superstructae sunt. Qua in re s. Thomam ducem potissimum sequemur; hic enim errores confutaturus, qui ex illis in doctrinam de Trinitate divinarum Personarum a nonnullis Theologis invecti fuerant, utriusque opinionis fundamenta detexit, et explosit. In qualibet relatione reali, uti ex dictis intelligere in promptu est, duo consideranda sunt, scilicet ratio ordinis, quem res ad se invicem habent, et aliquid in rebus, in quo illa ratio fundatur. Iam, manifestum est rationem ordinis, quae, uti mox dicemus, *esse* relationis constituit, esse in intellectu, quia in natura sunt res, inter quas ordo intercedit, sed rationem illius ordinis non posse esse, nisi in intellectu, qui res non solum in se, sed prout una

ad aliam comparatur, intelligit [1]. Ast, illud, in quo ordinis inter res intercedentis ratio fundatur, in rebus ipsis re vera est, quia relatio connexionem realem rerum minime patefaceret, nisi re vera in rebus esset aliquid, ex quo intellectus unam ad aliam ordinem habere intelligit. « Si non esset, s. Augustinus scribit, homo, id est « aliqua substantia, non esset qui relative dominus dice- « retur : et si non esset equus quaedam essentia, non « esset quod iumentum relative diceretur : ita si num- « mus non esset aliqua substantia, nec arrha posset re- « lative dici [2] ». Iamvero, ut s. Thomas advertit, nonnulli Philosophi, cum in relationibus, quae reales a Philosophis dicuntur, non fundamentum, quod in rebus habent, sed dumtaxat *esse* quod habent in intellectu, considerassent, omnes relationes esse logicas inde concluserunt. Alii vero, eo quod mente reputabant relationem, quae in rebus fundamentum non habet, esse purum, putumque figmentum mentis, omnes relationes esse reales autumarunt [3].

At vero, labilia sunt, uti Aquinas ostendit, ambo fundamenta, ob qua hi Philosophi opiniones secum adversa fronte pugnantes tuiti sunt. Re vera, valde labile est fundamentum, cui prior opinio innititur. Namque, etsi omnis relatio *esse* suum in intellectu habeat, tamen inde haud fluit illam non posse aliquod fundamentum habere in rebus, inter quas intercedit, sed dumtaxat ipsam natura sua non expostulare, ut fundamentum in rebus semper habeat [4]. Quapropter, utrum, necne relationes dari possint, quae fundamentum in re-

[1]) Cf p. 547. — [2]) *De Trin.*, lib. VII, c. 1, n. 2.

[3]) Vid. *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.*; *Ibid.* Dist. XXX, q. I, a. 3; I, q. XXVIII, a. 2 c.; q. XXXII, a. 2 c., et q. XL, a. 1 c.

[4]) « Quamvis aliquid, s. Thomas subdit, ex ratione sui generis « non habeat, quod ponat aliquid, non tamen habet ex ipsa ge- « neris notione, quod nihil ponat, quia sic nulla relatio esset ali- « quid in rerum natura, unde ad aliquid non esset unum ex de- « cem generibus »; *Quodlib.* IX, a. 4 c.

bus habeant, ex ipso *esse* relationis inspici nequit, quia hoc in cunctis relationibus idem est ; sed oportet pervidere, utrum esse queant relationes, quarum *esse* in rebus, quae earum subiectum sunt, re vera fundamentum habeat [1]. Iam, huiusmodi relationes re ipsa dari certo certius est. Nam dantur, uti ante ostensum est, relationes, quarum ambo termini non solum sunt reales, seu res in natura existentes, sed etiam aliquid in se habent, per quod ad se invicem referuntur. Ergo dantur re ipsa relationes, quae in subiectis suis reale fundamentum habent [2]. Cum vero hae sint relationes reales, quia relatio realis est illa, cuius τὸ *esse* habet fundamentum in rebus, nullum dubium esse potest, quin relationes reales dentur. E re est audire s. Augustinum, ex quo Scholastici hanc doctrinam hauserunt. « Cum dicitur, sanctus Doctor inquit, « dominus, non essentia indicatur, sed relativum, « quod refertur ad servum ; cum autem homo dici- « tur, vel aliquid tale, quod ad se, non ad aliud dici- « tur, tunc indicatur essentia. Homo ergo, cum do- « minus dicitur, ipse homo essentia est, dominus vero « relative dicitur ; homo enim ad se dicitur, dominus

---

[1]) Hinc Gandavensis docuit relationem logicam, et realem non differre propter *esse*, sed propter principium, in quo fundantur: « . . . in relationibus est duo considerare, aliquid, quod est in « eis ex ratione sui generis, et est modus purus essendi ad aliud, « et aliquid, quod est in eis ex ratione fundamenti, et est id, « quod realitatis habent. Ex parte primi in relationibus nulla est « differentia, aut difformitas. Ex parte autem secundi est diffor- « mitas »; *Op. cit.*, art. LXVII, q. IV, n. 6, ed. cit.

[2]) « Dicendum, s. Thomas scribit, quod, quamvis relationi ex « hoc, quod ad alterum dicitur, non debeatur, quod sit res quae- « dam, est tamen res aliqua, secundum quod habet fundamen- « tum in eo, quod refertur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 2 ad 3. Addere lubet Durandum: « . . . omnis relatio est in « supposito relato mediante aliquo absoluto, quod est fundamen- « tum relationis, omnis enim modus essendi sive in se, sive in « alio, sive ad aliud requirit naturam absolutam, in qua funda- « tur, et mediante qua conveniat cuicumque convenit »; *Summ. theolog.*, lib. I, Dist. XXXIII, q. II, n. 5.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« ad servum . . . Huc accedit, quia omnis essentia, « quae relative dicitur, est etiam aliquid excepto rela- « tivo: sicut homo dominus, et homo servus, et equus « iumentum, et nummus arrha; homo, et equus, et num- « mus ad se dicuntur, et substantiae sunt, vel essen- « tiae; dominus vero, et servus, et iumentum, et arrha, « ad aliquid relative dicuntur [1] ».

Labile etiam est fundamentum, super quo altera opinio extollitur. Enimvero, si relatio, ut modo secundum s. Thomam ostendimus, natura sua non expostulat, ut sit aliquid reale, sed realis efficitur ex fundamento, quod in rerum natura habet [2], consequens est nihil repugnare, quominus fundamentum in natura rerum non habeat, proindeque logica sit. Hae autem relationes, quarum *esse* in rebus fundamentum non habet, non sunt figmentum mentis, praetereaque nihil. Nam, si ambo termini eiusmodi relationum sunt *logici*, sive, ut aiunt, *entia rationis*, ipsae profecto aliquod fundamentum in rebus habent, nisi *immediatum*, et *proximum*, uti relationes reales, certe *mediatum*, et *remotum*, quia intellectus, ut in *Idealogia* videbimus, conceptus, inter quos ordinem adinvenit, ex naturis rerum sibi conficit. Sin unus terminus in eis est realis, alter logicus, ipsae fundamen-

---

[1]) *De Trinit.*, lib. VII, c. I, n. 2.

[2]) Vid. ll. citt. pag. praec. Illis lubet haec alia duo addere: « Ipsa relatio secundum rationem sui generis, in quantum est « relatio, non habet, quod sit aliquid, sed solum quod sit ad ali- « quid. Quod vero sit aliquid secundum rem, habet ex illa par- « te, qua inest vel ut idem secundum rem, ut in divinis, vel ut « habens causam in subiecto, sicut in creaturis » (*Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. II, a. 5 c.); atque alibi: « . . . relatio est aliquid se- « cundum esse suum, quod habet in subiecto, sed secundum ra- « tionem suam non habet, quod sit aliquid, sed quod ad aliud « referatur, unde secundum rationem suam non ponit aliquid in « subiecto. . . . Inde etiam est, quod invenitur aliquid relatum, « in quo est tantum relatio rationis, et non ponitur ibi aliquid « secundum rem, sicut cum scibile refertur ad scientiam »; *In lib. I Sent.*, Dist. XX, q. I, a. 1 *sol.*; cf *In lib. III Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 5 *sol.*

tum habent proximum in eo, per quod terminus realis ad logicum refertur. Iam, quandoquidem relationes logicae aliquod fundamentum in rebus habent vel *remotum* in utroque termino, vel etiam *proximum* in alterutro, ipsae profecto merum figmentum intellectus nostri non sunt [1].

Idem ex eo comprobatur, quod si relationes logicae essent vanum figmentum mentis nostrae, ipsae nihil ad rerum cognitionem assequendam conferre possent. Atqui relationes logicae ad scientiam rerum adquirendam valde utiles, quin immo necessariae sunt. Igitur relationes logicae non sunt vanum figmentum mentis nostrae. Veritatem assumptionis evincere in promptu est. Et quod ad relationes attinet, in quibus uterque terminus est logicus, si intellectus conceptus, inter quos ordinem quemdam advenit, ex naturis rerum efformat, liquet eum posse relationibus logicis, tanquam principiis, ad ordinem, quo res naturae re ipsa inter se continentur, cognoscendum adiuvari. Iam, si relationes logicae sunt principia, quae intellectum ad ordinem rerum cognoscendum adiuvant, ipsae ad scientiae adeptionem nondum utiles, necessariae sunt, quia scientiam rerum, uti dictum est, assequi nobis non licet, nisi ordinem cognoscamus, quo res inter se continentur. Nos non fugit nullam huic argumento vim adversus Scepticos inesse, quippe qui pugnant nos non posse cognoscere, utrum, necne conceptibus intellectus aliquid reale in natura respondeat. At nos hic cum Scepticis data opera non pugnamus, sed cum iis omnibus, qui, cum non negent naturas rerum a nobis posse cognosci, nullas relationes logicas dari contendunt. Quod vero spectat ad relationes, in quibus unus terminus est realis, alter logicus, res manifestior, quam in prioribus est. Etenim ipsae nos docent unam rem, quae terminus realis est, ab altera, quae est terminus logicus, quatenus ipsa terminus logicus est, pendere. E. g. relatio, quam res

---

[1]) Vid. s. Thomam, I, q. XXVII, a. 1 ad 4, et a. 4 ad 1.

creatae cum Creatore habent, nos docet res creatas a Creatore pendere, ita ut illae sine hoc existere nequeant. Atqui nemo non videt nos non posse naturas rerum cognoscere, nisi compertum nobis sit, utrum res ab aliis pendeant, et quaenam sint res, a quibus pendent, quippe quod haec cognitio ad connexiones rerum perspiciendas omnino expostulatur. Ergo relationes logicae, in quibus alteruter terminus dumtaxat est realis, ad scientiam rerum adquirendam valde utiles, immo necessariae sunt. Iam, quoniam cum priores, tum posteriores relationes logicae ad scientiarum consecutionem plurimum conferunt, atque adeo necessariae sunt, ipsas non esse merum figmentnm intellectus concludendum est.

Vt hanc doctrinam exemplo, quod maximi momenti est, declaremus, s. Thomas, et s. Bonaventura negarunt intellectum aliquid vanum, commentitiumque sibi fingere, cum relationes Domini, Creatoris, aliasque id genus in Deo ponit. Nam, quamvis illae relationes non significent aliquid reale in Deo, per quod Ipse ad res a se creatas refertur, indubium est intellectum tum aliqua, uti s. Thomas advertit, in Deo intelligere, quorum gratia illas relationes in Deo ponit, tum esse, ut s. Bonaventura monuit, aliquod reale in rebus creatis, cui relationes in Deo respondent. « Invenit « (*intellectus*), Aquinas haec habet, in ipso (*Deo*) vir- « tutem, et essentiam, et operationem, qua creatura pro- « ducitur in ipsum relationem habens, et ideo essentiae « illi, vel operationi habitudinem attribuit, et, secun- « dum quod intelligit, nomina relativa imponit. Vnde « patet responsio ad primum; quia intellectus noster « neque cassus, neque vanus est, quia habet aliquid re- « spondens in re, quamvis non secundum modum, quo « est in ratione [1] ». Et s. Bonaventura, « Quod obiicitur, « inquit, quod vanus est intellectus, dicendum quod

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, q. I, a. 3 *sol.*; cf *Cont. Gent.*, lib. II, c. 13.

« falsum est, quia intellectus fundatur super aliquid, « scilicet super relationem creaturae, cui respondet re- « latio secundum dici in Deo [1] ».

Iuvat hanc controversiam concludere verbis eiusdem s. Thomae, cuius doctrinam hactenus explicuimus: « Vnde « distinguendum est inter relationes. Quaedam enim sunt, « quae habent aliquid in re, supra quod esse eorum fun- « datur, sicut aequalitas fundatur supra quantitatem; et « huiusmodi relationes aliquid realiter in re sunt. Quae- « dam vero sunt, quae non habent fundamentum in re, « de qua dicuntur, sicut dextrum, et sinistrum in il- « lis, in quibus non sunt determinatae istae positiones « secundum naturam, sicut in partibus animalis [2] ».

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, a. 1, q. 3 *ad arg.*; cf *ibid. resol.*

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.* Hac doctrina sanctus Doctor laudatis in locis duos errores sibi oppositos, qui circa Trinitatem venditabantur, facile explosit. Nimirum nonnulli, duce Gilberto Porretano, qui errorem suum in Concilio Rhemensi revocavit (vid. Pluquet, *Diction. des hérés*, art. *Gilbert de la Porrée*, Paris 1768), cum sentirent omnes relationes esse logicas, tuebantur relationes in Deo non esse nec personas divinas, nec in personis divinis, sed ipsis *assistentes*, nempe extrinsecus affixas. Contra ea, alii, eo quod sentiebant omnes relationes esse reales, pugnabant cum Praepositivo relationes divinas non esse in personis, sed esse ipsas personas, nosque solum *propter modum loquendi* quandoque adhibere voces abstractas, e. g. *Paternitatis*, pro concretis, quemadmodum dicimus: *Rogo benignitatem tuam*, hoc est te benignum. Ceteri vero Theologi, quorum sententiam s. Thomas vehementer propugnavit, secundum doctrinam catholicam docuerunt relationes divinas esse et ipsas personas, et in personis: scilicet esse ipsas personas, quia persona, et relatio in Deo sunt idem *re*, et esse in personis, quia relatio, et persona *ratione*, differunt, si quidem, etsi in Deo unum sint, tamen intellectus unam ab altera distinctam intelligit. En quomodo sanctus Doctor ex doctrina relationum, quam eo duce statuimus, harum sententiarum origines detexit: « Primi igitur attendentes in rela- « tionibus solum id, quod ad alterum est, et non fundamentum, « quod habent in re, dixerunt relationes assistentes esse, quasi ex « habitudine alterius advenientes. Secundi attendentes funda- « mentum rei, et simplicitatem divinam, dixerunt, quod relatio- « nes non sunt in personis, sed sunt ipsae personae. Tertii au-

Quandoquidem vidimus, quid sit relatio, et quot sint eius species, inquirere in praesentia integrum nobis est, num relatio esse specialis categoria queat. Haec altera quaestio duas partes complecti debet. Nam, cum relatio multis modis considerari possit, ob idque multiplex sit, nemo non videt, si relationem re ipsa esse specialem categoriam compererimus, inquirendum insuper nobis esse, quonam modo considerata, sive, uti dici solet in Scholis, quonam sub respectu sit specialis categoria.

Vt huius controversiae origo patescat, memoria repetendum est categorias esse obiectum logicae, prout ipsae sunt supremae quaedam conceptiones, ad quas reliquae omnes revocantur, quaeque supremos quosdam modos significant, secundum quos intellectus ens in cunctis naturis rerum determinatum intelligit. Atqui relatio in cunctis categoriis, licet secundum diversos gradus, invenitur. Re vera, invenitur in substantia, uti relatio patris, et filii, domini, et servi, aliaeque huiusmodi; in quantitate, uti aequalitas, et inaequalitas; in qualitate, uti similitudo, et dissimilitudo; et, ne de cunctis dicamus, in actione, et passione, uti verberare, et vapulare. Ergo relatio non specialis categoria, sed quaedam affectio, seu proprietas, quam intellectus in cunctis categoriis deprehendit, esse videtur. Inde factum est, ut aliqui non solum inter veteres, sed etiam inter ipsos Scholasticos relationem esse specialem categoriam inficiarentur, et nonnulli recentes cunctas categorias ad relationem revocarent, unamque idcirco categoriam, scilicet relationem, agnoscerent.

Quisquis ex se facile intelligere potest primam duarum sententiarum, quas modo innuimus, Zenoni, et plerisque Philosophis ante Platonem probatam fuisse,

---

« tem considerantes utrumque, dixerunt quod sunt in personis « propter veram rationem relationis, et quod tamen sunt perso- « nae propter simplicitatem; sicut Deitas est in Deo, et tamen est « Deus »; *In lib. I Sent.*, l. c. Cf s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, a. 1, q. I *resol.*

quos non alias relationes, quam logicas, admisisse diximus. Nam, cum categorias tantum *ontologice*, non vero *logice* considerassent, profecto ipsi non poterant inter categorias enumerare relationem, quam esse natura sua logicam pertinaciter pugnabant. Posteriorem sententiam, post quosdam veteres, quos s. Thomas confutavit [1], Renouvierius, nuperrime propugnavit. Hic enim, ut diximus, autumavit unum esse supremum conceptum mentis, ad quem omnes conceptus, tamquam supremi, a veteribus Philosophis, in primisque ab Aristotele recensiti, revocantur, eumque esse relationem, illa adductus ratione, quod intellectus conceptus rerum ad conceptum generis, cui subiiciuntur, revocare non potest, nisi inter illos, et ipsum quandam relationem perspiciat [2]. Eadem, ni fallimur, opinio Aenesidemi, et Humii fuit. Nam, si intellectus humanus, eorum iudicio, res non cognoscit in suis naturis, sed dumtaxat prout ad ipsum referuntur, inde necessario fluit relationem esse supremum conceptum mentis, ad quem omnes reliqui revocari possunt. Ab hac sententia Kantius non multum abludere videtur. Enimvero, ipse, quamvis relationem esse quamdam specialem categoriam docuisset, tamen, cum cunctas categorias ab analysi iudicii derivasset, illas, tanquam diversos modos, quibus praedicatum ad subiectum refertur, re ipsa consideravit [3]. Nec peaetereundus est Rosminius, quippe qui ratus intellectum ex eo, quod praedicatum cum subiecto coniungit, aut unum ab altero separat, quandam relationem inter utrumque ponere, docuit categorias non aliud significare nisi « diversos modos praedicandi, qui a diversis relationi- « bus praedicatorum cum subiectis derivantur [4] ». At vero, cum Plato, Aristoteles, aliique nobiliores graeci Philosophi, tum antiqui graeci, latinique interpretes Aristotelis, et Arabes, tum denique omnes Scholae Doctores, et qui eos in recenti aetate secuti sunt Scholastici, relationem

---

[1]) Vid. p. 378.—[2]) P. 375.—[3]) Vid. p. 388, et 389.
[4]) *Logica*, lib. II, sez. V, c. 9, corol. § 419, p. 118, ed. cit.

esse specialem categoriam asseruerunt, eosque, qui vel esse affectionem omnium categoriarum, vel esse unicam categoriam opinati sunt, egregie refutarunt.

Nobis hanc quaestionem mente reputantibus maximi ponderis esse videntur argumenta, quibus Scholastici sententiam Platonis, et Aristotelis evincere, aliasque duas ei adversantes refellere studuerunt. Et sane, relatio, uti ex dictis patet, est specialis categoria, si specialem modum continet, quo τὸ *esse* in natura rerum determinatur, et specialem conceptum denotat, qui ad nullum alium reduci potest. Iam, huiusmodi re ipsa est relatio. Et sane, quod ad substantiam attinet, res per se manifesta est. Nam, cum substantia sit ens per se, sive ens absolute spectatum [1], relatio autem per aliud, nempe per substantiam, profecto aliud est *esse* substantiae, aliud vero *esse* relationis [2], proindeque relatio est genus entis, quod genere substantiae contineri non potest [3]. Apposite s. Augustinus: « Absurdum est, ut substantia relative « dicatur, omnis enim res ad se ipsam subsistit [4] ». Quod vero ad reliqua accidentia spectat, relatio cum

---

[1]) « Ens absolute dictum, s. Thomas ait, significat substan- « tiam »; *In lib. I Sent.*, Dist. IX, q. I, a. 1 ad 2.

[2]) « Quae (*relatio realis*), idem Aquinas scribit, habet aliud es- « se, quam esse substantiae, cui inest »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VIII, a. 1 ad 5.

[3]) « Nulla substantia, quae est in genere, potest esse relatio: « quia est definita ad unum genus, et per consequens excluditur « ab alio genere » (*Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VIII, a. 2 ad 1; cf *In lib. I Sent.*, Dist. IV, q. I, a. 1 ad 3, et *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14). Hoc autem intelligendum est de relationibus creatis, non vero de divinis, quas catholica Fide novimus; si quidem « es- « sentia divina, eodem Doctore monente, non est in genere sub- « stantiae, sed est super omne genus, comprehendens in se o- « mnium generum perfectiones. Vnde nihil prohibet id, quod est « relationis, in Ea inveniri »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, loc. cit.

[4]) *De Trinit.*, lib. VII, c. 4, n. 9. Idem ante inculcaverat: « Quod « relative pronuntiatur, non indicat substantiam »; lib. V, c. 7, n. 8.

ipsis commune habet inhaerere, hoc est, esse in substantia, tanquam in subiecto, quia hoc proprium est omni rei, cuius *esse* τῷ *esse* substantiae opponitur [1]. Verum, ab ipsis discriminatur eo quod reliqua accidentia in subiecto, quemadmodum Scholae aiunt, *manent*, hoc est, subiectum ita afficiunt, ut ordinem ad aliud in eo non ponant; relatio autem in subiecto non manet, quia subiectum ita afficit, ut in eo ordinem ad aliud ponat. « Relatio, ad rem Aquinas noster scribit, in hoc differt « a quantitate, et qualitate, quia quantitas, et qualitas « sunt quaedam accidentia in subiecto remanentia, re- « latio autem non significat, ut Boëtius dicit in lib. *De* « *Trin.*, ut in subiecto manens, sed ut in transitu quo- « dam ad aliud [2] ». Vnde sanctus Doctor relationem ex eo, quod ad aliud spectat, rationem sui generis sumere dixit: « Ex respectu habet propriam rationem ge- « neris, vel speciei [3] ». E. g. quantitas, et aequalitas, quae sunt duo accidentia ligni, ambae in ligno inhaerent; hoc tamen discrimine, quod illa tantum extendit lignum, haec vero lignum ordinem ad aliud habere cogit, nam, si aequale dicitur, certe alicui alteri aequale dicatur oportet.

Vt vis huius argumenti penitus perspiciatur, advertendum est cum eodem Aquinate, et s. Bonaventura, in quolibet genere accidentium duo intelligi oportere, scilicet aliquid, quod ei cum reliquis commune est, atque aliquid, quo a reliquis discriminatur; si quidem cuncta accidentia debent et in re aliqua consentire, per quam τὸ *esse* accidentis eis convenit, et in aliqua re ab se discrepare, per quam accidentia diversa fiunt. Iam, manifestum est illud, in quo consentiunt, non aliud esse posse, quam quod commune nomen accidentis eis largitur, scilicet communiter *inesse in alio* tamquam in subiecto, quia inesse est proprium accidentis, atque illud, ex quo accidentia ab se invicem discriminantur, nonnisi

[1]) Vid. quae passim diximus.
[2]) *Qq. dispp.*, *De Pot. Dei*, q. VII, a. 8 c.
[3]) *Quodlib.* IX, a. 4 ad 3.

specialem quemdam modum, secundum quem τὸ *esse* in alio, tanquam in subiecto, in singulis determinatur. Re vera, ut id aliquo exemplo declaremus, quantitas, et qualitas in eo conveniunt, quod sunt in substantia, tanquam in subiecto, sed ab se differunt, quia quantitas est in substantia, tamquam mensura eius, qualitas autem, uti inferius dicemus, tanquam dispositio eius. Iam, inter peculiares, et diversos modos, quibus τὸ *esse in alio*, tanquam in subiecto, determinatur, ille etiam est, per quem subiectum quemdam ordinem ad aliud habet. E. g., paternitas non solum τὸ *esse* significat, quod in patre, puta Paulo, aut Petro, tamquam in subiecto est, sed etiam quemdam ordinem, sive habitudinem in patre ad filium producit [1]. Ergo relatio, quae hunc specialem modum denotat, quo τὸ *esse* in alio in rebus determinatur, est speciale accidens categoricum. Huic autem accidenti, uti ex dictis patet, est commune cum reliquis esse in alio, tamquam in subiecto, proprium vero referre subiectum, in quo est, ad aliud [2]. Ex quo Albertus M. iure collegit ipsum esse modum praedican-

---

[1]) En verba s. Thomae, quibus haec argumentatio continetur: « In quolibet novem generum accidentis est duo considerare. « Quorum unum est esse, quod competit unicuique ipsorum, se- « cundum quod est accidens: et hoc communiter in omnibus est « inesse subiecto; accidentis enim esse est inesse. Aliud, quod « potest considerari in unoquoque, est propria ratio uniuscu- « iusque illorum generum. Et in aliis quidem generibus a rela- « tione utpote quantitate, et qualitate, etiam propria ratio gene- « ris accipitur secundum comparationem ad subiectum; nam « quantitas dicitur mensura substantiae, qualitas vero dispositio « substantiae. Sed ratio propria relationis non accipitur secun- « dum comparationem ad illud, in quo est, sed secundum com- « parationem ad aliquid extra »; I, q. XXVIII, a. 2 c.

[2]) « Notandum, s. Bonaventura inquit, quod relatio in aliqui- « bus convenit cum aliis praedicamentis, in aliquibus differt. « Convenit enim in hoc, quod est praedicamentum, et genus en- « tis, et in hoc, quod est accidens; et disconvenit in hoc, quod « praeter alia genera habet respectum non solum ad subiectum, « sed etiam ad obiectum secundum habitudinem, et dependen- « tiam »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, a. 1, q. 2 *resol.*

di, qui ad nullum alium reduci potest, proindeque non reliquis immixtum, uti nonnullis videbatur, sed ab ipsis distinctum. « Ad aliquid, subdit, ponit modum universa-« lem suae coordinationis, qui ad nullum alium modum re-« duci potest; et ideo ad aliquid non est coaccidens modus « praedicandi, sed est modus praedicandi per se distin-« ctus cuiusdam generis accidentis [1] ».

Id ex usitato loquendi modo, qui, uti in Prolog. diximus, fons secundarius Logicae est, comprobari potest. Etenim, quemadmodum idem s. Thomas observavit, relatio aliter, ac quantitas, qualitas, aliaque accidentia, quae ab adversariis admittuntur, significatur, quia unumquodque horum accidentium significatur tamquam *alicuius*, in quo, veluti in subiecto, inhaeret, relatio autem, tanquam *ad aliquid*, quod est extra illud, in quo, veluti subiecto, inhaeret [2]. Revera, nos dicimus hunc pannum esse bipedalem, corvum esse nigrum, et columbam esse albam: sed dicimus Petrum esse patrem Pauli, et Paulum esse filium Petri.

Inde perspicere potes, cur accidentia a Scholasticis in *absoluta*, et *respectiva*, seu *relata* distincta fuerint. « Intelligendum, Durandus scribit, est, quod accidentium « quaedam sunt absoluta, quaedam respectiva [3] ». Accidens relativum est illud, quod substantiam ita afficit, ut illam ad aliud quidpiam referat, sive, ut aiunt, ordinet. E. g., in ligno est quantitas, est etiam et aequa-

---

[1]) *Op. cit.*, tract. IV, c. 1.

[2]) Audiatur rursus s. Thomas: « Inter novem genera, quae con-« tinentur sub accidente, quaedam significantur secundum ratio-« nem accidentis; ratio enim accidentis est inesse, et ideo illa « dico significari per modum accidentis, quae significantur ut in-« haerentia alteri, sicut quantitas, et qualitas; quantitas enim si-« gnificatur ut alicuius, in quo est, et similiter qualitas. Ad ali-« quid vero non significatur secundum rationem accidentis, non « enim significatur ut aliquid eius, in quo est, sed ut ad id, quod « extra est. Et propter hoc etiam dicit Philosophus *V Met.*, quod « scientia, in quantum est relatio, non est scientis, sed scibilis »; *Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. VIII, a. 2 c.

[3]) *Op. cit.*, lib. I, Dist. XXXIII, q. II, n. 5.

litas; sed illa aliter, ac ista, si quidem, ut paulo ante diximus, quantitas ex eo, quod ligno inhaeret, illud dumtaxat afficit, sive extendit, aequalitas autem lignum ad aliud spectare cogit.

Sed praestat fundamenta evertere opinionum huic adversantium, quas ante exposuimus. Quod ad primam a nonnullis antiquis, et a Gilberto Porretano, eiusque discipulis propugnatam, attinet, illud, quod antea innuimus, hic rursus inculcandum est, nimirum accidentium alia per se, alia per aliud accidens substantiae inhaerere, ita ut substantia aliquorum accidentium sit subiectum *proximum*, et *immediatum*, aliorum vero *remotum*, et *mediatum* [1]. E. g. albedo, quae est accidens categoriae quantitatis, non inhaeret substantiae, nisi media quantitate; unde substantia est subiectum proximum quantitatis, et remotum albedinis. Huius rei s. Thomas praeclaram hanc rationem assignavit, quod, cum cuncta accidentia categorica secundum ordinem naturalem ab essentia promanent, unum post aliud ab ea fluant necesse est, prout unum propinquius, quam aliud, substantiae est, quippe quod in iis, quae secundum ordinem naturae ab uno procedunt, prius est causa posterioris. At, si accidentium unum post aliud ab essentia fluit, unum per aliud in substantia inhaerere debet, prout unum propinquius, quam aliud, substantiae est [2]. Ergo accidentium alia per se, alia autem per aliud accidens substantiae inhaerent. Iam, relationem esse eiusmodi accidens, ut nonnisi per aliud accidens subiecto inhaereat, manifesta res est, quia ipsa expostulat non solum *esse* substantiae, sed etiam

---

[1]) « Accidentium, sanctus Doctor ait, unum est alio sub-
« stantiae propinquius, sicut quantitas est propinquior substan-
« tiae, quam qualitas. Et sic substantia recipit unum accidens
« alio mediante »; *Qq. dispp.*, *De spirit. creat.*, a. 11 ad 13. Vid. p. 468, not. 1.

[2]) « In his, quae secundum ordinem naturalem procedunt ab
« uno, sicut primum est causa omnium; ita quod est primo pro-
« pinquius, est quodammodo causa eorum, quae sunt magis re-
« mota »; I, q. LXXVII, a. 7 c.

esse alicuius accidentis, per quod substantia ordinem ad aliud adquirit [1]. Ita, nulla dicuntur similia, nisi ob qualitatem ipsis communem, ut duo alba ideo sunt similia, quia ambo sunt alba; itemque, si quae duo aequalia dicuntur, propter parem in utroque quantitatem ita dicuntur. Accidens absolutum vero, per quod relatio substantiae inest, quemadmodum in *Idealogia*, duce s. Thoma, ostendemus, est vel *quantitas*, vel *actio*, et *passio*. E. g. Petrus dicitur pater Pauli ob actionem, et Paulus dicitur filius Petri ob passionem; unum alio maius, aut minus dicitur ob diversitatem quantitatis, quae in ipsis est; ob unitatem vero, quae ad quantitatem etiam pertinet, aliquid idem cum se, aut alteri aequale, vel simile dicitur, prout unitas consideratur aut in substantia, quam esse eamdem cum se ipsa intelligimus, aut in ipsa quantitate, uti duo panni trium palmorum, aut in qualitate, ut duo alba [2]. Quandoquidem relatio est accidens, quod per aliud accidens substantiae inhaeret, s. Bonaventura, quem omnes Scholastici recentis aetatis secuti sunt, sapienter docuit tria ad relationem constituendam expostulari, scilicet 1° subiectum, in quo inhaeret, quodque fundamentum *remotum* relationis vocatur; 2° aliquod prin-

---

[1]) Vid. s. Thomam, *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 24; *Qq. dispp.*, *De Pot. Dei*, q. VII, a. 9 c.; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. 11, a. 2 ad 4.

[2]) « In nobis. . . relationes, sanctus Doctor ait, habent esse « dependens, quia earum esse est aliud ab esse substantiae, unde « habent proprium modum essendi secundum propriam ratio- « nem, sicut in aliis accidentibus contingit: quia enim omnia ac- « cidentia sunt formae quaedam substantiae superadditae, et a « principiis substantiae causatae, oportet, quod eorum esse sit « superadditum supra esse substantiae, et ab ipso dependens: et « tanto uniuscuiusque eorum *esse* est prius, vel posterius, quanto « forma accidentalis secundum propriam rationem fuerit pro- « pinquior substantiae, vel magis perfecta. Propter quod et rela- « tio realiter substantiae adveniens et postremum... esse habet... « quia non solum praeexigit esse substantiae, sed etiam esse alio- « rum accidentium, ex quibus causatur relatio; sicut unum in « quantitate causat aequalitatem, et unum in qualitate similitu- « dinem »; *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14.

cipium, cuius ratione relatio subiecto inhaeret, quodque fundamentum *proximum* relationis audit ; 3° illud accidens alterius subiecti , quod terminum relationis efficit , quodque *correlatum* dicitur. « Relatio, ipse ait, compa- « rationem habet ad tria; ad subiectum, in quo est, et « ad terminum, ad quem est, et ad principium, a quo « est [1] ». Ita , si cygnus similis columbae propter albedinem dicatur, similitudo, ob quam cygnus ad columbam ordinem habet, est in cygno, tamquam in subiecto, fundamentum autem habet in albedine, propter quam in eo est , et ab albedine , quae est in columba , tamquam a termino suo, pendet; si quidem non sibi, sed columbae similis dicitur , nec per similitudinem ad se ipsum, sed ad cygnum ordinem habet.

Ex his, quae praemisimus, nullo negotio evinci potest Gilbertum Porretanum , aliosque , qui relationem non esse specialem categoriam , sed quamdam affectionem reliquorum accidentium categoricorum autumarunt , fundamentum relationis cum relatione confudisse. Etenim , ex eo, quod relatio non est in substantia , nisi per aliquod accidens absolutum, haud fluit τὸ *esse* relationis esse ipsum *esse* accidentis absoluti , sed dumtaxat τὸ *esse* alicuius accidentis absoluti esse principium , cuius gratia τὸ *esse* relationis substantiae convenit, ideoque esse fundamentum proximum relationis. Et sane, τὸ *esse* relationis ab *esse* accidentis , per quod relatio inest substantiae, reapse distingui indubium est. Nam, cum accidens absolutum, uti s. Bonaventura advertit, non per se, sed per aliquem ordinem , vel respectum , quem ad aliud habet , relative dicatur [2] , profecto respectus , per quem

---

[1]) *In lib. III Sent.*, Dist. VIII, a. 11, q. 2 *resol.*

[2]) « Dicendum quod relative dici aliquid est dupliciter; aut « quia significat relationem, sicut nomina, quae sunt in praedi- « camento relationis; aut quia habet respectum annexum; sic, « cum omnis actio dicat respectum ad passum, sive factum, et « passum ad agentem, sic dicitur relative »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXV, dub. 4.

relative dicitur, intelligendus est, tamquam aliquid, quod τῷ *esse* eius additur. Atqui illud, quod alicui rei addi intelligitur, *esse* distinctum ab *esse* ipsius rei habeat necesse est. Ergo τὸ *esse* relationis cum τῷ *esse* accidentis absoluti, per quod substantiae inest, confundendum non est. Id comprobari potest argumento ad absurdum ducente. Namque, si omne accidens, quod substantiae per aliud inest, unum, idemque cum ipso esset, nullum accidens categoricum per aliud accidens, sed omnia accidentia categorica per se inesse substantiae, tamquam suo subiecto proximo, dicendum foret. Atqui hoc consectarium, ipsis Philosophis, adversus quos pugnamus, fatentibus, absurdum est. Absurdum igitur quoque est *esse* relationis cum *esse* accidentis, per quod relatio substantiae inhaeret, confundere. Quod cum ita sit, relationem non esse speciale accidens categoricum ex eo deduci nequit, quod ipsa nonnisi per aliquod accidens categoricum in subiecto inhaeret.

Quamvis ea, quae modo observavimus, τὸ *esse* relationis a τῷ *esse* accidentis absoluti, per quod substantiae inhaeret, re ipsa distingui satis, superque patefaciant, nihilominus hoc ipsum novis argumentis evincere iuvabit. Atque in primis illud palmare est, quod si relatio denotat modum, quo τό *esse* in rebus determinatur, diversum ab aliis modis, quibus per alias categorias determinatur, consequens est τὸ *esse* relationis esse diversum ab *esse* cuiuslibet categoriarum, per quas relatio in substantia inest. Atqui prius, uti ante ostendimus, est verum. Ergo et posterius. Praeterea, eadem dicenda non sunt ea, quorum unum potest manere unum, altero multiplicato. Atqui relatio multiplicatur, uno manente accidente categorico, per quod ipsa in subiecto inhaeret: puta, cum una sit albedo, innumerae ex ea similitudines existere possunt. Igitur τὸ *esse* relationis idem non est, cum τὸ *esse* accidentis categorici, per quod subiecto inhaeret. Ad haec, eadem procul dubio ea non sunt, quorum unum intendi potest, altero remisso, et

vicissim. Iamvero , huiusmodi sunt relatio , et accidens absolutum , per quod ipsa inest subiecto suo. E. g. si Petrus, et Paulus modo sint similiter calidi, deinde Petrus ad ignem propius accedens , longe plus , quam Paulus , incalescat , nemo non videt , quo intensior fit calor in Petro, eo minorem fieri eius cum Paulo similitudinem, quae propter calorem inter eos existit. Ergo τὸ *esse* relationis, et τὸ *esse* accidentis absoluti unum, idemque non sunt. Tum quoque illa non sunt inter se eadem, quorum uno manente, alterum perit. Atqui interdum, ut s. Thomas advertit , manente in uno subiecto accidente categorico , quod fundamentum relationis eius cum alio est, relatio cessat [1]. Puta , ut idem exemplum urgeamus, si Petrus maneat calidus, Paulus vero refrigeretur, manet profecto in Petro accidens categoricum caloris, in quo relatio similitudinis eius cum Paulo fundabatur , sed relatio similitudinis cessat , quia, frigescente Paulo, Petrus similis ei esse desinit. Aliud igitur esse τὸ *esse* relationis, aliud vero τὸ *esse* accidentis, quod est eius fundamentum, manifestum est. His, tamquam cumulus, accedit, quod, si relatio plane eadem esset cum accidente categorico, per quod ipsa substantiae inest , sequeretur duo opposita esse inter se eadem. Nam subiectum, eo ipso, quod per accidens absolutum refertur ad unum oppositum, refertur ad alterum; puta, subiectum, quod est album, eo ipso, quod est album, est simile alii albo, et dissimile nigro. Ergo, si relatio ab accidente categorico, super quo fundatur, re non distingueretur, duae oppositae relationes forent eaedem cum accidente categorico, quod fundamentum ipsarum est ; puta similitudo, et dissimilitudo, quae super albedinem fundantur, eaedem

---

[1]) « Nihil prohibet quod esse desinat huiusmodi accidens sine « mutatione eius, in quo est; quia sua ratio non perficitur, prout « est in ipso subiecto, sed prout transit in aliud; quo sublato, « ratio huius accidentis tollitur quidem quantum ad actum, sed « manet quantum ad causam; sicut et, subtracta materia, tollitur « calefactionis causa »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 9 ad 7.

cum albedine forent. Iam, quoniam ea, quae sunt eadem cum uno tertio, inter se quoque eadem sunt, inde sequeretur duas oppositas relationes, esse re ipsa unicam relationem.

Quae cum ita se habeant relationem non esse aliquem modum, quo intellectus cunctas categorias considerat, sed specialem categoriam concludamus oportet.

Quod ad fundamenta opinionum Rosminii, et Renouvierii attinet, paucis, quae alibi adnotavimus [1], haec addenda arbitramur.

Atque in primis, advertendum est, quamvis relatio *esse* suum in substantia habeat, tamen essentiam eius, uti ante innuimus, et mox fusius dicemus, proprie non consistere in eo, quod *esse* ipsius in substantia, tamquam in subiecto suo, inhaeret, sed in eo, quod in eadem substantia, in qua, tamquam in subiecto, inhaeret, quemdam ordinem ad aliud ponit [2].

Iamvero, nos Rosminio, et Renouvierio concedimus rationem, ob quam aliquid de subiecto praedicatur, in eo agnoscendam esse, quod unum in altero inhaeret; si quidem non licet intellectui unum de altero praedicare, nisi unum alteri inesse, hoc est, nisi unum alterius accidens esse comperiat; verum negamus inde fieri, ut omne, quod de subiecto praedicatur, ordinem in eo ad aliud ponat. Etenim, quandoquidem unum alii inesse potest duobus modis, scilicet vel ita, ut in ipso maneat, vel ita, ut ipsum ad aliud referat, satis non est nosse aliquid alii ita inesse, ut in ipso ordinem ad aliud ponat, sed necesse est nosse aliquid alii ita inesse, ut non maneat in ipso, sed ipsum ad aliud referat [3]. Quamob-

---

[1]) Pag. 396 et 407.

[2]) « Ad illud, s. Bonaventura subdit, quod obiicitur, quod omnes « relationes sunt assistentes, dicendum quod esse in relatione « dicuntur a Boëtio, non quia non sint in re, sed quia, cum sint « in re, non sunt in ea absolute, sed in comparatione ad alte« rum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, a. 1, q. 1 *ad arg.*

[3]) Apposite, idem s. Bonaventura: « Non est (*relatio*) in subie« cto absolute, sed ad alterum, nihilominus est in subiecto »; *ibid.*

rem dici nequit omnes modos, quibus aliquid de subiecto praedicari intelligitur, esse totidem relationes, sed dicendum est relationes esse illos dumtaxat praedicandi modos, per quos in subiecto ordinem ad aliud poni intelligitur. Itaque, quamvis omne accidens ex eo, quod subiecto inest, de subiecto praedicetur; tamen vera relatio inter ipsum, et subiectum minime intercedit. Locis, quae ante adduximus, e re est adiicere hunc alium s. Thomae: « Dicendum, quod ipsa relatio, quae ni-« hil est aliud, quam ordo unius creaturae ad aliam, aliud « habet in quantum est accidens; et aliud in quantum « est relatio, vel ordo. In quantum enim accidens est, « habet quod sit in subiecto, non autem in quantum « est relatio, vel ordo, sed solum quod ad aliud sit « quasi in aliud transiens, et quodammodo rei relatae « assistens. Et ita relatio est aliquid inhaerens, licet non « ex hoc ipso, quod est relatio, sicut et actio ex hoc, « quod est actio, consideratur ut ab agente, in quantum « vero est accidens, consideratur ut in subiecto agente [1] ».

Idem Aquinas alibi subtiliorem, penitioremque rationem exposuit, ut aliter relationem, aliter ceteras categorias, quae ad genus accidentis pertinent, subiecto inhaerere ostenderet. Quae quidem haec est, reliqua accidentia in subiecto esse non modo secundum *esse* suum, sed etiam secundum *essentiam*, seu *rationem*, quippe quae semper aliquam naturam in eo ponunt, sed relationem esse in subiecto tantum secundum *esse*, quia secundum essentiam, seu *rationem*, suam non ponit aliquam naturam in eo, sed dumtaxat quemdam ordinem ad aliud. Praestat audire ipsum Aquinatem: « Notandum, « quod relatio alio modo dicitur esse aliquid, quam alia « entia. In aliis enim entibus unumquodque dicitur dupliciter esse, et quantum ad esse suum, et quantum « ad rationem quidditatis suae, sicut sapientia secundum « esse suum aliquid ponit in subiecto, et similiter se-

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 9 ad 7; cf I, q. XXVIII, a. 2 c.

« cundum rationem suam ponit naturam quamdam in « genere qualitatis, sed relatio est aliquid secundum es- « se suum, quod habet in subiecto, sed secundum ra- « tionem suam non habet quod sit aliquid, sed solum « quod ad aliud referatur, unde secundum rationem « suam non ponit aliquid in subiecto, unde Boëtius dicit « quod relativa nihil praedicant de eo, de quo dicun- « tur [1] ». Iam, si tantum est discrimen, quod inter modum, quo relatio, et inter modum, quo omne aliud accidens categoricum inest substantiae, intercedit, non omnem, sed specialem dumtaxat modum, quo praedicatum ad subiectum refertur, relationem esse rursus patescit.

Quae cum ita sint, concludere nobis licet cum Durando naturam, in qua accidentia relata, sive, ut ipse ait, *respectiva*, immediate sunt, potius eorum fundamentum, quam subiectum, dicendam esse, propterea quod, cum ipsa *esse* non in se, sed naturaliter comparatum ad aliud habeant, subiectum eorum est potius aliud, ad quod *esse* suum comparatum habent, quam natura, in qua sunt [2] ».

Ex hactenus dictis illud quoque perspicitur, Rosminium, aliosque, qui omnem relationem in quodam ordine praedicati ad suum subiectum consistere asseverant, nullum accidens absolutum admittere, quia, cum omne praedicatum aliquem ordinem, seu relationem late sumtam ad subiectum suum habeat, sequeretur omne accidens, seu omne praedicatum accidentale esse relatum. Atqui omnia

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XX, q. I, a. 1 *sol.*

[2]) « Est autem inter haec accidentia duplex differentia. Prima « est, quod accidens absolutum est quaedam natura in se, cui « competit aliquis modus essendi. Accidens autem respectivum « solum est modus essendi alterius partis. Secunda differentia « est, quia accidentia, absoluta proprie dicuntur esse in subie- « cto, sed respectiva in illa natura, in qua immediate sunt, ma- « gis dicuntur esse sicut in fundamento, quam sicut in subiecto»; *Op. cit.*, lib. IV, Dist. XII, q. 1, n. 5.

accidentia esse relativa, nulla absoluta, uti antea ostendimus, falsum est. Ergo falsa est Rosminii, eiusque sectatorum sententia, quae ex illo corollario fluit. Hocce argumentum ab eodem Durando, quem saepe laudavimus, mutuati sumus. Hic enim, quasi opiniones Rosminii, et Renouvieri prae oculis habuisset, diligenter animadvertit essentiam accidentis relati, sive, ut ait, *respectivi* non constitui ex ordine; seu *respectu*, quem accidens habet ad subiectum, vel fundamentum, per quod in subiecto est, sed ex ordine, quem substantia per ipsum ad aliud habet. « Intelligendum est, inquit, quod « accidentium quaedam sunt absoluta, quaedam respe« ctiva. Vocatur autem ad praesens accidens respecti« vum non ex respectu ad subiectum, vel fundamen« tum, in quo est; quia sic omne accidens est respecti« vum, et nullum absolutum. Sed vocatur respectivum « illud, cuius essentia est ad aliud habitudo, et esse ad « aliud se habere, ut est relatio, et quaecumque inclu« dunt respectum essentialiter [1] ».

Adde his, quod si relatio in ordine praedicati ad subiectum, vel in ordine cuiuslibet rei ad genus suum supremum consisteret, non aliam relationem, quam logicam, dari tenendum foret. Enimvero, tum comparatio praedicati cum subiecto, tum reductio cuiuslibet ad suum genus, uti antea innuimus, nonnisi opus intellectus sunt. Quod ad primam attinet, quaestio circa ea iudicia, quae naturas reales rerum spectant, tantum versatur; si quidem de iudiciis, quae notiones abstractas tantum spectant, nulla dubitatio existere quit. Iam, cum in huiusmodi iudiciis praedicatum τὸ *esse* suum in subiecto re ipsa habeat, liquet intellectum unum cum altero comparare non posse, nisi unum ab altero divisum intelligat. Atqui divisio alicuius obiecti in ea, quae coniuncta re in ipso sunt, non est, nisi opus intellectus. Ergo comparatio praedicati cum subiecto non est, nisi opus intellectus unum

[1]) *Op. cit.*, lib. IV, Dist. XII, q. 1, n. 4.

cum alio comparantis. Apposite s. Thomas : « Formare « enunciabilia est in potestate intellectus nostri [1] ». Quod vero ad secundam, profecto nulla res ad genus suum reduci potest, nisi illud, quod genus constituit, ab iis, per quae genus in ipsa re determinatur, seiunctum intelligatur. Atqui huiusmodi separatio nonnisi opus intellectus esse potest, si quidem genus, qualecumque sit, in rebus, quae ipsi subiiciuntur, nonnisi determinatum existit. Ergo reductio cuiuslibet rei ad suum genus opus quoque intellectus est. Hinc idem Aquinas docuit comparationem, sive, ut recentes aiunt, reductionem hominis ad animal, atque in universum cuiuslibet speciei ad suum genus esse solum relationem rationis, nempe *logicam*. « Est, ait, relatio rationis tantum..., cum « comparat ratio hominem animali, ut speciem ad ge« nus [2] ». Iamvero, si omnis relatio, secundum Rosminium, et Renouvierium, natura sua est solum rationis, nempe logica, liquido patet ipsam nec fundamentum omnium categoriarum, nec unicam, et supremam categoriam esse posse, propterea quod categoriae, cum sint quaedam supremae notiones, quae summa genera rerum repraesentant [3], reale, et obiectivum fundamentum in ipsis rebus habeant, necesse est. Hac argumentatione s. Thomas usus est, ut Philosophos refelleret asserentes omnem relationem esse logicam. Ipse enim observavit relationem, si in intellectu dumtaxat *esse* suum haberet, non fore inter categorias numerandam, quia categoriae non sunt notiones secundae, puta generis, aut speciei, sed notiones primae, quae suprema genera rerum repraesentant. « Se« cundum ergo hanc positionem, ait, sequeretur, quod « relatio non sit in rebus extra animam, sed in solo « intellectu, sicut intentio generis, et speciei, et secun« darum substantiarum. Hoc autem esse non potest. « In nullo enim praedicamento ponitur aliquid, nisi

---

[1]) I, q. XIV, a. 14 c. — [2]) I, q. XXVIII, a. 1 c.
[3]) Vid. pp. 212, et 213, 375, et 376.

« res extra animam existens . . . Si autem relatio non « esset in rebus extra animam, non poneretur *ad ali-* « *quid* genus praedicamenti [1] ».

Inde quoque intelligis opiniones Rosminii, et Renouvierii eiusmodi esse, ut scepticismo, vel saltem idealismo plurimum faveant. Nam, cum primi, et supremi conceptus rerum, prout a Rosminio explicantur, sint logici, et subiectivi, itemque logicus, et subiectivus sit unicus supremus conceptus, ad quem Renouvierius omnes conceptus revocari sensit, oportet logicos quoque, et subiectivos esse reliquos conceptus, quippe qui, quotquot sunt, uni, vel pluribus supremis conceptibus logicis subiiciuntur. At, si omnes conceptus rerum, quos intellectus sibi conficit, sunt logici, et subiectivi, nihil de reali, et obiectiva natura rerum, eorum ope, compertum nobis esse potest. Ergo opiniones Rosminii, et Renouvierii de natura relationis scepticismo, vel saltem idealismo plurimum favent.

Ex hactenus dictis, tamquam corollarium, deduci potest solutio secundae quaestionis a nobis propositae, quae praecipuum caput huius tractationis est, scilicet utrum omnis, an aliqua tantum species relationis categoria sit. Enimvero, si omnis categoria specialem modum significare debet, quo ens in diversis naturis rerum determinatur, consequens est non aliam speciem relationis, nisi quae realis proprie, et stricte dicitur, esse specialem categoriam. Nam, cum in sola relatione reali proprie dicta ambo termini sint reales, et reale utrinque fundamentum sit, per quod unus ad alium refertur, haec sola relatio specialem modum denotat, quo ens in rebus determinatur, illum nempe, per quem substantiae ordinem, sive habitudinem ad aliud habent. Hinc tenendum est cum s. Thoma nullam relationem logicam esse ca-

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. VII, a. 9 c. « Nihil, alibi scribit, « quod est tantum in anima, in genere determinato collocatur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXVI, q. II, a. 1 *sol.*

tegoriam, quia relationes logicae non coarctantur ad ullum certum genus rerum, sed ad omnia genera rerum porriguntur, atque e contrario omnem relationem realem ad specialem categoriam pertinere, quia omnis relatio realis determinatum genus entis denotat [1]. Nec quemquam moveat, quod Logici in tractatu categoriarum de relatione logica disserunt. Nam, cum relatio sit vel realis, vel logica, ad Logicum pertinet utriusque notas investigare, et exponere, ut, quaenam sit germana notio relationis categoriae, definire queat.

His omnibus praestitutis, haud difficile statuere erit germanam definitionem relationis, prout categoria est. Definitionem hic pro descriptione late sumimus. Namque, omnis categoria, uti a cunctis interpretibus observatum fuit [2], cum aliquod supremum genus rerum denotet, nullum supra se genus habet, per quod strictae definitionis capax esse possit. Aristoteles, quem omnium primum, ut diximus, de categoriis data opera scripsisse probabile est, duas definitiones relationis tradidit; unam initio capitis septimi Categoriarum, alteram vero cum ad calcem eiusdem capitis, tum in capite decimoseptimo libri quarti *Metaphysicae*.

In priori loco relata definivit hunc in modum: « Ad « aliquid ea dicuntur, quaecumque id, quod sunt, alio- « rum esse dicuntur, vel quocumque alio modo referun- « tur [3] ». Interpretes tam graeci, quam latini existimarunt Aristotelem priori commate huius descriptionis relata innuisse, quae cum alio in genitivo conferuntur; poste-

---

[1]) « Dicendum, quod omnis relatio realis est in genere deter- « minato, sed relationes non reales possunt circuire omne ens »; *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXI, a. 1 ad 3.

[2]) « In his, ait Boëtius (quem, omnium instar, laudamus), « quae generalissima genera sunt, diffinitio quaeri non debet, sed « descriptio quaedam naturae, non enim potest inveniri diffinitio « eius rei, quae genus ipsa sit, et quae genus nullum habeat »; *Op. cit.*, lib. III, p. 172, et 173 ed. cit.

[3]) *Categ.*, c. 8, ed. et vert. Bekker.

riori autem relata, quae cum alio conferuntur in alio quocumque casu, vel etiam sine ullo casu. Vnde ista descriptio, eorum sententia, hoc sibi vult, relata esse, quae aut in genitivo, aut in quocumque alio casu, aut etiam sine casu cum alio continentur : Re vera, hanc varietatem in relatis cernere licet. Nonnulla enim cum alio conferuntur in genitivo, puta pater est filii pater, aut dominus est servi dominus: alia in dativo, uti simile est simili simile, aut aequale est aequali aequale; alia in accusativo, sed plerumque cum praepositione, e. g. magnum est ad parvum magnum ; alia cum ablativo, puta maius est minore maius ; alia denique sine casu, sed per adverbia ante, post, supra, infra, aliaque id genus [1]. At vero, idem Stagirita, quandoquidem advertit esse partes substantiae, quibus illa definitio convenit, puta caput, quod alicuius caput est, et manus, quae manus alicuius est, novam definitionem concinnavit, ne accidens, cuiusmodi relatio est, cum substantia, aut parte substantiae confunderetur. Itaque ait non omnia dicenda esse relata, quae id, quod sunt, quomodocumque ad aliud referuntur, sed potius ea, quorum τὸ *esse* in eo positum est, ut ad aliquid quodammodo se habeat. « Si quidem ad aliquid, ait, sunt, quorum essentia ni« hil est aliud ; quam ad aliquid modo quopiam esse « affectum [2] ». Hac descriptione nec caput, nec manum, nec aliam partem animalis includi perspicuum est. Nam, quamvis caput dicatur aliquo modo esse alicuius caput; tamen eius natura tota posita in eo non est, ut ad aliud se habeat, quia caput, manus, ceteraeque partes animalis

[1]) Nominativus, sive casus rectus ad indicandam relationem nunquam adhibetur, quippe quod rectus, uti Albertus M. advertit, ordinem ad alium rectum non denotat. « Quod autem, inquit, nun« quam sub recto ad rectum fit convertentia, ratio est: quia rectus « ad rectum non ponit transitum, sive diversitatem, quam sem« per exigunt relativa, sed rectus ad obliquum notat diversita« tem. . . Mutationis etiam casuum causa est multitudo habitu« dinum in casibus diversis assignatarum »; *Op. cit.*, ibid., c. 6.

[2]) *Op. cit.*, ibid.

non ex vi, et natura sua, sed, prout partes sunt, animalis esse dicuntur.

Iam, de duabus hisce descriptionibus relationis, quas Aristoteles exposuit, nonnihil inter Philosophos decertatum est. Non defuere, qui contenderent eum primo falsam definitionem relationis tradidisse, deinde, postquam ipsam substantiae, aut partibus eius quoque convenire advertit, novam proposuisse, quae veram notionem relationis complectitur. Horum numero Bonghius nuperrime se adiunxit. Stagirita enim, eius iudicio, in primis *criterium* relationis ex grammatica sumsit, quia relata per omnes casus obliquos significari posse demonstravit; verum, cum perspexisset non posse inter relata recenseri ea genitiva, quae substantiam efficiunt integram, sive, ut Bonghius scribit, *complent*, ad *criterium essentiae*, hoc est, ad id, quod eius essentiam patefacit, confugit, et priori descriptioni aliam suffecit, quam deinceps in *Metaph.* persecutus fuit [1].

At vero, fere omnes veteres Interpretes *Organi* putarunt Aristotelem principio explicuisse descriptionem relationis aetate sua vulgatam, quam Boëtius [2], et David Armenus [3] Platoni tribuunt, relataque enumerasse, quibus illa convenit; post vero, detectis absurdis, quae admittenda forent, si pro descriptione relationis stricte sumtae intelligeretur, novam condidit, eaque germanam notionem relationis contineri ostendit.

Scholastici mediae aetatis, quique eorum vestigia secc. XVI, et deinceps pressere, utramque descriptionem retinentes, contendebant Aristotelem priori descriptione, quae communis Philosophis erat, ea relata designasse, quorum τὸ *esse* quovis modo alterius dicitur, posteriori autem ea, quorum τὸ *esse* omnino alterius est; sed, quandoquidem relata proprie accepta ea sunt, quorum tota essen-

---

[1]) *Op. cit.*, lib. V, c. 15, p. 293, not. (1).
[2]) *Op. cit.*, lib. II, p. 155, Basileae 1546.
[3]) *Schol.*, ed. Brandis, p. 61, a. 3 et 10, ed. cit.

tia in quodam ordine ad aliud consistit, eum posteriorem descriptionem, veluti illam, quae veram notionem relationis exhibet, priori praetulisse. Inde originem habuit illa trita apud eosdem Scholasticos divisio relatorum in relata *secundum dici*, et relata *secundum esse*. Hanc interpretationem inter nuperos Barth. Saint-Hilaire amplexus esse videtur, quippe qui censuit Stagiritam in primis descripsisse relata *communia*, nempe ea, quae quovis modo ordinem ad aliud habent, post vero relata *propria*, scilicet ea, quae tota natura sua ad aliud referuntur [1].

Nos in primis contendimus divisionem relationis in relationem *secundum dici* et *secundum esse*, quam Scholastici inculcarunt, esse et veritati consentaneam, et ad categoriam relationis a quavis relatione late sumta discernendam valde utilem. Prior relatio est aliquid absolutum, quod quidam ordo ad aliud consequitur, ita ut ipsa in primis, sive ut aiunt, *primario* accidens absolutum, deinde, sive *secundario* quemdam ordinem, seu habitudinem ad aliud denotet. Huiusmodi relatio, e. g., est scientia : haec enim in primis denotat qualitatem in subiecto, in quo est, quia subiectum *quale*, nempe *sciens* efficit ; deinde ordinem quemdam ad obiectum scibile, quia scientia nec intelligi, nec significari potest, quin aliquid scibile intelligatur, et significetur [2]. Idem dictum putato de parte comparata ad totum, et, ne plura dicamus, de movente ad motum comparato. Posterior relatio non est aliud, quam ipse ordo, sive habitudo unius ad alterum, ita ut, annotante Waitzio, « non « sint, nisi quatenus referantur ad alia [3] ». E. g. paternitas non denotat aliquid, quod absolute inest patri, sed aliquid, per quod pater ad filium ordinem habet. Hanc divisionem relationis s. Thomas breviter innuit his verbis:

---

[1]) *La logique d' Aristote*, part. 2, sect. 1, p. 106, et 107 ed. cit.

[2]) « Scientia, s. Thomas scribit, in quantum scientia, refertur « ad scibile, sed in quantum est accidens, vel forma, refertur « ad scientem »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 4 ad 9.

[3]) *Op. cit.*, ibid. p. 301.

« Dicendum, quod relativa quaedam (*nomina*) sunt impo-
« sita ad significandum ipsas habitudines relativas, ut
« Dominus, et servus, pater et filius, et huiusmodi, et haec
« dicuntur relativa secundum esse. Quaedam vero sunt
« imposita ad significandas res, quas consequuntur quae-
« dam habitudines, sicut movens, et motum, caput, et
« capitatum, et alia huiusmodi, quae dicuntur relativa
« secundum dici [1] ».

Ad eamdem divisionem relationis procul dubio Albertus M. digitum intendit, quando scripsit relatorum quaedam esse, quae *principaliter* non significant τὸ *esse*, quod quemdam ordinem ad aliud habet, sed substantiam, quae per ea quemdam ordinem habet ad aliud [2], quaedam vero, quae *principaliter* significant τὸ *esse*, quod ad aliud ordinem habet [3]. Re vera s. Thomas, quasi magistri sui doctrinam evolvens, illa esse relata *secundum dici*, haec autem relata *secundum esse* docuit. « Aliquando, inquit,
« nomen imponitur ad significandam ipsam habitudinem,
« sicut hoc nomen *Dominus*, et huiusmodi, quae sunt re-
« lativa secundum esse... Aliquando autem nomen impo-
« nitur ad significandum illud, super quod fundatur habi-
« tudo, sicut hoc nomen *scientia* significat qualitatem, quam
« consequitur respectus quidam ad scibile. Vnde ista talia
« non sunt relativa secundum esse, sed solum secundum
« dici. Vnde ista principaliter dant rem alterius prae-
« dicamenti, et ex consequenti important relationem [4] ».

---

[1]) I, q. XIII, a. 7 ad 1. Cf eumdem, *Qq. dispp.*, *De Verit.*, q. XXI, a. 6 c.; et s. Bonaventuram, *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIX, a. 1, q. 2 *ad arg.*

[2]) . . . quaedam enim (*relativa*) connotant cum principali signi-
« ficatione modum relativorum, et non secundum veritatem. . .
« Et sic caput, et manus connotant id, quod dicitur ad aliquid:
« principali autem significatione dicunt substantiam »; *Op. cit.*, ibid., c. 8.

[3]) « Ea autem, quae sunt ad aliquid, in principali significatione
« dicunt id, quod suum principale esse est ad aliquid, et esse suum
« habet ab eo, ad quod est, et non a seipso, nec in seipso, sicut
« pater, et filius, et dimidium, et huiusmodi »; *ibid.*

[4]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, I, q. a. 2 *sol.*

S. Augustinus, qui ante laudatos Doctores hanc divisionem relationis inculcaverat, sapienter animadvertit inter utriusque generis relata illud interesse, quod priora semper aliquam mutationem exquirunt in subiecto, de quo dicuntur, posteriora autem subiecto, sine ulla mutatione eius, tribuuntur. Vnde illa accidentia relativa proprie vocavit, haec vero accidentia, quae relative dicuntur. « Ea, inquit, sunt accidentia relativa, quae « cum aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, ac- « cidunt. Sicut amicus relative dicitur; neque enim es- « se incipit, nisi cum amare coeperit: fit ergo aliqua « mutatio voluntatis, ut amicus dicatur. Nummus autem « cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mu- « tatus est, cum esse coepit pretium; neque cum di- « citur pignus, et si qua sunt similia [1] ».

Praeterea, asserimus relationem *secundum esse* esse categoriam proprie sumtam, scilicet illam, quae inter categorias numerari meretur. Enimvero, inter categorias illa relatio numerari meretur, quae natura, sive essentia sua specialem modum significat, quo ens in rebus determinatur. Atqui huiusmodi est relatio *secundum esse*, non vero relatio *secundum dici*. Nam relatio *secundum dici*, uti ex dictis patet, accidentibus convenit, quae natura, sive essentia sua absolute subiectis suis insunt, et nonnisi consequenter subiecta sua ad aliud referunt; relatio autem *secundum esse* iis convenit, quorum « es- « se, uti Aristoteles ait, est ipsum ad aliud se habe- « re, τὸ εἶναι ταὐτὸν ἐστιν τῷ πρὸς τί ἔπως εχειν [2] ». Igitur sola relatio *secundum esse* est relatio proprie sumta, ideoque illa, quae inter categorias locum habet. Id, ni fallimur, s. Augustinus sibi voluit, cum in loco nuper allato ca dumtaxat accidentia relativa vocavit, quae subiecto, non sine aliqua mutatione eius, conveniunt, hoc est, quae relativa *secundum esse* sunt.

Ex his 1° nullo negotio perspicis sola definitione, seu

---

[1]) *De Trin.*, lib. V, c. 16, n. 17.—[2]) *Categ.*, c. cit., p. 102, ed. cit.

descriptione, quam Stagirita secundo loco tradidit, veram, perfectamque notionem relationis, ut post Simplicium, aliosque veteres nuper Waitzius quoque observavit, contineri. Nam prior definitio, cum non solum ea, quae secundum esse [1], sed etiam ea, quae quovis modo ad aliud referuntur, complectatur, facultatem nobis non praebet distinguendi relata proprie dicta ab iis, quae communiter, seu late relata dicuntur. Quod quidem ipsemet Aristoteles nos monuit; si quidem priori definitione relata ἀφωρισμένως, nempe *indeterminate*, posteriori autem οὐκ ἀορίστως, nempe *non indeterminate*, cognosci dixit [2].

2° Illud quoque videre potes, discrimen inter duas definitiones aristoteleas relationis repetendum non esse ex diversitate *criteriorum*, quorum ope Aristoteles diversos modos relationis enumeravit, uti Bonghio visum est, sed ex diversitate relatorum, ad quae ipsae spectant [3]. Quod si quaeras, cur Stagirita in enumerandis, explicandisque relatis, quae priori descriptione continentur, casus adhibuerit, scito relata *secundum dici*, uti s. Bonaventura observavit [4], secus ac relata *secundum esse*, de subiecto praedicari, quippe quod illa *principaliter* substantiae inhaerent, et consequenter quemdam ordinem ad aliud habent, haec vero, etsi substantiae inhae-

---

[1]) « ... prima definitio non assignabat quidditatem eorum, quae « sunt ad aliquid. Secunda vero substantiam eorum determina« vit »; *Op. cit.*, fol. 36 *verso*, col. 1, ed. cit.

[2]) En eius verba: « Si quidem prior definitio conveniet omnibus, « quae sunt πρὸς τι, et praedicari de iis poterit, neque tamen natu« ram eorum ita exprimit, ut satisfactum sit iis, quae ad perfe« ctam definitionem requirantur »; *Op. cit.*, t. I, p. 301.

[3]) *Op. cit.*, ibid. Vid. Saint-Hilaire, *Op. cit.*, ibid., p. 100, et 101.

[4]) « Dici relative est dupliciter, vel secundum esse, vel secun« dum dici. Secundum dici, ut videns ad visum, et intelligens ad « intellectum, et sic unum de altero praedicatur: secundum es« se, ut pater ad filium, et sic non praedicatur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIV, a. I, q. 2 *ad arg.*

reant, tamen *principaliter* ad aliud referuntur. Quapropter Aristoteles priora relata ex diversitate casuum obliquorum et facilius cognosci, et commodius explicari posse duxit. Neque hoc Stagiritae insuetum est, quippe qui grammaticam, uti diximus, tanquam fontem secundarium logicae, adhibuit. Quod quidem Albertus M. in hunc locum *Organi* advertere haud praetermisit. « Dicendum, quod secundum quod huiusmodi habitu- « dines ex diversa fiunt constructione, considerat eas « grammaticus: secundum autem, quod voces in hoc si- « gnificant diversas rerum praedicationes, et praedica- « bilium modos, eas habet considerare logicus [1] ».

Quae omnia cum ita se habeant, inde patet relationem, prout specialis categoria est, definiri, vel, ut stricte loquamur, describi posse *modum accidentalem essendi, cuius ratio, sive essentia in ordine, sive habitudine ad aliud consistit.* Hanc definitionem, ne cunctos Doctores nominemus, accepimus a s. Thoma, qui breviter ait: « Ra- « tio autem relationis est, ut referatur ad alterum [2] », necnon ab Henrico Gandavensi, qui scripsit relationem significare « rem, cuius esse est in aliquo in respectu ad « aliud [3] », atque alibi: « ratio enim relationis est ad « aliud esse [4] ». Hi vero secuti sunt ducem s. Augustinum, et s. Ioannem Damascenum. Quorum prior inquit: « Haec propinquitatis sunt nomina, non naturae, et ideo « ad aliquid, vel relativa dicuntur [5] »; posterior autem: « Hoc igitur est ex eorum esse numero, quae sunt ad « aliquid, estque haec ipsorum essentia, ut ad alterum « dicantur [6] ».

Diximus in primis relationem esse *modum accidentalem*, nempe quoddam accidens, duabus ex causis. Scilicet 1° ut categoriam relationis a categoria substantiae

---

[1]) *Op. cit.*, tract. cit., c. 6.
[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. II, q. 1 a. 5 *sol.*; cf p. 546.
[3]) *Op. cit.*, art. XXXII, q. V, n. 24.
[4]) *Ibid.*, art. LV, p. VI, n. 12.—[5]) *Epist.* CLXX, n. 6.
[6]) *Dialect.*, c. L.

distingueremus. Re vera, relatio non potest aliter intelligi, quam veluti quoddam accidens. Namque intellectus intelligere non potest ullam rem secundum aliquem suum modum essendi ordinem ad aliam habere, nisi intelligat in ea aliquid *esse* per se, quod secundum aliquem suum modum essendi ita est comparatum, ut ad aliud referatur. Atqui illud *esse*, quod est per se, veluti substantia, et illud *esse*, quod substantiae addi, ab eaque pendere intelligitur, veluti accidens substantiae intelligitur. Ergo relatio, nonnisi tamquam accidens substantiae, intelligi potest. . . « In nobis, s. Thomas inquit, relationes habent es- « se dependens, quia earum esse est aliud ab esse substan- « tiae, unde habent proprium modum essendi secundum pro- « priam rationem, sicut et in aliis accidentibus contingit [1] ».

2° Ne relationes rerum creatarum cum relationibus personalibus confunderentur, quas in Deo esse Ecclesia Catholica Sacrarum Litterarum testimoniis, et ss. Patrum traditione innixa nos edocet. Re vera, relationes personales, quae in Deo sunt, non sunt accidentales, cuiusmodi sunt relationes rerum creatarum, sed *substantiales*, quippe quod, cum *esse* relationis personalis in Deo ab essentia Dei non distinguatur, relatio personalis in Deo, aliter ac in rebus creatis evenit, non habet se ad essentiam, sicut accidens ad subiectum, sed sicut idem ad idem, sive, ut s. Thomas refert, *per modum identitatis*. « In aliis realibus relationibus, subdit sanctus Doctor, in « creaturis existentibus est aliud esse relationis, et sub- « stantiae, quae refertur; et ideo dicuntur inesse; et, se- « cundum quod insunt, compositionem faciunt acciden- « tis ad subiectum; quod non convenit in divinis rela- « tionibus [2] »; atque alibi: « In rebus creatis comparatur « relatio ad absolutum sicut accidens ad subiectum; non « autem in Deo sic, sed per modum identitatis, sicut « est et de aliis, quae de Deo dicuntur [3] ».

---

[1]) *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14.
[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, q. I, a. 1 *sol.*
[3]) *Cont. Gent.*, loc. cit.

Illud etiam hoc in loco monere e re est, relationes Creatoris, Conservatoris, aliasque, quae Deo ob creationem, conservationem, et gubernationem in tempore conveniunt, si substantiales non sunt, ne *accidentales* quidem dici posse. Etenim, cum illae sint relationes rationis in Deo, et reales solum in rebus ab Eo creatis, non in Deo, sed in rebus creatis aliquem novum *modum essendi*, seu *mutationem* denotant, ob quam de Deo dici incipiunt. Audiatur s. Augustinus: « Quod ergo « temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dice- « batur, manifestum est relative dici: non tamen secun- « dum accidens Dei, quod Ei aliquid acciderit, sed pla- « ne secundum accidens eius, ad quod dici aliquid Deus « incipit relative [1] ». Ex quo intelligis quoque huiusmodi relationes, perinde ac reliquas categorias [2], non dici de Deo, prout categoriae sunt, sed ex ea parte solum, quatenus aliquid perfectionis denotant. Scilicet de Deo dicuntur, non quatenus relatio specialem modum essendi denotat, qui substantiae, tanquam accidens, inhaeret, sed quatenus per relationem unum ad aliud se habet. Id nos monuit s. Thomas, ubi nonnullis Boëthium omnem relationem a Deo amoliri obiicientibus respondit: « Dicen- « dum, quod ad aliquid dicitur omnino non praedica- « ri in Deo secundum propriam rationem eius, quod

---

[1]) *De Trinit.*, lib. V, c. 16, n. 17. Piaculum foret verba praeterire, quibus s. Thomas citatum locum s. Augustini explicuit: « Di- « cendum, quod huiusmodi relationes, cum de Deo dici incipiant « propter mutationem in creatura factam, patet quod causa, qua- « re de Deo dicantur, est ex parte creaturae, et per accidens de « Deo dicuntur. Non quidem accidens, quod in Deo sit, ut Augu- « stinus dicit, sed secundum aliquid extra ipsum existens, quod « ad ipsum accidentaliter comparatur. Non enim esse Dei a crea- « tura dependet, sicut nec esse aedificatoris a domo. Vnde sicut « accidit aedificatori quod domus sit, ita Deo, quod creatura. Om- « ne enim dicimus per accidens se habere ad aliquid, sine quo il- « lud esse potest »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 8 ad 6. Cf s. Bonaventuram, *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, part. 1, art. II, q. 1 *ad arg.*

[2]) Vid. pp. 401, et 402.

« dicitur ad aliquid, inquantum scilicet propria ratio « eius, quod ad aliquid dicitur, non accipitur per com- « parationem ad illud, cui inest relatio, sed per re- « spectum ad alterum; non autem per hoc excludere « voluit, quod relatio non esset in Deo, sed quod non « praedicaretur per modum inhaerentis secundum pro- « priam relationis rationem, sed magis per modum ad « aliud se habentis [1] ».

Praeterea adiecimus, *cuius ratio, sive essentia in quodam ordine ad aliud consistit*, ut significaremus essentiam relationis non ex eo constitui, quod esse eius est in subiecto, sed ex eo, quod subiectum per esse eius ad aliud refertur. Et sane, cum mente reputamus relationem *esse* suum in substantia, tamquam in subiecto, habere, non aliud intelligimus, quam eius essentiam esse accidentalem, hoc est relationem esse unum ex accidentibus. At vero, cum consideramus *esse*, quod relatio in substantia, tamquam in subiecto, habet, efficere, ut substantia, ordinem ad aliud habeat, intelligimus *esse* accidentis, quod relatio dicitur, in eo ab *esse* ceterorum accidentium differre, quod illud non solum in substantia, veluti in subiecto, insit, sicut cetera accidentia, sed etiam efficit, ut substantia, in qua inest, ad aliud referatur [2]. Atqui id, quo unumquodque a ceteris, quae ad idem genus, vel ad idem analogum pertinent, distinguitur, essentiam eius constituit. Essentia igitur, sive, ut dici solet, ratio relationis non in eo, quod substantiae inest, sed in eo, quod substantia per *esse* ipsius ad aliud refertur, consistit. Peropportuna ad hanc rem sunt

---

[1]) I, q. XXVIII, a. 1 ad 1.

[2]) En locum s. Thomae, ex quo argumentationem nostram confecimus: « Si consideremus etiam in rebus creatis relationes se- « cundum id, quod relationes sunt, sic inveniuntur esse assisten- « tes, non intrinsecus affixae, quasi significantes respectum quo- « dammodo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit « in alterum. Si vero consideretur relatio, secundum quod est ac- « cidens, sic est inhaerens subiecto, et habens esse accidentale in « ipso »; I, q. XXVIII, a. 2 c.; cf p. 575 sqq.

pauca verba, quibus s. Thomas secundum descriptionem aristoteleam relationis explicuit: « *Ad aliquid sunt*, « *quorum esse est ad aliud se habere*, intelligitur de « esse, quod est quidditas rei, quae diffinitione significatur: quia ipsa natura relationis, per quam constituitur in tali genere, est ad aliud se habere, et non intelligitur de esse, quod est actus essentiae, hoc enim « esse habet relatio ex his, quae causant ipsam in subiecto, secundum quod esse non refertur ad aliud, « sed ad subiectum, sicut et quodlibet accidens [1] ». Non minus clara, immo fortasse clariora sunt hac de re verba Henrici Gandav.; hic enim, postquam dixit, uti vidimus, relationem significare « rem, cuius esse est in ali« quo in respectu ad aliud » illico subdit: « In quo « non est eis proprium, quod significant rem aliquam, « hoc enim est omnibus aliis praedicamentis commune, « neque quod significant rem, cui convenit esse in alio, « hoc enim convenit omnibus accidentibus, sed solum eis « est proprium, quod esse in ordine ad aliud significant [2] ». Ante hosce Doctores fere eiusdem aetatis Albertus M. idem saepe insinuavit; si quidem luculenter asseruit essentiam relationis consistere in eo, quod est ad aliud [3], atque, uti alibi scribit, in *dependentia* quadam ad aliud [4].

Ad perfectam, absolutamque cognitionem categoriae relationis assequendam quasdam proprietates terminorum, inter quos ipsa intercedit, exponamus oportet. Nam, quandoquidem omnis relatio duos terminos necessario expostulat, atque ex horum natura vis eius efficitur,

---

[1]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1 ad 1. Cf eiusdem Doctoris ll. citt. *passim*.

[2]) *Op. cit.*, art. XXXII, q. V, n. 24.

[3]) « . . . eorum, quae sunt vere ad aliquid, esse, et quidditas « est ad aliquid »; *Op. cit.*, c. 9.

[4]) « . . . esse autem et quidditas relationis non est esse absolu« tum, et quidditas absoluta . . . sed sicut ens dependens, et quod « plus est, sicut dependentia quaedam ad aliud »; *ibid.*

nemo non videt nos non posse categoriam relationis omnino cognoscere, nisi illas proprietates, quae ad eam, prout notio logica est, pertinent, perspectas habeamus.

Vt vero hae proprietates intelligantur, advertamus necesse est cum Alberto M. terminos, inter quos relatio intercedit, *materialiter* vel *formaliter* posse considerari. Et sane, in terminis relatis caute distinguere oportet *esse*, quo ipsi *simpliciter* sunt quaedam res, ab *esse*, quo sunt res relatae; si quidem, cum relatio sit accidens, per quod res, cui inhaeret, ad alteram rem refertur, profecto aliud in re relata est *esse*, quo ipsa *simpliciter* est, aliud vero *esse*, quo ad alteram rem refertur. Iamvero, *esse*, quo terminus relatus simpliciter est, *materiam* relationis, et *esse*, quo ad aliud refertur, *formam* eius constituit, quia aliqua res est terminus relatus non propter *esse*, quo simpliciter est, sed propter *esse*, quo ad aliam rem refertur. Igitur termini, inter quos relatio intercedit, *materialiter*, vel *formaliter* considerari queunt [1]. Ita, si Petrum, qui est Pauli pater, spectes, non prout est pater Pauli, sed prout hic homo est, patrem Pauli *materialiter* spectas; sin Petrum consideres, non prout hic homo est, sed prout genuit Paulum, patrem Pauli formaliter consideras, quia Petrum secundum relationis formam, quam, generationis gratia, habet, consideras, nempe *paternitatem*. Quod si res sunt termini relati ob formam relationis, quae ipsis inest, consequens est illas proprietates terminorum relatorum hoc in loco inquirendas nobis esse, quae ipsis formaliter consideratis conveniunt.

Iam, perspicuum in primis est terminos relationis eiusmodi esse, ut conceptus unius conceptum alterius, et vicissim expostulet. « Ea, s. Augustinus subdit, quae relativa

---

[1]) « . . . scibile quidem, et sensibile, Albertus M. ait, possunt « accipi secundum hoc quod stant in esse substantiali, vel secun- « dum hoc quod stant sub forma scientiae, et sensus: et hoc est « dicere, quod possunt accipi materialiter, vel formaliter »; *Op. cit.*, ibid. c. 7.

« dicuntur, ad invicem dicuntur [1] ». Re vera, quoniam essentia relationis in ordine ad aliud consistit, consequitur terminum, tanquam relativum, non posse intelligi, nisi tamquam ordinem ad aliud habens intelligatur, quia unaquaeque res, uti saepe ex s. Thoma innuimus, per propriam essentiam cognoscitur. Atqui intelligi non potest unum ad aliud ordinem habere, nisi hoc aliud, ad quod ordinem habet, intelligatur. Ergo intelligi nequit unus terminus relatus, nisi et alter intelligatur. Quod idem valet, ac si dicas conceptum unius termini relati a conceptu alterius non posse seiungi, et vicissim. Audi Aquinatem: « Dicendum, quod propria cognitio uniuscuiusque rei est « secundum quod cognoscitur per propriam rationem. « In cognoscibilibus autem quaedam sunt, quae non « habent propriam rationem absolutam, sed ex alio de- « pendentem, sicut est in relativis [2] ».

Ex hoc facile colligitur 1° in definitione unius termini relati alterum necessario includi. Nam, quemadmodum Scotus arguit, definitio essentiam rei definitae explicare debet. Atqui essentia termini relati in ordine, seu respectu ad alium terminum est. Ergo in definitione unius termini locum habere debet alter terminus, ad quem terminus, qui definitur, ordinem habet. Ita pater dicitur, qui genuit filium, et filius dicitur, qui a patre genitus est. En verba Doctoris Subtilis, quibus hoc argumentum continetur: « . . . definitio indicat esse essen- « tiale definiti: igitur definitio relativi debet indicare « suum esse se habere ad aliud, quod non potest, nisi « in ea ponatur correlativum ipsius definiti [3] ». 2° Vtrumque terminum relatum per alterum definiri. Quod, duce Alberto M., in promptu est evincere hunc in modum: Relatio, cuiuscumque generis sit, non est aliud, quam ordo, sive habitudo unius termini ad alterum. Iam, quoniam illud, quod ordinem ad aliud habet, ab eo,

---

[1]) *De Trin.*, lib. VII, c. 1, n. 2.—[2]) *Quodlib.* XI, a. 2 c.
[3]) *Super Praedicam.*, q. XXVIII, *Opp.* t. I, p. 163 ed. Wadding.

ad quod ordinem habet, quodammodo pendere, et determinari intelligitur, inde patet in omni relatione duo esse consideranda, scilicet ordinem unius termini ad alterum, et determinationem huiusmodi ordinis, quam unus terminus ab eo, a quo pendet, habet. Horum duorum primum constituit *genus* relationis, alterum *differentiam*; si quidem illud, per quod aliquid determinatur, *differentiae* officio fungitur, atque illud, quod *differentia* determinat, *genus* vocatur. Atqui quaelibet res per genus, et differentiam definiri debet. Necesse igitur est, ut unum relatum per reliquum, sive mavis dicere, omne relatum per correlatum definiatur [1].

Itaque statuere cum eodem Alberto M. nobis licet: 1° omne relatum definiri ad alterum, quia, cum *esse* omnis relati sit ad aliud, unius terminus definitionem alterius necessario ingredi debet; 2° unum relatum per alterum definiri, quia natura cuiusque relati a natura termini, ad quem refertur, efficitur [2]. Quocirca Stagirita sapienter asseruit vere et proprie dicta relata ea esse, quorum, cum unum *definite*, οὐκ ἀορίστως, nempe, interprete Alberto M. [3], *per veram definitionem* cognoscatur, cognoscitur et alterum [4].

Praeterea, indubium est terminos, inter quos relatio, prout categoria est, intercedit, esse simul natura. Re vera, quoniam relationis, prout categoria est, ambo termini sunt reales, necesse est, ut in unoquoque terminorum sit aliquod *esse*, per quod ad alterum refertur. Iam,

---

[1]) « Dicendum, quod uniuscuiusque rei debet esse diffinitio se-« cundum modum quidditatis ipsius: esse autem, et quidditas re-« lationis non est esse absolutum, et quidditas absoluta, nec ex ge-« nere, et differentia constituitur, sicut ens absolutum, sed sicut « ens dependens, et quod plus est, sicut dependentia quaedam ad « aliud, et dependentia est ei pro genere, et correlativum, ad « quod est sibi est pro differentia finiente ipsum, ut actu sit re-« lativum »; *Op. cit.*, c. 9.

[2]) « . . . et ideo sic non per ipsum, sed ad ipsum diffinitur, si-« cut in esse, et quidditate est ad ipsum: et hoc modo utrumque « diffinitur per reliquum »; *ibid.*

[3]) *Ibid.*—[4]) *Categ.*, c. cit. p. 102, et 103 ed. cit.

si quilibet terminus non est relatus, nisi prout ad alterum refertur, atque in relatione, prout categoria est, unusquisque terminus per *esse* suum reale ad alterum refertur, consequens est non posse unum poni, quin ponatur et alterum, nec unum tolli, quin alterum simul tollatur. Ita, si est, qui dicitur pater, oportet etiam esse, qui dicatur filius, et, si est, qui dicitur filius, necesse est patrem aliquem esse; pariterque, si pater non est, non erit filius, et, si non est filius, nec erit pater [1]. Contra ea, si termini relati eiusmodi sunt, ut unus sit realis, alter logicus, quemadmodum in relatione non mutua evenit, ipsi procul dubio non sunt simul natura. Namque ea relata, uti ex dictis patet, simul natura non sunt, quorum, posito alterutro, necesse non est et alterum poni. Atqui in relatione non mutua, posito termino logico, necesse non est, ut realis simul ponatur, quia, cum *esse*, per quod terminus logicus ad realem refertur, non sit reale, sed logicum, nempe ens rationis, hoc posito, necesse non est, ut realis ponatur. Ergo terminos, inter quos relatio non mutua intercedit, simul natura non esse manifestum est. Id exemplis cum scientiae, et scibilis, tum sensus, et sensilis, quorum relationes non sunt mutuae, secundum Stagiritam [2] declarare in promptu est. Enimvero ea relata non sunt simul natura, quorum uno sublato, tollitur alterum, sed, eo posito, necesse non est, ut alterum ponatur. Atqui, sublato scibili, scientia tollitur, quia scientiam sine re, quae scitur, esse repugnat; posito autem scibili, necesse non est poni scientiam, quia aliquid posset sciri, quin sit quispiam, qui illud sciat. Item, sublato sensili, haud possibile est ul-

---

[1]) Hinc iure optimo Prudentius Sabellio obiecit eum negare Deum esse patrem, cum Christum esse filium negaret. Sic enim cecinit:

Nonne patrem violas; dum natum scire recusas?
Quandoquidem non est genitor, nisi filius extet:
Nec vocitare Patrem potis es, quem germine fraudas.

Apotheosis, vv. 180-182, *Opp.* vol. I, p. 451, Londini 1824.

[2]) *Op. cit.*, l. cit., p. 100, et 101 ed. cit.

lum sensum esse, quia sensus alicuius rei, qui, uti dicemus, *sensatio* dicitur, sine re, quae sentitur, est notio, quae se ipsam destruit ; at non repugnat esse corpora, quin sit ullum animal, quod ea sentit; quocirca, posito sensili, necesse non est, ut sensus ponatur. Liquet igitur cum scientiam , et scibile , tum sensum , et sensile esse terminos relationum , qui simul natura non sunt. Breviter utrorumque relatorum notiones s. Thomas exposuit his verbis: « Dicendum, quod illa relativa sunt si« mul natura, quae pari ratione mutuo referuntur, sicut « pater ad filium, dominus ad servum , duplum ad di« midium. Illa vero relativa, in quibus non est eadem « ratio referendi ex utraque parte , non sunt simul na« tura , sed alterum est prius naturaliter , sicut etiam « Philosophus dicit (in praedic. ad aliquid) de sensu et « sensibili, scientia, et scibili [1] ».

Idem sanctus Doctor alibi logicum criterium nobis suppeditavit, ex quo facile cognosci potest, utrum duo termini relationis sint simul natura, necne. « Si enim, scribit, unum « (relativum) in sui intellectu claudat aliud, et e converso, « tunc sunt simul natura, sicut duplum, dimidium , et « pater et filius, et similia. Si autem unum in sui intel« lectu claudat aliud, et non e converso, tunc non sunt « simul natura: et hoc modo se habent scientia, et scibi« le [2] ». Sapienter quidem. Nam conceptus unius rei conceptu alterius continetur, quoties una illa res ad essentiam alterius pertinet, quia conceptus rei, uti alias videbimus, ea complectitur, quae ad essentiam rei pertinent. Atqui, si unus terminus relationis ad essentiam alterius pertinet, et vicissim, necesse est, ut, posito uno, ponatur alter, et, uno sublato, alter tollatur; si quidem, sicut impossibile est esse rem sine iis omnibus, quae essentia eius expostulat, ita impossibile est, destructa re , aliquid

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 8 ad 1. Cf Scotum, *Super Praedicam.*, q. XXVII.

[2]) I, q. XIII, a. 7 ad 6.

de essentia eius remanere. Oportet igitur simul esse natura illa relata, quorum conceptus unius conceptum alterius includit, et vicissim. Contra ea, si conceptus unius termini relationis conceptu alterius continetur, et non vicissim, liquet terminum, cuius conceptus conceptu alterius non continetur, ad huius essentiam non pertinere, ob idque, uti ex ratione modo allata facile colligitur, necesse non esse neque ut, illo posito, hic quoque ponatur, neque ut, hoc destructo, ille etiam destruatur. Quocirca illa relata, quorum conceptus unius conceptu alterius continetur, et non vicissim, simul natura non sunt. Iam, quoniam in sola relatione reali mutua, hoc est, in illa, quae categoria est, conceptus unius termini conceptum alterius complectitur, et vicissim, solius relationis, quae categoria est, terminos esse simul natura concludendum est.

At vero, duo digna sunt, quae hic adnotentur. Et primo, nos modo diximus relatorum alia esse, alia vero non esse simul natura; verum, hic adiicimus, si relata, prout relata sunt, considerentur, ea cuiuscumque generis sint, esse simul natura. Enimvero, quoniam essentia relationis in universum spectata in ordine unius ad aliud consistit, sequitur non posse ullum terminum relationis intelligi tanquam relatum, nisi quendam ordinem ad alterum terminum *actu* habere intelligatur. Iam, intelligi non potest unum terminum ordinem ad alterum *actu* habere, nisi intelligatur esse simul natura cum eo. Ergo, quaecumque sit natura relationis, terminos eius, prout relati sunt, simul natura esse oportet. Id Albertus M. nos docuit his verbis: « Attendendum au-
« tem quod omnia relativa, sicut dictum est, sunt.
« Simul natura secundum quod sunt relativa, quam-
« vis non sint simul secundum quod simpliciter sunt,
« sunt enim relativa ea, quae sunt prius et posterius, quae
« quidem secundum esse suum nunquam possunt simul
« esse, tamen prius in ratione prioris simul est cum eo,
« quod eo est posterius in ratione posterius; et hoc mo-

« do posita se ponunt, et perempta se perimunt [1] ». Exemplum ex scibili, et sensibili attulit, quae relata logica sunt. Postquam enim monuit, uti ante vidimus, utrumque accipi posse vel *materialiter*, vel *formaliter*, adiecit : « Si accipiuntur materialiter, tunc scibile praecedit scientiam, et sensibile sensum, sicut in antehabitis dictum est: quia scibile est causa scientiae, et sensibile causa est sensus secundum actum facti. Si autem accipiuntur haec formaliter secundum quod scibile quidem stat sub forma scientiae, sensibile autem sub forma sensus, sic sunt simul natura: et hoc solo modo sunt correlativa, et non aliter [2] ».

Secundo, cum dicitur terminos relationis mutuae esse simul natura, id non est intelligendum de subiectis, in quibus sunt relationes, sed tantum de relationibus, quae in subiectis sunt. Hoc nos s. Thomas monuit in loco, quem, ex q. VII *De pot. Dei*, modo exscripsimus [3]; ibi enim subdit: « Nihilominus non est necesse in illis etiam relativis, quae sunt simul natura, quod subiecta sint naturaliter simul, sed solae relationes ». Aquinati Scotus utrumque pollicem premens, inquit : « .... istae intentiones *prius*, et *posterius*, et causa, et effectus referuntur ad invicem, et sunt simul natura, sed non res, quae subsistunt [4] ». Cuius rei autem Venerabilis Doctor causam ex eo assignavit, quod, cum *esse*, quod subiectum exisitit, ab *esse*, quod ad aliud refertur, re distinguatur, non repugnat ipsum existere, quin aliud, ad quod ordinem habere potest, existat, sed solum repugnat ipsum ad aliud ordinem habere, quin hoc aliud, tanquam terminus eius, existat. En eius verba : « .... relativa sunt simul natura secundum illud esse, quod est eis proprium, in quantum sunt relativa; sed illud non est esse existere, quod hoc accidit eis, in quantum referuntur, et ideo unum relativum potest sic esse, non existente alio [5] ».

---

[1]) *Op. cit.*, tract. c. 7. — [2]) *Ibid.* — [3]) Pag. 606, not. 1.
[4]) *Op. cit.*, q. cit. ad 5. — [5]) *Op. cit.* q. cit.

ARTICVLVS DECIMVS TERTIVS

De categoria qualitatis

Hactenus ea accidentia explicuimus, quae substantiam, prout substantia est, afficiunt ; si quidem , observante Alberto M. [1], quantitas, utpote quae substantiam in partes , ex quibus constat , extendit , ad eam, prout in se est, spectat, et relatio substantiam in ordine , sive habitudine ad aliud ponit. In praesentia illud accidens explicemus oportet, per quod substantia ad operationes suas , sive activas , sive passivas comparatur, quodque ποιότης, *qualitas*, ab Aristotele nuncupatum fuit [2]. De hac autem categoria statim post relationem tractandum esse adeo luculentum est , ut Philosophos id in controversiam adduxisse Boëthius iure, meritoque miratus sit [3]. Si enim , ut hic interpres advertit, nonnulli qualitati ante ipsam relationem locum dandum esse pugnarunt, nemo dubitare potest, quin ipsa saltem ante sex reliquas categorias locum sibi vindicet. Nihilominus , ut omnis dubitatio evanescat, observandum est cum Alberto M. tria priora accidentia , nempe quantitatem , relationem, et qualitatem substantiam ad sex reliqua accidentia in se excipienda comparare, sive , ut B. Doctor ait , *disponere*. Etenim per quantitatem determinatur *esse*, quod illa sex accidentia in substantia, tanquam in subiecto , habent ; puta quanta sit vis, qua substantia aliquid agit, aut patitur (*actio*, et *passio*); quantus sit locus, quem occupat (*ubi*); quantum tempus, in quo permanet (*quando*); quot sint partes corporis, et partes lo-

---

[1]) « Et quia antecedentes tres modi sunt substantiae, ut sub-
« stantia est, ideo prius de ipsis erat agendum. Quia vero quali-
« tas non est substantiae, ut substantia est in seipsa, vel compa-
« rata, sed est ipsius, ut perficitur ad id, quod est agere, et pati,
« propterea hoc quarto loco de hoc praedicamento est agendum »;
Op. cit., tract. V, c. 1.

[2]) De hac categoria egit Aristoteles c. 8, p. 103-110, ed. Waitz.

[3]) In *Praedicam. Aristot.* lib. III *De qualit.*, 172, Basileae 1546.

ci, inter quas quaedam dispositio intercedit (*situs*); quantum tandem sit indumentum, aut ornamentum, quod corpori accommodatur (*habitus*). Per relationem substantia ita afficitur, ut *ubi*, *quando*, *situm*, *habitum* in se suscipere valeat, quippe quod haec quatuor accidentia quemdam ordinem, seu respectum substantiae ad locum, ad tempus, ad partes loci, et ad indumentum, vel ornamentum expostulant. Denique per qualitatem substantia ad agendum, vel patiendum aliquid comparatur, quia ipsa non potest quidquam agere, vel pati, nisi quodam modo sit determinata, seu *disposita*, sive, ut mox videbimus, sit aliquo modo *qualis* [1]. Hinc, ut idem Albertus animadvertit, sex postremae categoriae secundum ordinem, quo Aristoteles illas recensuit, a quatuor prioribus differunt, quod hae « in suis praedicandi modis « nihil aliud concipiunt, nisi unum modum simpli- « cem » ; illae vero « aliquid praeter se concipiunt in « subiecto, de quo praedicantur [2] ». Iamvero, quandoquidem quantitas, relatio, et qualitas in causa sunt, cur substantia sex reliqua accidentia categorica in se recipere valeat, qualitas quantitati, et relationi locum dare potest, sed procul dubio reliquis sex accidentibus locum praeripit.

Historia huius categoriae fere tota intra diversas Peripateticorum scholas cogitur. Re vera, plerique veteres ante Aristotelem, ut multis in suo Commentario Sim-

---

[1]) « . . . per qualitates activas et passivas ad agere et pati sub- « stantia disponitur, quae sunt sequentia praedicamenta: per ad « aliquid autem quodammodo efficitur susceptibilis ubi, et quan- « do, situs, et habitus. Et ideo ista quatuor praedicamenta quasi « principia disponentia ad illa sex, quae sequuntur, praemittun- « tur. In quantitate enim determinatur de esse, quod accidenti « convenit. In ad aliquid autem determinatur ad aliquid se habe- « re, a quo non absolvuntur ubi, et quando, situs, et habitus. In « qualitate disponitur substantia ad agere et pati, quae duo qua- « litatem consequuntur »; *Op. cit.*, c. 1.

[2]) *Ibid.* Cf Suarez, *Dispp. met.*, Disp. XLII, sect. I, Salmanticae 1597.

plicius probavit [1], *quale*, ποιόν, agnoverunt, sed *qualitatem*, ποιότητα, sustulere. Scilicet, ut idem clarioribus verbis exponamus, diversas qualitates rerum, prout sunt in ipsis rebus concretae, inquisiverunt, resque, *quales* diversis modis sunt, considerarunt; sed ad notionem qualitatis, ex qua res secundum diversos modos sunt, et dicuntur *quales*, minime assurrexerunt. Laudatus graecus interpres prae reliquis Antisthenem Cynicorum principem nominavit. « Ceu Antisthenes, inquit, cui (cum « aliquando altercaretur cum Platone) ipse Plato dixit. « Equum quidem video, equinitatem autem non in- « tueor. At ille dixit. Habes quidem id, quo equus vi- « detur, scilicet oculum, sed quo qualitas spectatur, et « consideratur, nondum obtinetur [2] ». Huius opinionis causa, quemadmodum ex iis, quae idem Simplicius passim dixit, colligitur, ab eo repetenda est, quod, cum Antisthenes, aliique permulti Philosophi, uti alias videbimus, ante Platonem, et Aristotelem in cognitione rerum sibi comparanda sensibus plus aequo indulgerent, intellectum autem fere despicerent, varias qualitates in rebus concretas, quippe quae in sensus incurrunt, facile agnoverunt, sed notionem qualitati, quae opus intellectus est, assequi haud potuerunt. « Equidem, Simplicius « pergit, Antisthenes fatebatur se equum videre, nega- « bat autem equinitatem videri. Verum equus oculis vi- « detur, equinitas autem ratione comprehenditur [3] ».

Plato equidem ante Aristotelem qualitatem quandoque innuit [4], immo, si eidem Simplicio fides habeatur [5], primus vocem ποιότης, *qualitas*, invenit. At notionem eius non satis explicuit, eamque, ni fallimur, tanquam categoriam, haud consideravit, quia equinitas, ex qua, uti a Simplicio didicimus, exemplum sumpsit, non est quoddam accidens equi, sed essentiam equi signifi-

---

[1]) F. 38 *recto* col. 1, et 2, Venetiis 1550.
[2]) *Ibid.* fol. 38 *recto* col. 2.—[3]) Fol. 38 *verso* col. 1.
[4]) Vid. *Timaeum*.—[5]) Fol. cit. *recto* col. 1.

cat. Post Aristotelem Stoici notionem qualitatis diligenter inquisiverunt, eamque ad scientiae adeptionem quamplurimum conferre putarunt, cum secundum locum ei inter suas categorias dedissent; at qualitatis nomine non aliquod accidens categoricum, sed id, quod ad essentiam rei quodammodo pertinet, eiusque speciem determinat, manifeste designarunt. Re vera, prima categoria apud illos est *substratum*, ὑποκείμενον, nempe, ut Plutarchi verbis utamur, materia ignava, et immota, quae rebus substernitur: secunda vero *quale*, ποιόν, scilicet id, quod materiam illam conformat, et significat [1].

Ex quibus vides qualitatem, prout categoria est, sive prout specialem modum accidentalem denotat, quo ens in rebus determinatur, ab uno Aristotele inter graecos manifeste, et fuse tractatam fuisse. Scholastici deinceps, graecos, latinosque interpretes, et Arabes secuti, nonnullas controversias circa pronuntiata Stagiritae ventilarunt, quas in brevis huius tractationis progressu innuemus.

Recentes Philosophi vero, si Kantium, atque illos, qui vestigiis eius institerunt, exceperis, cum tractationem categoriarum, veluti vanum, ridiculumque aristotelicae philosophiae conamen, traduxissent, qualitati, prout categoria est, minime studuerunt. Qualitates vero alii ea omnia esse dixere, ex quibus unaquaeque res constat, alii ea dumtaxat, quae in re, praeter essentiam eius, sunt, essentiaeque adiuncta occurrunt. Mira vero inter eos cum de natura, tum de vi harum qualitatum dissensio est. Cum hac de re alias agendum nobis sit [2], in praesentia satis est ea audire, quae Adamus Frank in suo *Lexico philos.* de qualitate scripsit. Ibi enim docuit qualitatem non esse merum accidens, quemadmodum Aristoteli visum

---

[1]) Vid. Plut., *De Stoic. repugn.* c. 43; Mnesarchum apud Stob., *Eclog. Phys.*, lib. I, c. 21 ed. Heeren; Simplic. in loc. cit. *Comment.* passim.

[2]) Interea, vide, si lubet, Garnier, *Traitè des facultès de l' ame*, lib. VI, sect. 1, c. 3, § 13, et 14, t. II, p. 108 sqq, Paris 1852.

fuit, sed esse « quidquid naturam rei constituit, quid- « quid res est, quidquid ad ipsam permanenter spectat, « sive ei, prout individua est, conveniat, sive ei cum « aliis rebus commune sit ». Hinc qualitates divisit in attributa, quae essentiam rei efficiunt, puta *impenetrabilitatem* in corporibus, atque *unitatem* in spiritibus, et in *proprietates*, seu *facultates*, quae ab attributis seiungi nequeunt, puta *figuram*, et *colorem* in corporibus, *sensibilitatem* autem, et *intelligentiam* in rebus ad ordinem morum spectantibus. Cum huic doctrinae adhaereret, Aristotelem, et Kantium reprehendit, quod qualitatem inter notiones primas, sive categorias recensuissent [1]. Kantius, qui, uti diximus, tractationem categoriarum instauravit, nec non, qui eius philosophiam vel evolvere, vel emendare studuerunt, Transcendentales qualitatem, tanquam categoriam, considerarunt; at vero, secundum philosophiae suae pronuntiata, adeo perverse, praeposterque ipsam explicuere, ut eorum opiniones ad examen revocare hic nobis haud liceat.

Quandoquidem doctrina de categoria qualitatis, in qua excutienda, explicandaque Philosophi adlaborarunt, fere universa est Aristotelis, notionem qualitatis, quam Aristoteles tradidit, in primis exponamus necesse est.

Stagirita, secus ac de quantitate factitaverat, non solum de *qualitate*, sed etiam de *quali* disseruit; unde operum eius collectores hoc caput categoriarum Περὶ τοῦ ποιοῦ καὶ ποιότητος, hoc est *De quali et qualitate* inscripserunt [2]. Variae huius discriminis causae a graecis, latinisque interpretibus allatae fuere; harum unam dumtaxat, quae ad huius categoriae intelligentiam utilis est, afferemus. Quantitas, uti ex dictis facile perspicere licet, est notio non solum abstracta, sed etiam concreta; qualitas autem est notio tantum abstracta. Re vera, ut hoc discrimen lucu-

---

[1]) *Diction. phil.*, art. *Qualité*, t. V, p. 312-314, Paris 1851.

[2]) Testis est Simplicius non defuisse inter ipsos graecos interpretes, qui inscriptionem huius capitis Aristoteli abiudicarent. Ipse enim hoc Achaici, et Alexandri iudicium fuisse scripsit; *Op. cit.*, fol. 38 *recto* col. 1.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

lentis exemplis declaremus, linea, superficies, et corpus non solum notione quantitatis continentur, sed quantitates quoque sunt; unde dicere possumus, quemadmodum ostensum est, hanc lineam, vel hanc superficiem, vel hoc corpus esse quantitatem [1]. E contrario, si intelligimus duo vel plura alba notione albedinis contineri, dicere non possumus ullum eorum esse albedinem. Inde patet quantitatem in sensus incurrere, qualitatem autem solo intellectu comprehendi. Iam, quoniam cognitio humana a sensilibus originem ducit, Aristoteles potuit notionem quantitatis exponere, quin *quantis*, tanquam gradibus, ad eam progrederetur, sed opus ei fuit *qualibus* uti, ut inde ad notionem qualitatis assurgeret [2]. Quamobrem, ipse, observante Alberto M., postquam qualitatem, eiusque species exposuit, de *qualibus*, quorum ope qualitas, eiusque species cognoscuntur, disseruit, qualitatemque esse dixit, « ex qua aliqui dicuntur esse qua- « les », et qualia esse, « quae ab eis (*qualitatibus*) de- « nominantur, vel quovis alio modo ab eis dicuntur [3] ».

Recentes aristotelicae philosophiae osores secundum aliquot antiquos, quos Simplicius commemoravit, duo ei obiecerunt. Primum est, quod qualitatem definivit per effectus, non vero per causas, ex quibus enascitur, quemadmodum omnem rem definiendam esse ipsemet Stagirita saepe decreverat [4]. Alterum est, quod qualitatem per quale, et rursum quale per qualitatem definivit, cum duo, eodem Philosopho docente [5], *reciproce*, hoc est per se mutuo definiri nequeant [6]. Ex his Bonghius deduxit Aristotelem in *Categoriis* de qualitate ita tractasse, ut notionem eius minime traderet [7].

---

[1]) « Quantitas . . . in praedicando, et subiiciendo accipit mo- « dum substantiae, et accidentis, unde lineam dicimus et quan- « titatem, et quantam, et magnitudinem, et magnam »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, art. 1, *sol.* 3 ad 2. Vid. p. 529.—[2]) *Op. cit.*, c. 2.
[3]) *Categ.*, c. 8, ed. et vert. Bekker.—[4]) *Top.* lib. VI, c. 4.
[5]) *Top.* lib. VI, c. 3.—[6]) Vid. Simplic., *Op. cit.*, fol. 37, et 38.
[7]) *Op. cit.*, lib. cit., c. 14, p. 288, not. (1).

At veteres Interpretes huiusmodi obiectiones invicte refutaverant, ita ut recentes illas refricasse mirabile sit. Itaque illi sapienter adverterunt osores Aristotelis in errorem ex eo inductos fuisse, quod definitionem cum descriptione confunderent, quia duo praecepta Aristotelis ab ipsis laudata definitionem stricte sumtam spectant. Nam primo, cum definitio ad essentiam rei definitae significandam destinetur, ipsa per ea, quae natura priora, et notiora sunt, fieri debet, quia essentia cuiuslibet rei nonnisi per causas suas distincte cognosci potest. Secundo, quoniam definitio per priora, et notiora natura fieri debet, sequitur non posse duo per se invicem definiri, propterea quod, si unum per principia alterius, et vicissim definirentur, eadem principia priora, et posteriora natura simul esse oporteret. Contra ea, in descriptione licet ea, quae posteriora natura sunt, ponere, dummodo nobis sint quocumque modo notiora; nam, quoties causae rerum per se perspectae nobis non sunt, non aliud restat, nisi, ut ipsas ex iis, quae in re nobis obvia sunt, colligere studeamus. Iamvero, qualitas, ut de cunctis categoriis saepe diximus; per ea, quae natura priora, et notiora ipsa sunt, cognosci nequit; si quidem ipsa, cum modum entis denotet, qui ad nullum alium reducitur, nihil supra se habet, ex quo ipsam gigni intelligi potest; quocirca necesse est, ut per ea cognoscatur, quae, etsi natura posteriora ipsa sint, sunt tamen nobis notiora. Liquet igitur qualitatem, perinde ac omnem aliam categoriam, non posse definiri, sed tantum describi [1].

Ex quo luculenter perspicitur Aristotelem culpandum non esse neque ex eo, quod qualitatem per ea, quae secundum naturam posteriora ipsa sunt, nempe per *qualia*, descripsit. neque ex eo, quod qualitatem descripsit per *qualia*, et vicissim. Enimvero, immerito culpatur, quod qualitatem per *qualia* descripsit. Nam ipse notionem qualitatis deducere non potuit ex principiis, quae eam gignunt, quia, cum noto quaitatis, utpote una inter

---

[1]) Cf p. 590, not. 2.

supremas, simplex sit, discernere in ea non licet plura elementa, seu principia, ex quibus gignatur; sed, quandoquidem qualitatem πλεονεχῶς, *multifariam*, in rebus concretam nactus est, advertit intellectum notionem qualitatis sibi efformare posse ex *qualibus*, quae, cum in sensus incurrant, notiora qualitate nobis sunt. E re est audire Simplicium, qui in Aristotele ab hac accusatione vindicando diligenter versatus fuit. « Sed his, ait, dicendum « est, quod doctrina supremorum generum fieri non pot- « est ex prioribus, neque fieri potest secundum ordinem « naturae, ut habeamus traditionem, assignationemque « de ipsis per altiora, superiorave, atque per ea, « quae magis sunt causae. Nam nihil est prius ipsis su- « premis generibus, sed opus est fieri eorum doctrinam « a proximioribus, et notioribus nobis, notius autem, « et proximius nobis est quale ipsa qualitate, quando- « quidem nonnulli auferant de medio qualitatem, per- « inde ac nullo pacto existat, et nullus auferat ipsum « quale[1] ». Vt id planum fiat, advertendum est nos, quid sit aliqua specialis qualitas, non posse intelligere, nisi ex iis, in quibus illa invenitur. Puta, quid sit dulcedo, non intelligimus nisi ex melle, palmulis, caricis, aliisque corporibus, quae dulcia sunt. Iam, si quid sit aliqua qualitas, nonnisi ex iis, in quibus ea invenitur, cognosci potest, sequitur non posse intelligi, quid sit qualitas in universum spectata, nisi ex iis, quae quocumque modo esse *qualia*, sive, ut secundum Scholasticos loquamur, *qualificata* intelligimus, nec aliter significari, quid ipsa sit, nisi dicendo ipsam esse, ex qua aliquid *quale*, seu *qualificatum* vocatur.

Nec reprehensionem Aristoteles meretur, quod *qualitatem*, et *quale* per se mutuo descripsit. Etenim, quoniam *qualia* nobis sunt notiora qualitate, ex iis, quae quocumque modo *qualia* esse experimur, aliquam notionem qualitatis conficere possumus, quia illa, uti diximus, hac notiora nobis sunt; verum, postquam per

[1]) *Op. cit.*, fol. 38 *verso* col. 1.

enumerationem, et explicationem diversorum *qualium*, novimus, quid sit qualitas, intelligimus subiectum esse aliquo modo *quale*, nempe *qualificatum*, ex eo quod aliqua qualitas in eo est. Quamobrem Aristoteles, postquam dixit qualitatem esse, ex qua aliquid dicitur quale, variasque qualium species explicuit, non inscite addidit, qualia esse ea, quibus aliqua qualitas inest. Scilicet, cum qualitas ποιότης et quale ποιόν sint notiones simplices, interroganti, quid sit *qualitas*, non aliud responderi potest nisi ipsam esse, ex qua aliquid est *quale*, seu *qualificatur*; interroganti autem quid sit *quale*, non aliud, nisi esse illud, in quo aliqua qualitas est. Certe, si quis te interroget, quid sit albedo, numquid aliud respondere potest, quam esse aliquid, ex quo corpus est album? Et, si rursus te interroget, quid sit, quo aliquid est album, nonne respondendum tibi est, album esse propter albedinem, quae ipsi inest? « Candor corporis, s. Augustinus ait. . ., est eius qualitas. . . et ab ea dicitur candidum corpus[1] ».

Cum haec ita se habeant, sane haud mireris Stagiritam hac in re consentientes habuisse tam veteres Philosophos quam SS. Patres, qui de notione qualitatis tractarunt. Stoici enim, quamvis categoriam qualitatis longe aliter, ac Aristoteles, explicarent[2]; tamen, teste Simplicio, in *qualitate* et *quali* describendis cum eo consenserunt. Etenim asseruerunt qualitatem esse *affectionem qualis*, σχέσιν ποιοῦ, et *secundum qualitatem omnia vocari qualia*, κατὰ ποιότητα πάντα τὰ ποιὰ λεγεσθαι[3]. Inter Patres sanctus Damascenus fere eisdem verbis Stagiritae usus est. Ait enim: « Qualitas est, per quam quales quidam nuncupantur. « Ac rursus qualitas est, per quam hi, qui ea afficiuntur, denominative dicuntur[4] ». Hoc est denominantur.

Mirabile porro est recentes Philosophos, qui vitium notiones simplices definiendi Scholasticis immerito ap-

---

[1]) *De Trinit.*, lib. VIII, c. 1, n. 2. — [2]) Vid. p. 612.
[3]) *Op. cit.*, fol. 55. E, Basileae 1554. — [4]) *Dialect.*, c. LI.

pingunt, Aristoteli succensere, quod perfectam definitionem, sive, uti loqui malunt, *notionem qualitatis* non tradidit. Etenim Aristoteles, cum probe advertisset notiones *qualitatis*, et *qualis* esse simplices, illud dumtaxat, aiente Alberto M., adnotatum voluit, *qualitatem* praedicari de subiecto *simpliciter*, nempe prout est illud, ex quo res quocumque modo *quales* dicuntur: *quale* autem, prout qualitas subiecto inest, sive, ut Scholae aiunt, prout subiectum *informat*, proindeque qualitatem, et quale non alio modo inter se differre, quam quo notio abstracta, et notio concreta eiusdem rei differunt [1].

Quandoquidem descriptiones *qualitatis*, et *qualis*, quas Aristoteles tradidit, exposuimus, vitiaque eis obiecta exsufflavimus, licet modo nobis secundum Scholasticos inquirere, quid sit, quo hoc accidens a reliquis discriminatur et per huius quaestionis solutionem notionem aristotelicam eius efficere, quantum fas est, planiorem.

Atque in primis advertamus oportet nomine qualitatis non tantum accidens categoricum, sed alia etiam, praeter ipsum, ab Aristotele, et Scholasticis designata fuisse, quia alia, praeter ipsum, re ipsa sunt, quae hoc nomen quodammodo merentur. Enimvero, nomen qualitatis ad differentiam specificam, sive essentialem designandam usurpatur, quippe quod differentia specifica, cum essentiam, quae notione generis continetur, determinet, ipsam efficit *qualem*, sive *qualificat*. E. g., si animali addatur *rationale*, significatur *quale* animal sit homo, sin irrationale, *quale* animal bellua sit. Hinc Porphyrius dixit differentiam essentialem pertinere ad quaestionem *quale quid est*, ἐν τῷ ποιόν τι ἐστιν [2]. Hunc qualitatis modum, secundum Aristotelem [3], et eumdem

---

[1]) « Et ideo, Beatus Doctor inquit, quale . . . dicitur qualitas ut « informans subiectum per concretionem significans: quale enim, « et qualitas idem praedicatur, quamvis in modo differant; quale « enim dicit qualitatem subiectum informantem, qualitas autem « dicit qualitatem simpliciter »; *Op. cit.*, c. 10. Cf p. 295, not. 2.

[2]) *Isag.* etc. c. 9, § 4. Cf p. 242, not. 3, et 4.

[3]) Lib. IV, c. 14, et *Physic.*, lib. V, c. 2, ed. Bekker.

Porphyrium, s. Thomas luculenter exposuit his verbis: « . . . unus modus qualitatis est secundum quod qua- « litas dicitur differentia substantiae, id est differen- « tia, per quam aliquid ab altero substantialiter differt, « quae intrat in diffinitionem substantiae. Et propter « hoc dicitur, quod differentia praedicatur in quale- « quid. Vt si quaeratur, quale animal est homo ? respon- « demus, quod bipes: et quales animal equus ? respon- « demus, quod quadrupes : et qualis figura est circu- « lus ? respondemus, quod agonion, id est sine angu- « lo, ac si ipsa differentia substantiae qualitas sit [1] ».

Interdum vero nomen qualitatis ita adhibetur, ut quidquid extra essentiam subiecti est, sive accidens proprium sit, sive commune, significet ; si quidem, quidquid esse in subiecto extra essentiam eius intelligitur, ipsum subiectum efficere *quale*, seu *qualificare* intelligitur. Puta, risibilitas addita animali rationali, cuius est accidens *proprium*, ipsum efficit *quale*, quia ipsum, tanquam *risibile*, qualificat. Singulae vero categoriae, quae sunt accidentia propria subiecti, cuiusmodi omnes, excepta substantia, sunt, subiectum proprio quodam modo *quale* efficiunt, vel *simpliciter*, vel cum aliquo additamento, quod natura categoriae expostulat. Subiectum quale *simpliciter* efficit categoria qualitatis, quia haec est, ex qua aliquid simpliciter *quale* dicitur, puta album, aut nigrum, dulce, aut amarum, doctum, aut doctrinae expers; *cum aliquo additamento* autem reliquae, puta quantitas quale quantum, relatio quale relatum, actio, et passio quale agens, aut patiens aliquid, et sic de ceteris, quia quantitas, relatio, et ceterae categoriae subiectum, in quo sunt, tanquam *quantum*, aut *relatum*, aut *agens*, aut *patiens*, aut *positum in tempore*, vel *loco*, vel *situatione*, vel *habitu* qualificant. Aliquando denique proprie, et stricte sumitur ad illud accidens dumtaxat significandum, ex quo aliquid *simpliciter*, sive *absolute quale* dicitur, puta, ut modo

---

[1]) *In lib. V Met.*, lect. 17. Cf Albertum M., *Op. cit.*, ibid. c.1.

diximus, album, aut nigrum. Etenim categoriae, quae subiectum *quale* cum aliquo additamento efficiunt, subiectum *quale* efficiunt, ex eo quod ipsum determinant secundum aliquem modum supremum essendi, e. g. per quantitatem, aut per relationem; sed qualitas tertio modo accepta subiectum *quale* efficit per se, hoc est, quin ullum aliud accidens categoricum includat.

Quo autem horum trium modorum, secundum quos qualitas accipi potest, et re ipsa a Scholasticis accepta est, ratio perspiciatur, investigandum est, quomodo qualitas ad substantiam referatur; si quidem, cum omnium accidentium categoricorum sit substantiae, tanquam subiecto, inesse, natura cuiuslibet accidentis categorici ex relatione, quam ad substantiam, tanquam ad subiectum suum, habet, agnoscatur oportet. Itaque advertendum est inter quantitatem, et qualitatem, quae sunt duo praecipua accidentia absoluta, illud hac in re interesse, quod quantitas, tanquam aliquid indeterminatum, qualitas autem, tanquam aliquid determinatum, ad substantiam se habet. Re vera, substantia, ut s. Thomas advertit, mutationi obnoxia est, quia corpus, ad quod quantitas proprie pertinet, per quantitatem ad augmentum disponitur [1]; verum ipsa secundum qualitatem semper eadem manet, quia forma, quae eam *qualem* efficit, semper eadem in ea est. Hinc sanctus Doctor secundum Aristotelem [2] sanxit qualitatem esse naturae determinatae, quantitatem autem indeterminatae, et, quoniam in substantia id, quod tanquam indeterminatum intelligitur, *materia* vocatur, et id, quod tanquam determinatum, *forma*, inde deduxit quantitatem respondere materiei substantiae, qualitatem autem, formae [3]. At,

---

[1]) Id nos docuit quoque s.Bonaventura, quippe qui ait: « Aug« mentum sequitur quantitatem »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, part. 2, art. 1, q. 1 *resol.*

[2]) *Met.*, lib. X, c. 6, ed. Bekker.

[3]) Ipse enim, postquam eracliteis omnia in continuo fluxu versari asserentibus concessit substantiassecundum quantitatem *mo-*

cum substantia sit vel prima, vel secunda, nonnihil discriminis inter utramque adnotandum est in eo, quod ad quantitatem attinet. Etenim in substantia prima, utpote quae realis est, materia meram rationem quantitatis habet, si quidem, cum materia in ipsa, veluti omnis determinationis expers, intelligatur, omnis determinatio in ipsam a forma derivatur. Contra ea, in substantia secunda, sive ut recentes aiunt in substantia *ideali*, vel in *notione* substantiae, quae ex notionibus generis proximi, ut differentiae specificae constat, genus proximum, prout relatum ad differentiam consideratur, rationem quantitatis procul dubio habet [1], quia differentiam illud ad notionem substantiae determinare intelligimus. At vero, quantitas, quam genus proximum denotat, instar qualitatis, sive, ut dici solet, *qualitative* intelligenda est, quippe quod genus, species, aliaque universalia, ut Stagirita scite docuit, significant *quale*, non vero *quantum* sit subiectum, de quo praedicantur. Re vera, homo, qualis sit, denotatur, seu qualificatur, cum de eo secundum *genus* esse animal, aut secundum *differentiam* esse rationalem, aut secundum *speciem* animal rationale, aut secundum *proprium* esse capacem risus, aut secundum accidens esse philosophum praedicatur. Quocirca tam in substantia *reali*, quam in *ideali* principium materiale, sive, uti post Scholasti-

---

veri, seu mutationes subire, quia « disponitur ad augmentum « corpus per aliquod tempus, et tunc crescit », subdit: « Sed sub- « stantia rei determinatur secundum quale, id est secundum ali- « quam formam. Quale autem est determinatae naturae in re- « bus, etsi quantum sit indeterminatum propter motum »; *In lib. XI Met.*, lect. 6. Alibi inquit: « Quantitas proprie est dispositio « materiae .... qualitas autem sequitur formam » (*Qq. dispp., De Pot.*, q. IX, a. 7 c.; cf p. 492). Quod si quis obiiciat quantitatem non posse in substantia intelligi, quin ipsam aliquo modo determinare intelligatur, discat ab eodem Stagirita determinationem, quam quantitas in substantia efficit, esse potius *apparentem*, quam *realem*, quia quantitas alia re indiget, ut in substantia determinetur. Vid. *Met.*, lib. XI, c. 3.

[1]) Cf pp. 284, 285.

cos nuperi Philosophi loqui solent, *potentiale* est *quantitativum*, et principium formale, sive *actuale* est *qualitativum* [1]; hoc uno discrimine, quod principium quantitativum in substantia ideali instar qualitatis intelligitur.

Ex his perspicis 1° illud, quod, tanquam qualitas, in substantia in primis intelligitur, esse differentiam specificam, sive essentialem; si quidem, uti Albertus M. apposite observavit, haec, cum genus ad speciem, puta animal ad hominem, sive animal rationale, determinet, subiectum οὐσιώδως, *substantialiter*, constituit, proindeque, tanquam qualitas essentialis, ποιότης οὐσιώδες, praedicatur [2]. 2° Differentiam specificam, prout diverso modo consideratur, ad essentiam, vel ad qualitatem pertinere. Nam, si consideratur, prout in substantia reali est, procul dubio est substantia, quippe quae est principium eius substantiale; sin, prout substantiam determinare intelligitur, est qualitas. Ita esse rationalem, si consideretur, prout essentiam hominis constituere intelligitur, est aliquid essentiale, cum essentia hominis ex animali, et rationali, tanquam ex genere proximo, et differentia, constet; sin, prout animal ad hominem determinat, est qualitas, quia hoc modo considerata, *quale animal* sit homo, denotat [3]. Igitur Trendelenburgius, cui

---

[1]) « Natura generis, s. Thomas ait, comparatur ad naturam « speciei magis per modum materialis principii; quia natura ge- « neris sumitur ab eo, quod est materiale in re, ratio vero spe- « ciei ab eo, quod est formale »; I, q. LXXXV, a. 3 ad 4.

[2]) « Vno enim et primo modo dicitur quale quod est in diffini- « tione substantiae et quidditatum omnis rei: et hoc est quale « quid, quod vocatur qualitas essentialis, quae est differentia « substantialiter rem constituens, in quale tantum praedicata. Et « ideo ipsa est substantia dans esse subiecto primo, quod est ge- « nus: et quia in alio causat esse, quasi circa subiectum ponens, « et quasi in subiecto existens, ideo quale quoddam est, et sim- « pliciter. Hoc modo est qualitas essentialis materiae »; *Met.*, lib. V, tract. III, c. 6.

[3]) Cf p. 261.

hac etiam in re Bonghius [1] plausit, Aristoteli differentiam essentialem modo ad essentiam [2], modo ad qualitatem [3] referenti vitium contradictionis immerito obiecit, quasi haec duo secum pugnent [4].

Quae cum ita se habeant, manifestum est primum modum qualitatis, qui cuilibet naturam rei consideranti in re occurrit, esse differentiam eius specificam, quippe quod haec, *qualis* natura rei est, patefacit, puta *quale* vivens est animal, aut *quale* animal homo. Hinc Albertus M. inquit: « . . . differentia illa, quae secundum « se est, et quae substantiae est completiva, qualitas « est: uno quidem igitur hoc modo dicitur qualitas substantiae differentia [5] » ; et eius discipulus s. Thomas: « Horum autem unus principalissimus est primus modus, secundum quem differentia substantialis dicitur « qualitas, quia per eum aliquid significatur informatum « et qualificatum [6] ». Verum, quandoquidem differentiam

---

[1]) *Op. cit.*, p. 289, not. (1).

[2]) *Categ.*, lib. I, c. 5; *Top.*, lib. I, c. 4.

[3]) *Top.* lib. IV, c. 2; *ibid.*, lib. IV, c. 6; *Phys.* lib. V, c. 2.

[4]) *Hist. categ.* (germ.), p. 55, 56, 93. Trendelenburgius loca Aristotelis, quae recitavit, non solum secum componere nescivit, sed ita interpretatus est, ut totam *Organi* doctrinam everteret. Ipse enim asseruit Aristotelem in allatis locis differentiam essentiae quandoque ad *categoriam* essentiae, quandoque ad *categoriam* qualitatis revocasse. Ast hoc omnino falsum est. Nam, si differentia essentialis, prout in specie, quam simul cum genere constituit, consideratur, Aristotelis iudicio, ad essentiam rei pertinet, ipsa considerata, prout essentiam rei, generis notione contentam, determinat, secundum eumdem Philosophum, ut suo loco dictum est, non est aliqua categoria, sed unum e quinque universalibus, quod differentiae nomen habet. Categoria qualitatis vero, quemadmodum ipse etiam docuit, nosque inferius ostendemus, non est qualitas essentialis, cuiusmodi est differentia essentialis, sive specifica, sed est qualitas accidentalis speciali, non communi modo accepta. Ex quo vides non raro a germana Aristotelis doctrina aberrare inter hodiernos eius interpretes illos ipsos, qui ceteris palmam praeripiunt.

[5]) *Met.*, tract. III, c. 6.

[6]) *In lib. V Met.*, lect. 15.

essentialem, ex eo quod ipsam genus determinare, speciemque, seu notionem rei constituere intelligimus, tanquam aliquid, quod essentiam, notione generis contentam, *qualem* efficit, intelligimus, et qualitatem dicimus, consequens est ea omnia, tanquam qualitates, etiam intelligenda esse, quae essentiam rei, differentia specifica iam constitutam, quocumque modo determinant. Iam, omnia, quae essentiae rei iam constitutae obvenire intelligimus, accidentia eius sunt. Ergo omnia accidentia, tanquam qualitates, quae substantiam aliquo modo determinant, intelligenda sunt. E. g. quantitas, et relatio substantiam quodammodo *qualem* efficiunt, quippe quod illa substantiam in partes extendit, haec vero ordinem in substantia ad aliud ponit, cum in notione substantiae, prout substantia est, nec posse extendi in partes, nec ordinem ad aliud habere includantur. Hic est, ut s. Thomas in laudato loco subdit, secundus modus principalis, ex quo substantiam *qualem* fieri intelligimus.

Ex his facile conficere potes, quidquid materiam, sive genus substantiae aliquo modo determinare intelligimus, tanquam qualitatem eius intelligendum nobis esse, et, quandoquidem intelligimus materiam substantiae primo determinari per differentiam specificam, quae essentiam eius perficit, deinde per accidentia, quorum unum post aliud essentiae eius addi intelligimus, duos praecipuos modos qualitatis nobis esse admittendos, scilicet unum essentialem, alterum accidentalem. Vtrumque modum s. Thomas, duce Aristotele, ita exposuit: « Proprie qualitas importat quemdam modum substan- « tiae: modus autem est, ut dicit Augustinus super « Gen. ad litt. lib. 4, c. 3, quem mensura praefigit; un- « de importat quamdam determinationem secundum ali- « quam mensuram. Et ideo, sicut id, secundum quod « determinatur potentia materiae secundum esse sub- « stantiale, dicitur qualitas, quae est differentia sub- « stantiae; ita id, secundum quod determinatur poten-

« tia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas « accidentalis, quae est etiam quaedam differentia [1] ».

Porro, cum accidens categoricum substantiam determinet vel *per accidens*, nempe quatenus substantiam esse *qualem* consequitur specialem modum entis, quem accidens in substantiam inducit, vel *per se*, nempe quatenus ipsemet modus, quem accidens in substantiam inducit, eam *qualem* efficit, duo diversi modi accidentales qualitatis agnoscendi sunt, quorum unus *per accidens*, alter *per se* substantiam determinat.

Liquet igitur tres esse modos, secundum quos substantia *qualis* esse, et dici potest.

His praestitutis, investigare in promptu est, utrum qualitas sit necne quaedam specialis categoria, et, si re ipsa inter categorias locum habeat, secundum quemnam trium modorum categoria sit. Hae duae quaestiones adeo inter se connectuntur, ut, priori soluta, altera quoque soluta maneat; si enim perspectum fuerit esse aliquem modum qualitatis, qui ad nullum alium modum supremum entis, sive ad nullam aliam categoriam reduci potest, simul innotescet et qualitatem inter categorias numerandam esse, et ipsam, prout illum modum entis denotat, qui ad nullum alium reduci potest, esse specialem categoriam.

Iam, indubium est admittendum esse aliquem modum qualitatis, qui specialis categoria est. Nam quaedam accidentia, uti ostendimus, substantiam *qualem* efficiunt eo modo, qui nec quantitati, nec relationi, nec ulli alii sex categoriarum convenire potest. Re vera, quantitas, quemadmodum dictum est, subiectum *quale quantum*, relatio *quale relatum*, ceteraque accidentia *quale in actione*, *in passione*, *in loco*, *in tempore*, *in situ*, et *in habitu* efficiunt. Verum, scientia, virtus, albedo, rectitudo, curvitas, aliaque huiusmodi accidentia subiectum scientia, aut virtute praeditum, album, rectum, aut

---

[1]) 1ª 2ªe, q. XLIX, a. 2 c.

curvum, aut aliis id genus modis *quale* simpliciter efficiunt. Atqui accidentia modum entis significantia, qui ad nullum alium modum reduci potest, ad specialem categoriam referenda sunt. Ergo aliquem modum qualitatis esse specialem categoriam pro certo habendum est. Audiamus Albertum M.: « . . . omnis autem alia « forma accidentalis, quamvis in quale praedicetur omne accidens, non tamen dicit quale simpliciter, sed « potius vel quantum, vel aliquo modo se habere addit supra quale quod praedicatur praeter solam qualitatem accidentalem: et ideo sola qualitas per quale « secundum eam dici recta diffinitione diffinitur [1] ».

Quod si non omnia accidentia, quae subiectum simpliciter qualificant, modum entis prae se ferunt, qui ad nullum alium reduci potest, consequens est qualitatem esse specialem categoriam, quae substantiae per se, non vero per accidens inest, ideoque de substantia simpliciter, non vero cum aliquo additamento praedicatur. Et sane, qualitatem, prout differentiam essentialem significat, non esse specialem categoriam ex se perspicuum est. Haec enim, uti diximus, si consideretur, prout speciem una cum genere constituit, ad essentiam rei pertinet; sin prout essentiam rei genere contentam determinat, est aliquod *categorema*, seu praedicabile. Nec qualitas locum specialem inter categorias habet eo modo accepta, quo quantitati, relationi, ceterisque accidentibus categoricis communis est. Etenim in his, ut peracute Albertus M. observavit, qualitas non est forma accidentis, nempe id, ex quo natura accidentis constituitur, atque a reliquis accidentibus discriminatur, sed est veluti *materia*, nempe id, quod in quolibet accidente per *esse* eius determinatur. Ita, ut a duobus primis accidentibus exemplum capiamus, *quale* cum in quantis, tum in relatis invenitur, sed aliter in his, ac in illis, quia in his per relationem, in illis autem per quantita-

---

[1]) *Lib. de praedicam.*, tract. cit., c. 1.

tem determinatur ; unde subiectum per quantitatem , et relationem non simpliciter *quale* , sed *quale quantum*, et *quale relatum* dicitur. Atqui accidens non ab eo, quod est *materialiter*, sed ab eo, quod est *formaliter* in ipso , naturam categoriae sumit ; nam forma , ut saepe innuimus , est principium , ex quo quaelibet res constituitur , a ceterisque distinguitur. Ergo qualitas eo sensu considerata, quo in cunctis accidentibus invenitur , non est specialis categoria. Restat igitur , ut qualitas sit categoria specialis , prout substantiam ipsa per se qualificat, et de ea simpliciter praedicatur : puta cum dicimus lineam esse rectam , aut curvam , corvum esse nigrum, columbam albam. E re est audire rursus Albertum M. : « . . . est enim qualitas vel quale praedicamentum se- « cundum quod est praedicans simpliciter quale et ni- « hil aliud : hoc enim est solum quale accidentale om- « nino absolutum a comparatione , et quantitate , quae « possint ipsum ad aliud genus praedicamenti deter- « minare ». Et , paucis interiectis : « quantitas enim in « quale praedicatur, eo quod est accidens: sed id quale « materiale est in ipsa ad quantitatem, per quam ad ge- « nus praedicamenti determinatur [1] ».

Ex his omnibus intelligitur qualitatem secundum doctrinam , quam s. Thomas saepe tradidit [2] , posse cum recentibus Scholasticis describi hunc in modum : *Accidens , quod substantiam disponit , sive modificat.* Haec descriptio, vel, si definitionem late accipere velis , definitio cum aristotelica consonat. Nam , cum qualitas dicitur *accidens* , differentia essentialis removetur, ex qua subiectum non fit simpliciter *quale*, uti Aristoteles tenet, sed quale *secundum essentiam.* Quum vero adiicitur, *quod substantiam disponit*, *sive modificat*, idem significatur , ac quod substantiam *qualem* efficit ; si quidem, cum qualitas in quadam determinatione substantiae consistat, idem est substantiam determinare , ac ipsam *qua-*

[1]) *Ibid.* — [2]) Vid. prae ceteris locis 1ª 2ae , q. XLIX, a. 2.

lem efficere. Nihilominus descriptionem, quam recentes discipuli s. Thomae tradiderunt, aristotelicae praeferendam ducimus ; haec enim nomen abstractum qualitatis per concretum, illa vero verbis, quae notionem nomini abstracto subiectam [1] quodammodo declarant, exponit.

Nemo vero existimet qualitatem per definitionem, quam secundum s. Thomam tradidimus , a reliquis accidentibus categoricis non distingui , eo quod cuiuslibet accidentis est substantiam quodam modo *disponere* sive *modificare*. Etenim , cum reliqua accidentia , ut diximus, substantiam efficiant *qualem* non per se, sed quatenus quemdam specialem modum entis ei largiuntur, substantiam per ea disponi , seu *modificari* proprie dici nequit. E. g. quantitas ex eo, quod substantiam extendit, ipsam proprie non disponit, sive modificat, sed dumtaxat partes ei tribuit , quae modificari queunt. Qualitas vero partes eius uno , aut alio modo disponit , ut inde vel triangulus , vel circulus , vel quadratum existat ; unde substantiam , quod ad partes eius spectat , disponere , seu modificare proprium est qualitatis , non quantitatis. Huius rei hoc indicium esse potest, quod , si quid mutetur secundum quantitatem , puta cum augetur , aut secundum relationem , quam adquirit, non dicitur *alteratum*, ἀλλοῖον, sive diversum ; at vero diversum dicitur, si secundum qualitatem , puta colorem , vel figuram , mutetur.

Natura qualitatis, prout specialis categoria est , explorata , ad diversas eius species , seu modos enumerandos progrediamur. Quandoquidem qualitas in determinatione , sive modificatione , ex qua substantia simpliciter *qualis* efficitur , posita est, consequitur tot species qualitatis admittendas esse , quot sunt principia , quorum

---

[1]) « Quantitas, inquit s. Thomas, augeri dicitur, et albedo va- « riari, quando aliquid per albedinem variatur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 1 ad 3; et paulo inferius: « Alteratio . . . « consistit in qualibet variatione circa receptionem alicuius qua- « litatis »; *ibid.* ad 5.

gratia substantia simpliciter qualificari potest, atque hasce species illo ordine enumerandas, quem eadem principia in substantia habent. Iamvero, quatuor, ut s. Thomas scite docuit, sunt principia, ex quibus substantiam simpliciter qualificari posse intelligimus, scilicet natura, sive *esse* eius, operatio, eaque tam activa, quam passiva, quae a natura eius, tanquam a principio, procedit, et quantitas, atque horum tria priora occurrunt in quolibet genere substantiae, quartum autem in sola substantia corporea invenitur, quia in hanc solam quantitas proprie sumta cadere potest [1]. Quatuor igitur, secundum Aristotelis doctrinam [2], species, sive modi qualitatis sunt.

Substantia, quod ad naturam eius attinet, ita determinari potest, ut tam in se, nempe in suo *esse*, quam ad aliquid operandum bene, vel male se habeat. E. g. corpus ad sanitatem, aut ad aegritudinem, intellectus ad scientiam, aut ad errorem, et voluntas ad bonitatem, aut ad malitiam determinari possunt. Sed, si substantia ad se bene, vel male habendam determinari quit, aliqua qualitate opus habet, ut inde ad se bene, vel male habendam determinetur. E. g. sanitas corpus ita determinat, ut bene se habeat, aegritudo autem, ut male; scientia intellectum adeo determinat, ut bene, error vero, ut male circa veritatem se habeat; virtus voluntatem determinat, ut bene, et vitium, ut male se habeat. Perspicuum porro est hanc speciem qualitatis ceteris natura praecedere; nam, quoniam natura, ut s. Thomas ad hanc rem advertit, « est id, quod primum consideratur in re [3] »,

---

[1]) « Modus autem, sive determinatio subiecti secundum esse « accidentale, potest accipi vel in ordine ad ipsam naturam « subiecti; vel secundum actionem, et passionem, quae consequuntur principia naturae, quae sunt materia, et forma, vel « secundum quantitatem »; 1ª 2ae, q. XLIX, a. 2 c.

[2]) *Op. cit., ibid.*

[3]) 1ª 2ae, *loc. cit.* Hoc pronuntiatum s. Thomae intelligendum non est de ordine *analytico*, sed de ordine *synthetico* cognitionis humanae. Nam sanctus Doctor illud laudato in loco, tanquam principium, adhibuit, ut ostenderet, quomodo intellectus

necesse est, ut species qualitatis, quae in principiis naturam rei constituentibus fundamentum habet, reliquis natura praecedat.

Huic primae speciei qualitatis, tanquam generi subalterno, aliae species subiiciuntur. Re vera, qualitatum, quae ad hanc primam speciem pertinent, aliae firmiter, et permanenter, aliae autem leviter, et fugaciter subiecto inhaerent. E. g. prioris speciei sunt scientiae, et artes, quia hae, cum principiis firmis innitantur, nonnisi aegre a subiecto divelluntur, nimirum vel longa desuetudine, vel magna vi morbi. Alterius vero sunt opinio, suspicio, et dubium, quae ab anima facile dimoventur, cum magis, minusve infirma sint principia, ex quibus in intellectu gignuntur. Quandoquidem primae qualitates permanentius, et constantius, quam secundae, subiecto inhaerent, ob idque secundis excellentiores sunt, inde, observante s. Thoma [1], factum est, ut illae peculiari nomine *habitus* donarentur, his vero generale nomen dispositionis relinqueretur [2]. Vnde idem sanctus Doctor docuit nomen dispositionis significare et primum genus subalternum qualitatis, quod habitum, tanquam speciem, ambito suo, complectitur, et speciem qualitatis, quae speciei habitus opponitur [3].

Quae cum ita sint, prima species qualitatis in universum dici potest accidens, per quod substantia sive in se ipsa, sive in operationibus suis spectata bene, vel male se habet. Ipsa vero, si eiusmodi est, ut a subiecto, in quo inhaeret, difficulter divelli possit, *habitus*, ἕξις; sin est eius-

---

ex natura substantiae primum modum, qui ipsam qualificat, deducat.

[1]) *Ibid.*, ad 3.

[2]) « Habitus, Aristoteles ait, ab affectione differt; quia est « res diuturnior, et permanentior, cuiusmodi sunt scientiae, « et virtutes »; *Categ.* c. cit. ed. Bekker.

[3]) « Dispositio autem, inquit, dupliciter accipitur. Vno modo, « secundum quod est genus habitus... Alio modo, secundum « quod est aliquid contra habitum divisum »; 1ª 2ae, q. XLIX, a. 2 ad 3.

modi, ut facile ab eo removeatur, *dispositio*, διάθεσις, vocatur. Quocirca cum s. Thoma concludimus : « Modus, « et determinatio subiecti in ordine ad naturam rei per- « tinet ad primam speciem qualitatis, quae est *habi- « tus*, et *dispositio* [1] ».

Illud notatu dignum et nos hic locutos esse de habitu, et dispositione stricte sumtis, scilicet, quae ex principiis specie differentibus oriuntur. Nam quandoque habitus, et dispositio, quemadmodum idem Aquinas advertit, in eadem specie sunt, in eaque, tanquam perfectum, et imperfectum, ad se invicem comparantur. Hoc autem evenit, cum, etsi principia, ex quibus qualitas efficitur, immutabilia, et firma sint, tamen qualitas ob imbecillitatem subiecti, in quo est, ab eo facile dimoveri quit; atque e contrario, cum principia, ex quibus qualitas efficitur, etsi per se imbecilla sint, tamen pertinacia, vel longo usu ita obfirmantur, ut qualitas a subiecto vix unquam dimoveatur. Exemplis id declaremus. Scientia, et virtus, quae per se, ut diximus, sunt habitus, in tirone, eo nempe, qui ad scientiam, et virtutem animum suum parat, sunt dispositiones, quia principia, ex quibus gignuntur, etsi per se immutabilia sint, tamen in tirone debiliter, et fugaciter inhaerent. Contra ea, error, et vitium, quae, uti ante etiam diximus, per se sunt dispositiones, in haereticis, et scelestis habitus sunt, quia principia, ex quibus oriuntur, quamvis imbecilla sint, tamen ob longum usum, et pertinaciam voluntatis in eis firmiter inhaerent. Quamobrem qualitas, quae per se est habitus, per accidens fieri potest dispositio, et vicissim [2].

---

[1]) *Ibid.*, c.

[2]) E re est audire s. Thomam: « Et potest intelligi dispositio « proprie dicta condividi contra habitum dupliciter. Vno modo, « sicut perfectum, et imperfectum in eadem specie; ut scilicet « *dispositio* dicatur retinens nomen commune, quando imperfe- « cte inest, ita quod de facili amittatur; habitus autem, quando « perfecte inest, ut non de facili amittatur; et sic dispositio fit

Ex his facile est dirimere illam litem, num habitus, et dispositio sint re ipsa duae species, ut s. Thomas censuit [1], nosque hactenus pro concesso sumpsimus, an, quemadmodum Alberto M. [2], s. Bonaventurae [3] et Scoto [4] visum fuit, duo modi eiusdem speciei. Re vera habitus proprie dictus, et dispositio proprie dicta sunt procul dubio duae diversae species qualitatis, quia, cum substantia bene, aut male se habeat propter principia, quae natura differunt, nempe stabilia, aut instabilia, dispositio, et habitus stricte accepta *proprias*, ut s. Thomas ait, *et per se differentias* designant. Habitus vero, et dispositio, quae, tanquam perfectum, et imperfectum, in eadem specie ad se invicem comparantur, non sunt, nisi duo modi eiusdem speciei, quia inter habitum, et dispositionem, hoc modo considerata, discrimen, ut modo diximus, nonnisi per accidens est.

Quod vero ad secundum principium, scilicet ad operationem activam, sive actionem spectat, illud sciendum est, quod alias ostendemus, non posse ullam rem aliquid agere, nisi potentia, seu facultate illud agendi polleat. Haec facultas autem ad genus accidentalis qualitatis, ut s. Bonaventura advertit [5], non pertinet, si qui-

---

« habitus; sicut puer fit vir. Alio modo possunt distingui, sicut « diversae species unius generis subalterni; ut dicantur *dispo-* « *sitiones* illae qualitates primae speciei, quibus convenit secun- « dum propriam rationem, ut de facili amittantur; quia habent « causas transmutabiles; ut aegritudo, et sanitas: *habitus* vero « dicantur illae qualitates, quae secundum suam rationem ha- « bent, quod non de facili transmutentur; quia habent causas « immobiles; sicut scientiae, et virtutes: et secundum hoc di- « spositio non fit habitus »; *Ibid.* ad 3.

[1]) *Ibid.*, c. — [2]) *Op. cit.*, *ibid.*, c. 2, et 3.

[3]) *In lib. IV Sent.*, Dist., VI, part. I, a. 1, q. 1 *resol.*

[4]) *Super praedicam.*, q. XXXVI.

[5]) « Alio modo dicitur naturalis potentia, quae naturaliter « egreditur de substantia immediate, sicut potentia generandi, « quantum ad inductionem ultimae formae, et haec quidem non « est alterius generis cum substantia; sed reducitur ad genus « substantiae, tamquam substantialis differentia »; *In lib. I Sent.*, Dist. III, p. 2, a. 1, q. 3 *resol.*

dem, cum ea a substantia immediate egrediatur, ad genus substantiae accedit. Verum, facultati naturaliter inesse potest aliqua proclivitas, vel imbecillitas ad agendum ea, quae illius obiectum sunt, et ad resistendum iis, quae illius exercitationem vel omnino impedire, vel minus expeditam, promtamque reddere possent. Iamvero, perspicuum est 1° naturalem proclivitatem, vel imbecillitatem facultatis ad agendum, vel resistendum, uti idem s. Bonaventura monuit, esse aliquid, quod potentiae additur, quippe quod, cum facultas sine alterutra esse queat, *esse* eius ab *esse* proclivitatis, aut imbecillitatis distinguatur necesse est [1]. 2° Illam naturalem proclivitatem, vel imbecillitatem esse aliquam speciem qualitatis, quia, cum utraque, eodem sancto Doctore observante, modum specialem denotet, quo facultas in subiecto existit, facultatem, seu potius subiectum, in quo facultas est, qualificat [2].

Haec qualitas in universum spectata accidens dicitur, quod substantiam ad agendum, vel resistendum disponit, eaque, si est fortis, *potentia*, δύναμις, sin debilis, *impotentia*, ἀδυναμία, vocatur [3]. Illud vero per se patet potentiam, et impotentiam non esse duas diversas spe-

---

[1]) « Facilitas superaddita potentiae primae non est eadem « cum prima, sicut patet de naturali potentia et impotentia, « quae dicuntur dispositiones et qualitates superadditae supra « radicem potentiae naturalis »; *In lib. III Sent.*, Dist. XXXIV, part. 1, a. 1, q. 1 *ad argum.*

[2]) « Notandum est quod potentia naturalis dicitur tripliciter. « Primo modo, prout dicit modum existendi naturalis potentiae in subiecto; secundum quem dicitur subiectum facile, « vel difficile ad aliquid agendum, et sic naturalis potentia dicit modum qualitatis, et est generaliter in secunda specie « qualitatis, ut patet cum dicitur cursor, et pugillator, quorum « utrumque dicit facilitatem, quae sequitur modum existendi « potentiae gradiendi, et resistendi, sive agendi in subiecto »; *In lib. I Sent.*, Dist. III, part. 2, a. 1, q. 5 *resol.*

[3]) « Alterum, Stagirita ait, genus qualitatis est... omnino « quaecumque secundum naturalem vim, aut imbecillitatem « dicuntur »; *Categ.*, c. cit.

cies, quae secundae speciei, tanquam generi, subiiciuntur, sed duos modos eiusdem speciei, quia ipsae duos diversos status substantiae, tamquam perfectum, et imperfectum, designant, quorum unus in alium facile mutatur. Ita eadem, quae in homine, quamdiu iuvenis est, potentia ad videndum dicitur, in eodem homine, cum senuerit, impotentia ad videndum nuncupatur, atque e contrario impotentia, quae in puero est ad se de loco in locum movendum, eodem puero adolescente, fit potentia.

Ex his, quae statuimus, nullo negotio perspicitur inter qualitates huius secundae speciei, et qualitates primae hoc interesse, 1° quod per illas facultatem naturaliter proclivem, vel imbecillam ad agendum, vel resistendum habeamus, per has vero bene, vel male agere possimus. E. g. Socrates per qualitatem potentiae ad philosophiam morum addiscendam naturaliter comparatus erat; per qualitatem habitus vero, quam meditatione, et studio humanae naturae assecutus fuit, de doctrina morum callenter philosophabatur [1]. 2° Potentias naturales esse fundamenta habituum, quia earum rerum habitus facilius adquirimus, ad quas natura comparati sumus; unde illud praeceptum Horatii: *Tu nihil, invita dices, faciesve Minerva.* Illud quibusdam negotium facessit, quod, cum habitus, et dispositio potentiam, et impotentiam in subiecto expostulent, illae in prima specie qualitatis, hae autem in secunda collocentur. Sed Albertus M. nonnullis id obiicientibus scite responderat, etsi id verum sit, tamen inde non effici, ut habitus, et dispositio potentiae, et impotentiae natura praecedant; si quidem illae qualitates, uti ostensum est, in principiis naturam rei constituentibus fundamentum

---

[1]) Hinc scite s. Bonaventura tenet: « Dispositio est in anima, « et non est potentia, nec passio »; *In lib. IV Sent.*, Dist. VI, part. I, a. 1, q. 1 *resol.*

habent, hae vero in operandi facultatibus, quae a natura procedunt [1].

Postremo loco iuvabit duos errores, in quos Bonghius post aliquos nuperos interpretes Aristotelis incidit, expendere, ut notio huius secundae speciei qualitatis planior fiat. Atque in primis, Bonghius putavit Aristotelem specie qualitatis, quam *potentiam* vocavit, designasse *potentiam*, quam *actui*, sive *existentiam actuali* eius praecedere intelligimus. Ipse enim, postquam observavit differentiam essentialem, sive formam, quae materiam rei, generis notione contentam, determinat, esse, sententia Stagiritae, primam, et praecipuam qualitatem, quae in re nobis occurrit, adiecit eumdem Stagiritam veluti diversas qualitates considerasse ea omnia, quae vel materiam ad receptionem formae praeparant, vel rem ex materiae, et formae coniunctione iam constitutam subsequuntur. Quapropter censuit eum pro secunda specie qualitatis in re habuisse *potentiam ad esse*, quam intellectus *actui*, nempe *actuali existentiae* praecedere intelligit [2]. Ast oppido falsus est. Etenim, si Aristoteles docuit qualitatem, prout categoria est, esse illud, ex quo subiectum *quale* dicitur, ad categoriam qualitatis referre haud potuit *potentiam ad esse*, quam intellectus essentiae substantiae iam constitutae praecedere intelligit. Huic praeposterae interpretationi Albertus M. occurrerat, si quidem contendentes potentiam naturalem, vel impotentiam esse primam speciem qualitatis, eo quod « potentia naturalis praecedit esse, dispositio autem, et « habitus esse rei consequuntur », reprehendit, eo quod

---

[1]) « Quia ergo dispositio, et habitus modum suum ponunt in « primis substantiae compositae principiis, quae sola substat « accidentibus, ideo sunt prima species qualitatis. Potentia au- « tem naturalis est consequens esse compositi: est enim conse- « quens ad actum, quem forma habet in composito, et ad actus « consequentes naturam compositi, ideo potentia naturalis est « secunda species, et non prima »; *Op. cit.*, ibid., c. 5.

[2]) *Op. cit.*, c. 22, p. 312, not. 1.

confunderent potentiam materiae ad *esse*, seu ad formam, cum potentia, quae *esse* rei consequitur, sive cum potentia ad agendum. « Ad hoc autem, inquit, quod obiicitur, « quod potentia naturalis praecedit esse, dicendum, « quod haec est potentia materiae ad formam, et ad « esse: et haec non est naturalis potentia, sed haec po- « tentia est consequens semper esse [1] »; et paulo inferius: « Ad hoc autem quod dicitur, quod potentia se « magis tenet ex parte materiae, dicendum, quod haec « non est potentia ad agendum, quae est esse consequens, « sed potius est potentia ad esse [2] ». Idem docuit ibidem, cum inculcavit hanc potentiam naturalem esse qualitatem, quia ipsa est accidens, quod *esse*, sive essentiam rei iam constitutam consequitur. « Ad hoc, « subdit, quod ulterius quaeritur, si potentia naturalis sit « qualitas? Dicendum, quod potentia naturalis ad actus « esse consequens, est qualitas, et accidens, secundum « quod omne illud est accidens, quod sequitur ad esse « perfectum [3] ».

Praeterea, Bonghius in eo etiam graviter peccavit, quod censuit potentiam, et impotentiam esse secundum Aristotelem duas qualitates, quae se invicem ita habent, ut secunda *privationem* primae indicet [4]. Nam privatio, secundum Aristotelem, ut ipsemet Bonghius saepe observavit [5], denotat defectum alicuius attributi realis in re, quae ad illud in se recipiendum naturaliter comparata est, puta caecitatem in homine. Ast impotentia, uti vidimus, secundum Aristotelem, non denotat defectum potentiae agendi, vel resistendi in subiecto, sed imbecillitatem in potentia agendi, et resistendi. Quocirca privatio non est ens reale positivum, sed defectus eius in subiecto ad illud habendum naturaliter comparato; e contrario, impotentia est ens reale positivum,

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., c. 5.
[2]) Ibid. — [3]) Ibid.
[4]) *Op. cit.*, lib. V, c. 22, p. 312, not. 1.
[5]) *Ibid.*, c. 22, p. 311, not. 1, et lib. IV, c. 2, p. 157, not. 1.

quia potentia agendi, et resistendi, licet imbecilla, est aliquid reale positivum [1]. Hinc scite Albertus M. contra quosdam veteres observavit impotentiam *nomine* fundamentum habere in privatione, sed *re* in qualitate contraria, quia qualitas contraria impedit, quominus potentia naturalis vehementer agat, et cunctis actioni suae adversantibus vehementer resistat. « Ad hoc, scribit, quod « obiicitur de naturali impotentia, dicendum, quod, « quamvis, quantum ad nomen, fundetur in privatio- « ne, tamen secundum esse fundatur in contrario, quod « est contraria qualitas in materia potentiam naturalem « impediens [2] ».

Ad utrumque errorem Bonghii magis, magisque patefaciendum observare e re est, quod Aristoteles, ipso Bonghio fatente, potentiam, et impotentiam ad categoriam qualitatis retulit. Iam, potentia ad *esse*, ut privatio secundum doctrinam Aristotelis de natura categoriarum, quam antea exposuimus, ad nullam categoriam reduci possunt. Namque omnis categoria, Aristotelis iudicio, specialem modum denotat, quo ens in naturis rerum determinatur; potentia ad *esse* autem, et privatio non denotant ullum ens reale, aut modum entis realis, sed illa ens, quod est in potentia, haec defectum entis realis. Ergo Aristoteles pro potentia, et impotentia, quas secunda specie qualitatis complexus fuit, *potentiam ad esse*, et *privationem potentiae* intelligere non potuit.

De secunda specie qualitatis, nempe illa, quae ad principium actionis spectat, satis superque, quantum ad praesentem rem pertinet, dictum est. Ad tertia, cuius principium passio, sive operatio *passiva* est, exponendam progrediamur. Nos quotidiana experientia edocemur obiecta per actionem, quam in se recipiunt, interdum ita *affici*, ut aliqua *alteratio*, ἀλλοίωσις, scilicet *transmutatio* in ipsis fiat, sive ut ipsa, ἀλλοία *alte-*

---

[1]) Vid. s. Thomam, *In lib. V Met.*, lect. XIV.
[2]) *Op. cit.*, ibid., c. 5.

ra, evadant. Ita, corpus ex calore, quem in se recipit, ita afficitur, ut transmutetur, si quidem, abiecta frigiditate, calidum evadit. Iamvero, huiusmodi affectiones, quae cum aliqua *alteratione*, sive perturbatione coniunguntur, esse veras qualitates Albertus M. brevi, planoque argumento probavit, quod ipsis eius verbis exponere iuvabit : « Quaecumque. . . subiecta suscipiunt illa, « quae ita dicta sunt qualitates, et quaecumque etiam « informantur ipsis, secundum ipsa qualia dicuntur. « Qualitas autem est, secundum quam quales dicimur. « Igitur ista sunt qualitates ». Propositionem, sive, ut Scholae aiunt, *maiorem* inductione evicit; subdit enim: « Hoc autem inductione probatur et exemplo, ut mel: « ex hoc enim quod subiectum mellis dulcedinem su- « scipit, dicitur secundum hoc quale, quia dulce. Eo- « dem modo dicitur corpus album, quia suscipit albe- « dinem se informantem [1] ». Quin vero hae qualitates tertiam speciem qualitatis constituant, dubitare non licet. Cum enim operatio passiva activam expostulet, qualitates, quae ad illam referuntur, qualitatibus, quae ad has pertinent, posteriores natura sint oportet. Hinc sapienter s. Thomas scribit: « modo (*passio*) dicitur qualitas, « secundum quam fit alteratio, sicut album et nigrum, « et huiusmodi, et haec est tertia species qualitatis [2] ».

Vt haec species qualitatis penitus intelligatur, nonnulla observanda sunt. Et primo ad ipsam pertinent cum qualitates, quae perturbationem in subiecto producunt, tum qualitates, quae ob perturbationem in subiecto productam, in eodem subiecto oriuntur. E. g. qualitates huius tertiae speciei sunt tam metus, qui statum hominis *alterat*, sive perturbat, quam pallor, qui ex metu, qui hominem perturbat, in eius vultu efficitur. Hoc discrimen, ut per se patet, inter ipsas est, quod primae alterant subiectum per se, aliae autem per *alterationem*, quam pri-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid., c. 6.
[2]) *In lib. V Met.*, lect. XX.

mae in ipso gignunt. Apposite s. Thomas: « Illae qua-
« litates (*tertiae speciei*) semper habent ordinem ad a-
« liquam transmutationem corporalem, vel quam infe-
« runt, vel a qua causantur [1] ». Secundo, *alteratio*, quae in subiecto per huiusmodi qualitates producitur, interdum est levis, et fugax, cuiusmodi est, e. g., pallor, qui ex metu gignitur, interdum autem constans, et diuturna, puta pallor ex longa aegritudine ortus. Tertio, *alteratio*, quam huiusmodi qualitates producunt, vel ex quibus producitur, non est late accipienda, nempe pro quocumque motu, ex quo subiectum *alterum*, ἄλλοίου, efficitur, quemadmodum intellectus, eo quod actiones eius a sensibus pendent, quodammodo *alterari* dicitur, sed stricte, et presse, nempe pro motu, quo una qualitas aliam sibi contrariam in subiecto expellit. Ex quo vides nec scientias, nec virtutes per *alterationem* proprie dictam in subiecto effici, quia necesse non est, ut qui scientia, vel virtute animum excolit, vitio, aut errore inquinatus fuerit : sed calorem per *alterationem* proprie dictam in corpore produci, quia dici non potest corpus fieri calidum, nisi fuerit frigidum [2]. Quarto, cum res corporeae dumtaxat capaces sint alterationis stricte sumtae, liquet qualitates tertiae speciei in rebus corporeis proprie inveniri, et, si in animam quoque cadunt, id, ut s. Thomas observavit [3], nonnisi *per accidens* evenire, nempe ex eo, quod anima corpus *substantialiter*, οὐσιώδως, sibi coniunctum habet [4].

---

[1]) *In lib. IV Sent.*, Dist. IV, q. I, a. 1 *sol.* Cf Albert. M., *Op. cit.*

[2]) De alteratione, ἀλλοίωσει, vid. Aristotelem *Met.*, lib. XII, c. 2, et XIV, c. 1; *Phys.*, lib. V, c. 2; *De Anim.*, lib. II, c. 1, ed. Bekker.

[3]) « Passio autem cum abiectione non est, nisi secundum « transmutationem corporalem: unde passio proprie dicta non « potest competere animae, nisi per accidens; in quantum sci- « licet compositum patitur »; 1ª 2ªe, q. XXII, a. 1 c.

[4]) Ad maiorem intelligentiam huius doctrinae iuvat prae oculis habere hunc praeclarum locum s. Thomae: « . . . cum alte-

His omnibus exploratis, proclive est notionem tertiae speciei qualitatis, eiusque modos describere. Ipsa enim, uti ex dictis patet, in universum spectata dici potest accidens, quod in substantia alterationem sensibilem producit, vel ab alteratione sensili producitur. Re vera, quoniam alterationem sensilem producere, vel ab ea produci dicitur, inde a reliquis speciebus qualitatis luculenter discriminatur. Quod ad secundam, et quartam attinet, res per se manifesta est. Nam potentia et impotentia in substantia principium agendi, et resistendi firmum, aut infirmum, sed nullam effectum denotant, ex quo substantia alteratur. Figura autem, quae, ut mox videbimus, quarta species qualitatis est, cum sit, aiente s. Thoma, « qualitas « resultans ex terminatione quantitatis [1] », tantum abest, ut quantitatem substantiae inhaerentem alteret, ut non alia, quam ipsius quantitatis acquisitione, in subiectum inferatur. Nonnihil difficultatis circa primam speciem qualitatis in cuiuspiam mente oboriri potest, quippe quod dispositio, et habitus quaedam alterationes substantiae esse videntur. E. g. calor, et frigus et tamquam alterationes substantiae, et tamquam dispositiones, aut habitus eius considerari possunt, quia re ipsa sunt accidentia, quae in substantia per alterationem eius oriuntur, et efficiunt, ut substantia aliquo speciali modo disponatur, et se habeat.

« ratio passiva includat in intellectu suo passionem, sicut du-
« plex est passio, ita duplex est alteratio. Dicitur enim com-
« muniter passio uno modo omnis receptio, secundum etiam
« quod intelligere pati dicitur: et sic etiam alteratio secundum
« istam passionem consistit in qualibet variatione circa rece-
« ptionem alicuius qualitatis: et hoc modo potest esse alteratio
« etiam in substantiis pure intellectualibus... Alio modo dici-
« tur proprie passio, quando abiicitur aliquid a substantia, et
« hoc est ex actione contrarii transmutantis: et secundum istam
« passionem alteratio dicta non est, nisi circa sensibilia, et circa
« sensibilem partem animae per se, et circa intellectum per
« accidens, quantum ad illas qualitates, quae in parte intelle-
« ctiva ex sensibus oriuntur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 1 ad 5.

[1]) *In lib. III Sent.* Dist. XVI, q. II, a. 1 ad 1.

Quod quidem eiusdem Aristotelis auctoritati comprobari videtur, quippe qui calorem, et frigus inter qualitates cum primae, tum tertiae speciei recensuit [1]. At sciendum est, nihil prohibere, quin eadem qualitas, diversis modis considerata, ad diversas species qualitatis referatur, immo id naturae rerum adprime consentaneum esse; si quidem eadem qualitas, diversis modis considerata, diversos modos prae se fert, ex quibua substantia in eadem specie qualitatis qualis dicitur, seu qualificatur. Enimvero, ne a praesenti quaestione discedamus, si qualitates, quae in substantia per alterationem eius oriuntur, aut ab ipsa alteratione fiunt, naturae substantiae accommodatae sunt, procul dubio, facta alteratione, substantiam ita determinant, ut ipsa ad operandum speciali quodam modo disponatur, vel se habeat. Ita calor, et frigus sunt qualitates tertiae speciei, quatenus corpus ab ipsis alteratur, cum vel, abeunte frigiditate, fit calidum, vel, abeunte caliditate, fit frigidum; sunt vero qualitates primae speciei, quatenus corpus per alterutrum, si naturae eius consentaneum sit, fugaciter, vel permanenter ad operandum comparatur. Haec inter varias huius difficultatis solutiones nobis arrisit, quam s. Thomas breviter exposuit hunc in modum: « . . . commen-
« suratio ipsarum qualitatum passibilium, secundum con-
« venientiam ad naturam, habet rationem dispositio-
« nis : et ideo, facta alteratione circa ipsas qualitates
« passibiles, quae sunt calidum, frigidum, humidum,
« et siccum, fit ex consequenti alteratio secundum ae-
« gritudinem, et sanitatem : primo autem, et per se non
« est alteratio secundum huiusmodi habitus, et dispo-
« sitiones [2] ».

Haec vero tertia species qualitatis duos modos habet, quia alteratio, quam in subiecto producit, uti diximus, interdum constans, et diuturna, interdum levis, et fugax est. Qualitates, quae ad priorem modum pertinent,

---

[1]) *Cat.*, c. cit., *passim*. — [2]) 1ª 2ae, q. L, a. 1 ad 3.

post Aristotelem vocantur *passibiles qualitates*, παθητικαὶ ποιότητες, et quae ad secundum modum, πάθη, nempe *passiones* [1]. Hinc qualitas passibilis est, quae constanter, et permanenter substantiam alterat, aut ob constantem, et permanentem alterationem in substantia factam, in eadem substantia oritur, et passio, prout hic accipitur, nempe tamquam modus tertiae speciei qualitatis [2], est quae leviter, vel fugaciter substantiam alterat, aut ab hac alteratione in ea producitur [3]. Vtriusque modi exempla cum quod ad animam, ad quam haec species qualitatis,

[1]) *Op. cit.*, ibid., p. 105, ed. Trendel.

[2]) Prout hic accipitur, inquimus, quia variae, uti alias diximus, sunt huius vocis significationes. Cf s. Thom., I, q. LXXIX, a. 2 c. Harum una est, quae ad sextam categoriam spectat.

[3]) Qualitates, quae ad primum modum huius tertiae speciei pertinent, passibiles dicuntur, non quia subiecta, in quibus sunt, aliquid patiuntur; quid enim nix ab albedine, aut mel a dulcedine patitur? verum vel quia sensus illis affecti aliquid patiuntur, puta gustus a dulcedine, tactus a calore, aliique sensus similiter, vel quia ipsae ab aliqua passione in subiectis facta oriuntur, puta a metu pallor, et a verecundia robor (vid. Arist., *Op. cit.*, ibid.). Ex quo vides Bonghium non adamussim intellexisse discrimen, quod Stagirita inter passiones, et qualitates patibiles posuit. Nam, secundum Aristotelem, ut ipse in librum quintum *Met.* animadvertit, passiones sunt qualitates passivae, quae corporibus tribuuntur non propter se, sed propter passionem, quam sensibus afferunt, uti, e. g., dulcedo melli tribuitur, non quia mel ex ea dulce est, sed quia gustum dulcedine afficit. Passibiles qualitates vero sunt qualitates passivae, quae corporibus tribuuntur, non eo quod aliquem effectum producunt, sed eo quod ipsis afficiuntur: puta marmori albedo tribuitur, non quia ipsum alia corpora alba efficit, sed quia ipsum ex albedine fit album (*Met.*, lib. V, c. 21, p. 309, not. 1). Verum, haec distinctio cum doctrina Aristotelis aperte pugnat; hic enim sine ulla ambage asseruit qualitates passibiles non dici ex eo quod subiecta ipsis afficiuntur, sed quia ipsae in sensus passionem inferunt. Ceterum, nos haud capimus, quid causae sit, cur albedo nivi conveniat, quia nix sensum videndi afficit, marmori autem, quia ipsum ab ea afficitur. Etenim, quemadmodum marmor ab albedine dicitur album, ita nix ab albedine alba vocatur, et marmor, perinde ac nix, ob albediuem visionem afficit. Consulendus est hac de re Albertus M., *Op. cit.*, ibid., c. 6.

uti advertimus, *per accidens* convenit, tum quod ad ipsum corpus, accipe ex s. Augustino, qui scribit: « Quantum ad « animam attinet, affectio est timere, affectionis quali- « tas timidum esse, sicut aliud est iratus, aliud iracun- « dus, aliud ebrius, aliud ebriosus; illae affectiones, istae « affectionales sunt qualitates. Quantum autem ad corpus, « sicut aliud est pallens, aliud rubens, aliud rubicun- « dum, et si qua huiusmodi, quorum desunt usitata vo- « cabula [1] ».

Bonghius notionem passionis, quam, duce Aristotele, exhibuimus, obscuritate laborare contendit, quippe quod passio per alterationem definitur, nec tamen, quid sit alteratio, explicatur, et Trendelenburgio [2] consentit asserenti Aristotelem conceptum *passionis* per conceptum *alterationis* [3], et vicissim [4], exposuisse, quin ad conceptum utrique communem assurgeret [5]. Sed primo, Trendelenburgium, et Bonghium effugit, quod notio alterationis est per se perspicua, ob idque, quoniam passio, quae ad tertiam speciem qualitatis pertinet, per alterationem fit, ipsa a passione, quae est sexta categoria, satis distinguitur, cum per alterationem fieri dicitur. Secundo, in locis, quos Bonghius post Trendelenburgium laudavit, Aristoteles non declaravit conceptum alterationis per conceptum passionis, sed, cum alteratio sit quidam motus, dixit motum proprium alterationis esse illum, qui in qualitate passionis locum habet. Re vera, ipse in locis laudatis non aliud, nisi alterationem esse *motum passionis* [6], et *motum secundum qualitatem* [7] asseruit.

Antequam hanc speciem qualitatis deseramus, duo notare iuvat, quae Albertus M. nos monuit. Primum est, passiones, et passibiles qualitates esse duos modos, uti hactenus

---

[1]) *Cont. Iul.*, lib. IV, c. 18.
[2]) *Hist. categ.* (germ.), p. 100 ed. cit. — [3]) *Categ.*, l. c.
[4]) *Met.*, lib. XII, c. 2, et lib. XIV, c. 1.
[5]) *Op. cit.*, lib. V, c. 21, p. 309, not. (1).
[6]) *Met.*, lib. XII, c. 2. — [7]) *Met.*, lib. XIV, c. 1.

pro concesso sumpsimus, non vero duas species qualitatis; si quidem ipsae ab se discriminantur non diversitate principiorum, ex quibus oriuntur, sed ex diversitate modorum accidentalium, secundum quos subiecta afficiunt, scilicet vel *fugaciter*, vel *permanenter*. Cuius rei illud, uti Albertus M. advertit, argumento est, quod aliquando eadem qualitas primo est passio, deinde passibilis qualitas. « Hanc enim, ait, unam speciem ponimus, ideo quod « formae qualitatis non differunt; sed sunt eiusdem spe- « ciei qualitatis, et aliquando eadem numero qualitas; « primo enim est passio, et postea passibilis qualitas ». Statim vero subdit: « Tamen, quia passio est afficiens, « et cito transiens qualitas, passibilis autem qualitas est « durans, et radicata in subiecto, qui modi sunt oppo- « siti, ad idem nomen non possunt reduci, eo quod « hoc nomen ab oppositis rei proprietatibus imponere- « tur, et opposita significaret [1] ». Alterum est, nomen, et vim huius qualitatis non tam passioni, quam passibili qualitati convenire. « Quaecumque enim, laudatus Doctor scribit, « sunt de numero talium qualitatum, quae « cito transeunt, et cito de facili solvuntur, dicun- « tur passiones: non enim secundum has dicuntur « quales, sed aliquid passi: nullus enim simpliciter di- « citur rubus propter hoc, quod ex verecundia rubeus « factus est [2] ».

Restat, ut quartam speciem qualitatis explicemus, quae *figura*, σχῆμά, et *forma*, μορφή a Stagirita nuncupata fuit [3]. Quid figurae, seu formae nomine hoc in loco A-

---

[1]) *Op. cit.*, c. 6. — [2]) *Ibid.*

[3]) *Categ.* ibid. p. 107. Quaesitum ab interpretibus est, quid sit, quo *figura*, et *forma*, secundum Aristotelem, ab se differant. Nos putamus duo posse quaeri; 1° utrum aliquid discriminis inter utramque Aristoteles re ipsa posuerit; 2° si re ipsa aliquod discrimen posuit, quale istud sit. Si primum detur, ceteris probabilior nobis videtur sententia Iamblichi (apud Simplic., *Op. cit.*), qui figuram esse rerum mathematicarum solum, formam vero rerum aliarum quarumcumque sensit. Aristoteles enim in primis ad pro-

ristoteles significatum voluerit, inter eius interpretes non convenit. Huic dissensioni occasionem praebuit ea, quae Aristoteles in *Categor.*, et in *Metaph.* de diversis speciebus qualitatis asseruit, secum componendi studium. Namque Aristoteles in *Metaph.* non solum qualitates, quae *secundum motum*, ob idque secundum accidens differunt, sed etiam qualitatem differentiae specificae enumeravit; in *Categor.* vero, si *figurae*, sive *formae* nomine differentiam essentiae non significavit, qualitatum tantum, quae secundum motum differunt, rationem habuit. Alex. Aphrodisiensis, qui hanc quaestionem proposuit, ipsam non resolvit, sed facultatem lectoribus reliquit alterutrum propugnandi, scilicet vel quod in *Categor.* differentiam essentiae nomine figurae, aut formae designavit, vel quod qualitates accidentales dumtaxat explicuit [1]. Posterior sententia Trendelenburgio [2] post Scaynum [3], aliosque Scholasticos placuit, sed prior secundum Averroem [4] Alberto M. [5], s. Thomae [6], s. Bonaventurae [7], Scoto [8], et fere cunctis Scholasticis probata est. Bonghius in averroicam sententiam inclinavit, sed inde novam causam reprehendendi Aristotelem aucupatus est, quod

---

bandum figuram esse qualitatem exempla trianguli, et quadranguli attulit; deinde adiecit secundum formam etiam unumquodque quale dici. At nos arbitramur Aristotelem duabus illis vocibus unum, idemque significasse, si quidem, uti ex s. Thoma (1, q. VII, a. 1 ad 2) inferius videbimus, figura, quippe quae quantitatem terminat, est veluti forma ipsius.

[1]) *Schol.*, ed. Brand. p. 716, a.

[2]) *Op.cit.*, p. 101, ed. cit.

[3]) *Paraphrasis in Arist. libros XIV de prima Philosophia*, lib. V, c. 14, p. 213, Romae 1587.

[4]) *Comm. in Organ.*, *Opp.* vol. I, fol. 46, Venetiis 1574.

[5]) *Op. cit.*, ibid., c. 8, et *Met.*, lib. V, tract. III, c. 5.

[6]) $1^a\ 2^{ae}$, q. XLIX, a. 2 c.; cf 1, q. VII, a. 1 ad 2, et *in lib. IV Sent.*, Dist. X, q. I, a. 3 sol. 1.

[7]) *In lib. IV Sent.*, Dist. VI, part. 1^a, a. 1, q. I, *resol.*, et Dist. XLIX, a. 1, q. 1 *ad arg.*; *Centiloq.*, part. 3, § 24.

[8]) *Super Praedic.*, q. XXXVI, n. 11, et 12.

aliter in *Categor.*, aliter in *Metaphys.* qualitatis species recensuisset [1].

Nobis sententia Averrois, quam Doctores Scholae propugnarunt, extra omnem dubitationis aleam posita esse videtur. Ad cuius rei intelligentiam praemittendum est formam tribus modis apud Aristotelem accipi, scilicet vel pro principio substantiali, quod materiam ad aliquam naturam, seu speciem determinat, quemadmodum anima est forma viventis; vel pro quolibet principio accidentali, quod naturam rei, iam constitutam, speciali quodam modo determinat, cuiusmodi sunt virtus, scientia, albedo, aliaque id genus; vel denique pro accidente speciali, nempe pro dispositione partium, ex qua quantitas qualificatur. Iam, cum nonnulli Interpretes *Organi* sibi persuasissent, non posse Aristotelem a contradictionis culpa absolvi, nisi eodem modo in *Categ.*, ac in *Metaph.* categorias enumerasse dicatur, alii formam, et figuram, quam Aristoteles in *Categ.* explicuit, pro qualitate essentiali, nempe pro differentia essentiae explicarunt, ob idque Stagiritam in utroque opere sibi constitisse contenderunt, alii autem formam, et figuram pro accidentali qualitate, nempe pro dispositione partium quantitatis accipientes, Aristotelem, tanquam sibi minime constantem, traduxerunt.

Verum, illi, nostra quidem sententia, rem acu tetigerunt, qui Aristotelem in *Categoriis* qualitatem essentialem differentiae minime innuisse, sed idcirco sibi haud constantem non esse dicendum, eo quod illam in *Met.* inter species qualitatis recensuit, et explicuit. Etenim, cum categoriae, ut saepe diximus, aliter ad logicam, aliter ad metaphysicam spectent, Aristoteles, qui de ipsis in utraque philosophiae parte tractavit, aliter in una, quam in alia, illas considerare debuit. Re vera, quoniam Metaphysica notiones rerum, prout ad ipsas res referuntur, expendit, Stagirita in ea omnes modos, secundum quos

---

[1]) *Op. cit.*, lib. V, c. 14, p. 288, not. (2).

[illegible] ex quacumque [illegible] sunt. Exponere [illegible] est. [illegible], cum [illegible] in [illegible] de categoriis [illegible] [illegible] [illegible], scilicet illas, quae ad alias [illegible] non possunt, et ad quas [illegible], differentias essentiae, [illegible] quam speciem [illegible] qualitatis, considerare non debuit, propterea quod ipse, ut ante diximus, [illegible], prout [illegible] genera [illegible], sed [illegible], ad categoriam substantiae pertinet. [illegible] quam [illegible], [illegible] ex quoque [illegible] est. Hinc s. Thomas, praecipuam qualitatis [illegible], ab Aristotele in *Met.* traditam, exponit, ubi ait: « Hunc autem modum qualitatis Aristoteles in praedicamentis praetermisit, quia non continetur sub praedicamento qualitatis, de quo ibi agebatur [1] ». Eamdem solutionem, quam exposuimus, ab Averroe [illegible] propositam, atque a Scholasticis vulgo acceptam B. Albertus M. his paucis verbis [illegible]: « Dicimus [illegible] qualitatem aliter, quam in praedicamentis: quia ibi diximus de [illegible] ad [illegible] universe de [illegible]: hic autem modo [illegible] dicimus, qui [illegible] qualitatem secundum quod qualitas dicitur quocumque modo qualificans hoc, cuius est qualitas [2] ».

[1] In lib. IV *Met.*, lect. XVII.

[2] *Met.*, lib. V, tract. III, c. 5 Borghius, his verbis Alberti M. [illegible] quam ceteris explicatius B. Doctor exponit, minime intellexisse fassus est. At ipse solutionem [illegible], perinde ac alia non pauca metaphysicae aristotelicae placita, quae ad categorias spectant, non intellexit, propterea quod minime [illegible] Stagiritam in *Met.* [illegible] ipse aliquot [illegible] commentatus est, [illegible] de categoriis egisse, ac in *Organo.* [illegible] factum est, ut [illegible] reprehenderet, vel quod nonnulla in altero opere praetermisit, quae in altero exposuit, vel quod nonnulla, quae in Metaphysicis asseruit, cum iis, quae in *Organo* [illegible], non omnino convenirent. Is argumento est Borghium [illegible] germanam, quorum vestigia terit, discrimen inter obiectum metaphysicae, et obiectum logicae, a Scholasticis semper [illegible], minime haud [illegible] esse.

Quapropter, si Aristoteles qualitatem essentialem differentiae, de qua in *Metaph.* egit, in tractatu logico *De Categoriis* omisit, sibi haud constans fuisse dicendus non est.

Quin vero Stagirita *figurae*, et *formae* vocibus differentiam essentiae non indigitaverit, dubitandum non est. Nam, praeterquam quod huius rei plurimos, eosque praestantissimos interpretes vades dare possemus, id ex ipso textu huius capitis *Categoriarum* sine ulla difficultate colligitur. In hoc enim Aristoteles, uti ex dicendis patescet, non alia exempla ad figurae, vel formae qualitatem explanandam protulit, quam quae dispositionem partium quantitatis significant.

His praeiactis, ut, quid sit quarta species qualitatis, quam Aristoteles *figuram*, et *formam* dixit, intelligatur, advertendum est propriam rationem quantitatis in eo consistere, quod corpus per ipsam partes habet, sed minime expostulare, ut hae partes potius uno, quam alio modo disponantur. Nam *ratio*, sive essentia quantitatis eadem est, e. g., tam in triangulo, quam in quadrangulo, cum triangulum, et quadrangulum, prout aliquod *quantum* sunt, ab se nihil differant, quia hoc, perinde ac illud, in partes extenditur [1]. Quod si res ita se habet, liquido patescit 1° praeter *esse* quantitatis, quo partes corporis extenduntur, agnoscere oportere in corpore aliud *esse*, quo partes eius certo quodam modo disponuntur; 2° hoc *esse*, tanquam *accidens* accidentis, quod quantitas dicitur, intelligendum esse, quia, cum ipsum sit quidam modus, sive affectio quantitatis, substantiae, nonnisi per *esse* quantitatis, convenit. Iamvero, illud *esse*, quo partes corporis certo modo disponuntur, esse aliquam speciem qualitatis manifestum est, si quidem per ipsam corpus non dicitur dumtaxat *quantum*,

---

[1]) « Cum ratio quantitatis, s. Thomas scribit, sit ab omni « sensibili abstracta, eiusdem rationis est quantitas in omnibus « naturalibus corporibus »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 10 c.

sed *quale quantum*, puta *triangulum*, aut *quadrangulum*, sive per ipsam quantitas corporis qualificatur.

Haec vero species qualitatis, prout id denotat, quod est terminus quantitatis, sive, ut quoque aiunt, claudit quantitatem, *figurae* nomen ab Aristotele habuit. Hinc s. Thomas inquit: « Est figura, quae termino, vel termi- « nis comprehenditur [1] »; et s. Bonaventura: « Figura « est clausio terminorum secundum quod est in quar- « ta specie qualitatis [2] ». Disertius ante ipsos s. Augustinus figuram definiverat his verbis: « Figuram voco, « cum aliquod spatium linea, lineisve concluditur, « tanquam si circulum faceres, aut quatuor lineas fini- « bus suis sibimet iungeres, ita ut nullius finis ab al- « terius copulatione liber esset [3] ». Prout vero haec species qualitatis illud denotat, quo una quantitas ab alia discriminatur, puta triangulum a quadrangulo, *forma* dicta ab Aristotele fuit, quia forma est illud, quo unaquaeque res ab alia distinguitur. Vnde rursus Aquinas: « Dicendum, quod terminus quantitatis est sicut forma « ipsius, cuius signum est, quod figura, quae consistit « in terminatione quantitatis, est quaedam forma circa « quantitatem [4] ». Itaque cum figurae, tum formae proprium est quantitatem circumscribere, sive, ut cum Schola loquamur, *terminare*; de forma enim quoque s. Augustinus tenet: « Forma circumscribitur finibus, habet « metas unde, et quo usque est [5] »; verum figura nomen formae habet, prout est illud, quod genus quantitatis determinare intelligitur.

Cum hoc ita sit, forma, vel figura, quae est quarta species qualitatis, definiri potest: accidens quod ex dispositione partium quantitatis resultat, vel brevius cum s. Thoma, *qualitas circa quantitatem* [6], aut, si mavis lo-

---

[1]) I, q. VII, a. 3 c.
[2]) *In lib. IV Sent.*, Dist. VI, part. 1, a. 1, q. 1 *resol.*
[3]) *De quant. anim.*, c. 7, n. 11. — [4]) I, q. VII, a. 1 ad 2.
[5]) *Serm.* CXVII, *De Verbis Ev. Ioan. I*, n. 3.
[6]) *In lib. IV Sent.*, Dist. X, q. 1, a. 3 *sol.* 1.

qui cum s. Bonaventura, *qualitas in quantitate* [1]. Figuram vero, et formam esse aliquid reale additum quantitati Albertus M. demonstravit hunc in modum: « Ad « hoc quod dicitur, quod figura nihil addit supra quantita- « tem, dicendum quod falsum est: addit enim modum « qualitatis, qui non est quantitas: qui est acutum, vel « rectum, vel hebes in angulis, vel rotundum, vel pla- « num: quae non sunt rationes tantum, sed sunt res [2] ».

Atque haec de qualitate, prout categoria logica est, satis, superque. Ab eius proprietatibus explicandis supersedemus, cum has, aliaque non pauca, quae ad notionem qualitatis perficiendam nosse oportet, exponere ad alias partes philosophiae spectet.

Quatuor prioribus categoriis absolutis, a sex reliquis explicandis hoc in loco abstinemus: Qua in re Aristotelis [3], quem Albertus M. [4], aliique Scholastici secuti sunt, monitis, et exemplo insistemus. Ipse enim, postquam de substantia, quantitate, relatione, et qualitate disseruit, dixit se reliquarum categoriarum explicationem omissurum, quia, cum hae perspicuae per se sint, satis ad ipsarum intelligentiam esse poterant, quae initio sui libri scripserat. Certe, illud sibi non voluit, ad intelligentiam actionis, et passionis, loci, et temporis, aliorumque satis esse pauca verba, quibus categorias enumeraverat, quippe quod de hisce omnibus aliis suis libris copiose, subtiliterque disseruit; sed putavit satis esse: ut Simplicius monuit [5], tyronibus ad usum logicae eam sex reliquarum categoriarum cognitionem habere, ut ad ipsas redigere discant ea, quae sub ipsis continentur, atque ita attributiones, et propositiones ad constructionem syllogismorum efficere valeant. Itaque nos sex ul-

---

[1]) *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, a. 1, q. 1 *ad arg.*, et *Centil.*, part. 3, § 24.

[2]) *Op. cit.*, c. 9.

[3]) *Op. cit.*, c. 9, p. 110, et 111, ed. Waitz.

[4]) *Op. cit.*, tract. IV, loc. cit. — [5]) *Op. cit.* ibid.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

timas categorias hic explicare omittimus, tum quod penita harum cognitio ad logicae usum non expostulatur, tum quod alias de illis opportunius, et facilius tractandum nobis erit.

ARTICVLVS DECIMVS QVARTVS

Nonnullae voces ad maiorem categoriarum intelligentiam opportunae explicantur

Ad intelligentiam categoriarum probe assequendam, uti ab initio Capitis diximus, cognitio categorematum necessario expostulatur [1]; si quidem haud possibile est logicum penitus intelligere supremos conceptus rerum, supremaque rerum praedicata, nisi diversi modi, secundum quos unus conceptus plures alios sibi subiectos complecti potest, et de conceptibus, quos complectitur, praedicari potest, perspecti ei fuerint. Hos modos, secundum quos summa genera rerum praedicantur, *genus*, *speciem*, *differentiam*, *proprium*, et *accidens* esse vidimus, quippe quod quidquid de subiecto praedicatur, nonnisi secundum aliquem quinque horum modorum, uti ostensum est, praedicari posse intelligimus. Verum, hosce diversos modos praedicandi, qui *categoremata*, nempe praedicabilia dicuntur, novisse satis non est; sed oportet quoque nosse communes quosdam modos, quibus plura ad unum reduci possunt, proindeque modos, quibus unum de pluribus, quae ad ipsum reducuntur, praedicari quit. Nam, si communes hi modi praedicabilitatis logico explorati non fuerint, non licet ei, ut mox videbimus, distinguere communem modum, quo singulae categoriae de suis inferioribus praedicantur, tum a modo, quo ipsae de se invicem, tum a modo, quo conceptus *transcendentales*, puta *ens*, *res*, *aliquid* [2], de ipsis praedicantur.

---

[1]) Cf p. 203, 214, 219.

[2]) Transcendentales dicuntur, quia omnia genera entium, hoc

Iam, cum ad perfectam cognitionem categoriarum multum conferat nosse omnes modos, quibus ipsae et ad se invicem, et ad ea, quae aut ipsis subiiciuntur, aut cum ipsis intime coniunguntur, comparantur, luce meridiana clarius est ad notitiam categoriarum omnibus numeris absolutam assequendam multum conferre cognitionem communium modorum, quibus unum de alio in universum praedicari potest.

Aristoteles, qui, uti dictum est [1], de quinque preadicabilibus ante tractatum *Categoriarum* non disseruit, sed ea et in ipsis *Categoriis*, et alibi passim exposuit, in primo capite *Categoriarum* communes hos modos, quos hic declarandos suscipimus, diligenter explicuit, eosque ex ea parte, quatenus commune nomen habent, potissimum consideravit. Scholastici, introductione porphyriana *De quinque vocibus* explicata, antequam categoriarum recensionem aggrederentur, communes illos modos praedicandi, aliaque pauca, quae in tribus prioribus capitibus Aristoteles exposuerat, sub nomine *Antepraedicamentorum* edisserere consueverunt. Praeterea, absolutis categoriis, nonnulla, quae ad calcem operis idem Stagirita declaranda existimavit, sub nomine *Postpraedicamentorum* tractarunt. Quocirca totam doctrinam aristotelicam categoriarum tres in partes diviserunt, quarum primam *Antepraedicamenta*, alteram *Praedicamenta*, postremam *Postpraedicamenta*, voces a Boëtio mutuati, nuncuparunt [2].

---

est omnes categorias *transcendunt*, sive transgrediuntur. Ipsae enim non denotant ullum genus entium, sed omnia genera entium pervadunt. Puta tum categoria substantiae, tum unumquodque novem accidentium categoricorum est *res*, est *ens*, est *aliquid*. Sed de his alias. — [1]) Cf p. 219.

[2]) Haec divisio apud interpretes tam graecos, tam latinos invenitur. Graeci primam partem *protheoriam*, secundam *theoriam*, tertiam *hypotheoriam* vocarunt, quia illa ea, quae ad *doctrinam*, θεορίαν, categoriarum intelligendam expostulantur, continet, ista ipsam doctrinam categoriarum aggreditur, haec tandem nonnulla ad eamdem doctrinam spectantia, appendicis instar, exponit. Boëtius (*Op. cit.*, lib. IV) graecis vocibus illas suffecit, quibus Scholastici usi sunt. Andronicus Rhodius postheoriam Aristoteli abiu-

Nos communes modos, secundum quos plura de uno praedicari possunt, hic exponemus, ceteraque, quae in *protheoria* et in *postheoria* ab Aristotele tractata sunt, ubi opus erit, passim explicabimus. Nobis autem visum est de id genus modis post tractationem categoriarum disserere, quia, si illorum cognitionem ad categoriarum intelligentiam multum conferre indubium est, indubium quoque est illos penitus non posse a nobis cognosci, nisi prius praedicabilium, et praedicamentorum doctrinam assecuti fuerimus. Iam, penitam communium modorum praedicandi notitiam non solum in scientiis philosophicis, sed etiam in cunctis scientiis naturalibus maximo usui esse neminem profecto latet.

Principio, sciendum est intellectum, uti Albertus M. docuit, plures conceptus ad unicum reducere, vel tanquam species ad genus, cui subiiciuntur, vel tanquam individua ad speciem, sub qua continentur, vel in universum tanquam ea, quae ad aliquod praedicabile spectant, ad suum praedicabile; 2° tanquam conceptus ipsorum generum supremorum ad conceptum ipsis abstractiorem, et universaliorem, qui ipsos, tanquam sibi subiectos, non continet, sed cum ipsis intime coniungitur, puta ad conceptum *entis*, aut *rei*, aut *alicuius*; 3° tanquam conceptus accidentium categoricorum ad conceptum substantiae, ad quam accidentia, veluti ad subiectum suum spectant. Breviter B. Doctor: « Cum. . . praedicabile in tri-
« plex comune reducatur, scilicet in ens, et unum...
« et in commune, quod est commune, sicut genus...
« et tertio in id, quod est commune, sicut subiectum, de
« quo praedicatur accidens. . . , oportet nos de istis tri-
« bus praemittere [1] ». Iam, quandoquidem quilibet con-

---

dicavit, sed fere omnes veteres habuit adversarios; unde de eius authentia dubitandum non est. Qua de re consule Stahr, *Aristotelia*, t. II, p. 72 ed. cit.

[1]) *Lib. de Praedicam.*, tract. I, c. 2. Vid. quoque s. Thomam, *in lib. II Sent.*, Dist. XLII, q. I, a. 3 *sol.*

ceptus superior de inferioribus praedicari potest, consequens est tres esse quoque communes modos, secundum quos unum de alio praedicari potest, quia unum de alio praedicari potest vel tanquam genus de speciebus, et quodlibet praedicabile de iis, quae ipsi subiiciuntur, vel tanquam conceptus maxime abstractus, et universalis de summis generibus rerum, cum quibus intime coniungitur, vel tanquam accidens de subiecto, cui inhaeret.

Ea, de quibus aliquid primo modo praedicatur, συνώνυμα, *synonyma*, ea, de quibus secundo modo, ὁμώνυμα, *homonyma*, ea demum, de quibus tertio modo, παρώνυμα, *paronyma*, a graecis dicta fuere. Scholastici secundum versionem, quam a Boëtio [2] mutuati sunt, illa *univoca*, ista *aequivoca*, haec *denominativa* vocarunt. Illud vero, quod de pluribus primo modo praedicatur, *univoce*, illud, quod secundo modo, *aequivoce*, illud denique, quod tertio modo, *denominative* praedicari dicitur, itemque illud, quatenus ad inferiora, de quibus praedicatur, comparatur, *univocum*, istud *aequivocum*, hoc *denominativum* nuncupatur. Denique trium horum modorum primus συνωνυμία, *univocatio*, alter ὁμωνυμία, *aequivocatio*, postremus παρωνυμία, *denominatio*, vocati sunt.

Ex his iam illud quodammodo intelligitur, quod inferius planum fiet, categorias, si ad ea, quae ipsis subiiciuntur, comparentur, esse totidem synonyma, nempe *univoca*, quia de his, veluti genus de speciebus, vel species de individuis, praedicantur; sin ad ens, aliaque *transcendentalia*, esse horum homonyma, scilicet *aequivoca*, si quidem ens, aliaque transcendentalia de his, veluti conceptus maxime abstracti, ad quos reducuntur, praedicantur; sin tandem ad se invicem, novem postremas categorias esse paronyma, sive *denominativa* primae, nempe substantiae, quia de hac, tanquam accidentia eius, praedicantur.

---

[1]) Cf p. 310. — [2]) *In Praedicam.* lib. I, p. 115, ed. cit.

His in universum praestitutis, ad singulorum explicationem accedamus.

Atque in primis haud difficulter intelligitur synonymis, sive univocis commune esse cum nomen, tum essentiam, quae nomine significatur. Enimvero, quandoquidem quilibet conceptus superior, quod ad suum complexum attinet, in singulis conceptibus inferioribus, nempe in conceptibus, qui ei subiiciuntur, *actu* invenitur, illum his tribui, sive de his *praedicari* posse manifestum est. Ergo ex eo, quod unum praedicabile ad aliud se superius reducitur, efficitur, ut hoc de illo praedicari queat. E. g., quoniam homo ad animal, tanquam species ad genus suum, reducitur, ideo *esse animal* de homine praedicari potest. Atqui praedicabilia, uti antea ostensum est, eum inter se ordinem habent, ut superius de inferiori secundum totam suam essentiam praedicetur. Ergo eorum, quae ad aliquid, tanquam inferiora ad superius, uti species ad genus, vel individua ad speciem, reducuntur, una, eademque debet esse essentia, prout ad superius referuntur. Ita homini, et belluae, prout ad animal, quod eorum genus est, referuntur, *esse animal* perinde convenit. Iamvero, si eorum, quae ad unum aliquid, tanquam inferiora ad superius, reducuntur, prout ad ipsam reducuntur, communis est essentia, nomen, quo ipsa essentia significatur, commune quoque eis sit oportet, quia unica essentia nonnisi per unicum nomen significari potest. « Ea quippe, s. Augustinus ait, uno « nomine... enuntiamus, quae communiter habent illud, « quod eo nomine significatur [1] ». Quamobrem ea, quae ad aliquid unum, tanquam species ad genus, aut individua ad speciem, aut omne aliud praedicabile inferius ad superius, revocantur, hoc est ea, de quibus aliquid unum, tanquam genus de speciebus sibi subiectis, aut tanquam omne praedicabile superius de inferiori praedicatur, idem nomen, eamdemque essentiam illo nomine

---

[1] *De Trinit.*, lib. VII, c. 4, n. 7.

significatam habent. Atqui haec ea sunt, quae *synonyma* a graecis, et *univoca* a latinis nuncupata sunt. Ergo univoca, uti sanctus Damascenus, secundum Aristotelem [1], et Clementem Alex. [2], ea definivit, sunt, « quorum nomen « commune est, et ratio essentiae (λόγος τῆς οὐσίας), quae « nomine significatur, eadem est [3] ». Eodem plane modo synonyma a Scholasticis definita invenimus. Inter hos unum satis est afferre Albertum M.; hic enim, postquam definitionem aristotelicam excripsit, haec habet: « Quando « ergo plures res in una natura, quae causa impositionis « nominis est, conveniunt in unum nomen, erunt illa « univoca ». Causam vero adduxit, ob quam Stagirita univoca numero plurali, et non univocum singulari definivit; illico enim subdit: « Et quia plura sunt uno nomine « nominata, ideo dicuntur magis convenienter in plurali « univoca, quam in singulari univocum [4] ».

Definitio, uti per se patet, duas partes habet, quarum prima commune esse univocis nomen dicitur, altera autem communis esse essentia, quam illud nomen significat. In priori parte explicanda nihil est, quod immoremur, cum non posse dici univoca, nisi quorum commu-

---

[1]) *Categ.*, c. 1, vert. Bekker. Waitzius Iamblichi, Syriani, aliorumque veterum auctoritate innixus verba τῆς οὐσίας, et κατὰ τοῦ νομα, *essentiae*, et *secundum nomen* reiecit. At nos lectionem, quam Simplicius suo tempore communem fuisse scripsit (*Op. cit.*, fol. 7 *recto*, col. 2), quamque Boëtius in sua versione retinuit (*Op. cit.*, p. 118) sequemur, cum haec et multorum veterum, recentiumque patrocinio gaudeat, et ad sententiam Aristotelis intelligendam, ut paulo post dicemus, haud parum conferat. Videsis de hac controversia ipsum Waitzium, *Op. cit.*, t. I, p. 269-271.

[2]) *Strom.*, lib. VIII, c. 8. — [3]) *Dialect.*, c. XXXII.

[4]) *Op. cit.*, ibid., c. 3. Notatu hic dignum est cum s. Basilio rebus commune esse nomen, quod illarum essentiam significat, sed singulis rebus, in quibus illa essentia est, propria esse nomina, quia eadem essentia in singulis rebus per diversas proprietates determinata invenitur. En verba s. Basilii: « Nam Petri, et Pauli, « et omnium omnino hominum diversae sunt appellationes, una « vera omnium est essentia. Vnde et appellationes non naturarum « significatrices sunt, sed proprietatum, quae sunt notae singu« lorum »; *De Sp. S.*, c. 2.

ne est nomen , inter interpretes conveniat. Nihilominus iuvat quorumdam veterum sophisma, quod penes Albertum M. legitur, refellere, quia eius confutatio ad univocorum naturam intelligendam non parvi momenti est. Nomen, illi aiebant, cuilibet rei a natura, quam ipsa habet, imponitur; atqui diversarum rerum diversae sunt naturae; ergo diversarum rerum non unum commune , sed plura , et diversa nomina sint oportet. Verum , haec difficultas, eodem Alberto monente , prorsus futilis est. Etenim diversorum diversae sunt naturae , prout diversa sunt, sed non prout ad aliquod unum , quod eis superius est, revocantur, quia, prout ad unum reducuntur , considerata, unica huius essentia communis illis est. Audiamus B. Doctorem: « Ad quod levissime respondetur, « quod diversorum in eo, quod diversa sunt , diversae « sunt formae , et diversa nomina cum formis illis im- « posita. Sed nihil prohibet diversa non in eo , quod « diversa sunt, sed in eo , in quo unum sunt , unum « habere nomen , sicut habent unam formam : et ideo « diversa individua in forma speciei nihil prohibet ha- « bere nomen unum speciei : et quae diversa sunt spe- « cie, nihil prohibet habere unam formam generis: et ideo « unum habere nomen generis , et sic est in aliis [1] ». Exemplo rem declaremus. Hominis , et bruti , si considerentur, prout sunt duae species, quae generi animalis subiiciuntur, unica et communis est essentia, quia ipsis ad genus animalis comparatis perinde convenit *esse animal*. At, si homo, et brutum in se, nempe, prout sunt diversae species, considerentur, diversas habent essentias, quia, cum *esse animal*, quod est essentia generis, secundum differentias essentiales determinatum in ipsis inveniatur, ipsi secundum essentiam ab se differunt. Exemplum parum dissimile s. Thomas adhibuit , ubi scribit: « Li- « cet sit alia propria diffinitio equi, et asini, tamen u-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. Vid. s. Augustinum, *De Trinit.*, lib. VII, c. 4, n. 7.

« nivocatur in nomine animalis, quia communis diffini-
« tio animalis convenit utrique [1] ».

Cum synonymorum commune sit nomen, liquet Stoicos a logica synonymorum notione longe aberrasse quod, teste Simplicio [2], docuerunt synonyma esse diversa nomina, quibus eadem essentia, ὁ λόγος αὐτός, significatur, necnon plerosque recentes logicos, qui, Stoicos secuti, synonymos esse volunt terminos diversos, quibus idem conceptus respondet. Enimvero, hi omnes synonyma cum *polyonymis*, nempe, ut Boëtius vertit [3], *multivocis*, perperam confuderunt. « Polyonyma (πολυώνυμα), ut ea, se-
« cundum Clementem Alex. [4], sanctus Damascensus defini-
« vit, sunt, quae definitione quidem inter se conveniunt,
« nomine autem differunt, hoc est, quando res eadem
« diversis nominibus appellatur, ut gladius, ensis, mu-
« cro [5] ». Haec autem nominum varietas non est otiosa; si quidem multivoca, uti Albertus M. advertit, si eamdem rem significant, ipsam non per eamdem, sed per diversas proprietates significant, uti de gladio, ense, mucrone, quae, exempli gratia, sanctus Damascenus adduxit, apud lexicographos videre licet. « Sunt igitur, B.
« Doctor inquit, multivoca, sive synonyma, quando mul-
« ta nomina uni rei attribuuntur, ut ensis, mucro, spa-
« ta, gladius; vel Marcus, Tullius, Cicero: his enim
« nominibus idem significatur secundum diversas proprie-
« tates, quae sunt in illo [6] ».

Iam, manifestum est multivoca ab univocis omnino differre, propterea quod haec unum nomen sibi commune habent, illa autem plura, atque horum una, eademque est essentia, quae per illud nomen significatur, illorum vero communis est non aliqua essentia, sed aliqua res ex diversis proprietatibus spectata, quas varietas nominum significat [7].

---

[1]) I, q. XXVIII, a. 4 ad 4; cf *Quodlib.* III, a. 4 ad 1.
[2]) *Op. cit.*, fol. 7 *verso*, col. 1. — [3]) *Op. cit.*, lib. I, p. 115.
[4]) *Strom.* lib. VIII, c. 7. — [5]) *Dialect.* c. XXXIII.
[6]) *Op. cit.*, ibid. — [7]) Vid. Albertum M., ibid.

Ex quo facile intelligis Stoicos, recentesque logicos vehementer deceptos fuisse primo, quod ea, quae natura sua polyonyma, nempe multarum vocum sunt, cum synonymis, nempe iis, quae unius, eiusdemque nominis sunt, confunderent, atque ita utrorumque conceptus perverterent. Secundo, quod, neglectis univocis, multivoca explicarent, quorum tractatio ad grammaticam, non ad logicam spectat [1], logicus enim, cum voces tantum propter conceptus consideret, vocum varietati tum solum studet, cum ipsa diversitatem conceptuum secum fert [2].

Quandoquidem, Stoicos refellendi gratia, polyonyma explicuimus, ad heteronymorum, quae ab antiquis interpretibus, et Scholasticis breviter explicata sunt, mentionem faciendam trahimur. Heteronyma, ἑτερώνυμα, quae latini *diversifica* [3], vel *diversivoca* [4] verterunt, ea

---

[1]) Re vera, a Grammaticis alexandrinis, qui Stoicorum placita amplexati erant, aliisque antiquis multa synonymorum lexica exarata fuisse constat. His praecesserat Chrysippus, qui, teste Athenaeo (*Diopn.*, lib. VI), tractatum περὶ Ὁμωνίας, sive, ut alii melius legunt, περὶ Ὁμωνυμίας scripsit. Speusippus quoque, ut videre licet apud Photium (voc. πηνίον), librum exaravit, cui titulum fecit Ὁμοιότητες.

[2]) Nuperrime Vaitzius scripsit Stagiritam voce synonymorum polyonyma aliquando significasse, laudavitque locum ex III *Rethoric.* c. 2, ubi synonyma esse dixit πορεύεσθαι καὶ βαδίζειν, nempe *ire*, et *proficisci* (*Op. cit.* p. 272). At Trendelenburgius contendit in laudato *Rethoric.* loco Aristotelem synonyma non aliter, ac in *Categor.*, aliisque locis accepisse, quia πορεύεσθαι ad βαδίζειν, tanquam genus ad speciem, se habet, atque huius interpretationis vadem dedit libellum περὶ πορείας ζῶων, sive *de incessu animalium*, in quo Stagirita diversos modos incedendi explicuit (*Elem. logic.*, § 42, p. 117, ed. cit.). Haec controversia, uti apud Simplicium videre licet (*Op. cit.* fol. 7 *verso* col. 2), a primis interpretibus *Organi* repetenda est. Verum, quidquid de sententia Aristotelis sit, illud certum est, Doctores Scholae nomine synonymorum polyonyma aliquando indigitasse. Audi s. Thomam: «Potest nomen... « esse aliud, et aliud propter diversitatem vocis tantum, sicut est « in synonymis, in quibus est diversa vox, sed idem significa« tum »; *Quodlib.* IV, a. 17 c. Cf Albert. M., *Op. cit.* ibid.

[3]) Boët., *Op. cit.* p. 118. — [4]) Albert. M., *Op. cit.* ibid.

dicuntur, « quorum, uti ex eodem Clemente Alexandrino [1], « sanctus Damascenus inquit, nomen, et definitio diversa « sunt [2] »; sive, ut post eum Albertus M. ipsa definivit: « Di- « versa sunt, quando diversa nomina diversis tribuuntur, « ut lignum, homo, lapis, et huiusmodi [3] ». Ex quo vides heteronyma a synonymis, polyonymis, et homonymis, de quibus mox dicemus, differre, quod illa nec nomen, nec essentiam communem sibi habent, haec autem commune habent vel utrumque, uti synonyma, vel alterutrum, uti homonyma, et polyonyma [4]. Nemo autem miretur Stagiritam de polyonymis, et heteronymis siluisse. Nam, quoniam ipsa, ut Simplicius post alios in h. l. adnotavit, « ad res ipsas nihil conferunt, sed so- « lum dictiones multiplicant », ideo « de his agere « magis munus, atque diligentia est rethorices, et poëticae « artis, sed non naturalis contemplationis [5] ». Quocirca Albertus M. se illa « non ad necessitatem scientiae, sed ad « doctrinae perfectionem » explicaturum professus fuit [6].

Posterior pars definitionis cum quod ad historiam philosophiae aristotelicae, tum quod ad ipsam rem attinet, maiori explicatione indiget. Aristotelem non aliud, nisi communitatem nominis ad synonymiam expostulasse Gumpsochius scripsit, Boëtiumque aliter sentientem reprehendit [7]. Ast, id, praeterquam quod, uti ex iis, quae dicturi sumus, luculenter patescet, constanti doctrinae Aristotelis adversatur, discrimen inter univoca, et aequivo-

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

[2]) *Op. cit.*, c. XXXIV. Hic post Clementem (*l. cit.*) quoque docuit ea, quae nomine, et essentia differunt, proprie dici heteronyma, quando circa idem subiectum versantur, puta *ascensus*, et *descensus*, quorum una est via sive sursum, sive deorsum; at, si idem non habent subiectum, proprie dici *altera* ἕτερα.

[3]) *Op. cit.*, ibid.

[4]) Consulere licet, praeter Clementem Alex., et sanctum Damascenum (*ll. cit.*), Nicephorum Blemmidam, *Log.*, c. 7, August. Vindelic. 1665.

[5]) *Op. cit.*, fol. 8 *recto* col. 1 et 2. — [6]) *Op. cit.*, ibid.

[7]) *De logica, et processu logico Arist.* (germ.), p. 7, Lipsiae 1839.

ca, quod omnes politiores logici, secundum Aristotelem, agnoscunt, omnino tollit; si quidem, ut mox videbimus, ea, quibus nomen tantummodo commune est, aequivoca, non univoca sunt. Quamobrem pluribus quidpiam aliud, praeter nomen, commune esse debet, ut univoca dici possint. Aristoteles, quem veteres eius interpretes, et Scholastici secuti sunt, docuit synonymis communem esse, praeter nomen, *essentiam*, quam nomen significat. Rosminius vero inter nuperos contendit synonymorum non esse communem essentiam, sed commune praeter nomen τὸ *esse*, per quod essentia ad actum determinatur. Hic enim, cum ens de Deo, et de rebus ab Eo creatis *univoce* praedicari mordicus tueretur, scite pervidit se non posse pantheismum vitare, si vocem entis, prout essentiam denotat, accipere, si quidem ea, quorum una est essentia, unum re ipsa sunt. Vnde asseruit, et inculcavit se vocem entis accipere, non prout essentiam, sed prout τὸ *esse* significat, ita ut ens, eius sententia, de Deo, rebusque ab Eo creatis univoce praedicetur, non quod essentia, sed quod *esse* eis commune est [1]. Ex quo intelligitur univoca, secundum Rosminium, dicenda esse non ea, quibus *essentia*, sive, ut Scholae aiunt, τὸ *esse essentiae*, quemadmodum Aristoteli, eiusque sectatoribus visum fuit, sed ea, quibus τὸ *esse*, sive, ut eaedem Scholae aiunt, *esse existentiae* commune est.

Verum, sententiam, quam Rosminius tuitus est, esse omnino absurdam brevi, luculentoque argumento ex pronuntiatis s. Thomae concinnato demonstratur. Vnivoca enim ea dicuntur, quibus non modo nomen, sed etiam illud, quod per nomen significatur, nempe *ratio nominis*, est commune. « In omnibus univocis, sanctus Doctor « ait, communis est ratio nominis utrique eorum, de

---

[1]) *Teosofia*, sez. II, c. 2, p. 230, et 231, Torino 1859; necnon *Lettera ad Aless. Pestalozza, Introd. alla Filosofia*, p. 428, Casale 1850.

« quibus nomen praedicatur: et sic quantum ad illius « nominis rationem univoca in aliquo aequalia sunt [1] ». Atqui non *esse*, sed essentia est aliquid pluribus commune, quia , cum *esse* sit illud , per quod essentia in singulis individuis determinatur, essentia est eis communis, *esse* vero est singulorum individuorum proprium. Ita humanitas , nempe essentia hominis est communis Petro et Paulo, sed aliud est *esse*, per quod in Paulo, aliud vero *esse* , per quod in Petro determinatur. Audiatur idem Aquinas: « cum in re duo sit considerare, « scilicet naturam , vel quidditatem rei , et esse suum, « oportet quod in omnibus univocis sit communitas « secundum rationem naturae , et non secundum esse: « quia unum esse non est, nisi in una re: unde habitus hu- « manitatis non est secundum idem esse in duobus ho- « minibus [2] ». Ergo illud, quod nomen univocis commune denotat, non est *esse*, sed essentia. Inde s. Thomas confecit nihil de Deo, et rebus ab Eo creatis, secus ac nuper Rosminius censuit, univoce posse praedicari, quippe quod essentia Dei est ipsum esse Eius: « Et ideo, cum omnium, « quae dicuntur de Deo , natura , vel forma sit ipsum « esse, quia suum esse est sua natura . . . : ideo nihil « de Deo, et creaturis univoce dici potest [3] ».

---

[1]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. II, a. 11 c.

[2]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXXV, q. I, a. 4 *sol.*; cf *Qq. dispp., De Verit.*, loc. cit. Hinc idem sanctus Doctor advertit univocationem non cadere in suppositum, quia hoc essentiam non per se, sed prout per *esse* determinatur, denotat. « Vnivocatio, ait, et « aequivocatio non respicit suppositum, sed essentiam, vel na- « turam, quam significat definitio »; *Quodlib.* III, a. 4 ad 1; cf *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. I, a. 3 ad 1, et *Cont. Gent.*, lib.IV, c. 49, n. 11. Idem inculcavit s. Bonaventura his verbis: « Cum « est modus dicendi univocus, est geminatio circa esse, et non « circa dicere. Vnde homo verus in Sorte, et Platone numeratur, « quia sunt duo homines, sed non multipliciter dicitur »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIV, a. 1, q. 2 *resol.*

[3]) *In lib. I Sent.*, loc. cit. De hac controversia, num ens de Deo, et creaturis univoce dici possit, quam leviter tetigimus in p. 426 sqq, plura alias.

Ex his vides veritati consentaneam esse sententiam Aristotelis a Scholasticis propugnatam, scilicet illud, quod nomen commune in univocis significat, esse essentiam. Ad hanc rem penitius intelligendam iuvabit ipsa verba expendere, quibus Aristoteles in definitione usus est. Et primo, nonnulli, inter quos Clemens Alexandr., Aristotelem illis verbis λόγος τῆς οὐσίας, nempe *ratio essentiae*, definitionem, ὁρισμόν, designasse putarunt, quia definitio essentiam, sive, ut recentes aiunt, notionem rei continet [1]. Sapienter quidem, si definitio late accipiatur, nempe prout descriptionem quoque complectitur; namque summa genera rerum, quibus hic modus communis praedicandi, uti ante dictum est [2], convenit, describi tantum, non definiri possunt. Hinc sanctus Damascenus, post Simplicium [3] aliosque graecos, et Boëtium [4], λόγον tam pro *definitione*, τῷ ὁρισμῷ, quam pro *descriptione*, τῇ ὑπογραφῇ, explicuit [5], et Simplicius Aristotelem, ob hanc causam, λόγον, *rationem*, non ὁρισμόν, *definitionem*, dixisse scripsit [6]. Quos secutus Albertus M. inquit: « ratio « quidem substantiae duo dicit . . . : dicit enim ratio « non tantum diffinitionem, sed aliam qualemcumque « declarationem, quae datur de eo, quod nominatur per « nomen [7] ». Addidit vero Aristoteles τῆς οὐσίας, ut non descriptionem qualemcumque, sed eam, quae essentiam rei attingeret, significaret; si quidem genus, ad quod species relatae, et species, ad quam individua relata sunt synonyma, semper essentiam rei, licet illud indeterminatam, haec determinatam, denotent.

Secundo, advertendum est cum Simplicio [8] non aliam essentiam univocis communem esse oportere, nisi quae nomini communi, quo designantur, respondet, nem-

---

[1]) *Stromat.*, loc. cit.—[2]) Cf p. 590. not. 2, et p. 615.
[3]) *Op. cit.*, fol. 7 *recto*, col. 1.—[4]) *Op. cit.*, p. 117.
[5]) « Vnivoca sunt, quae et nomine, et eiusdem nominis defini« tione, aut descriptione inter se conveniunt »; *Op. cit.*, ibid.
[6]) *Op. cit.*, ibid.—[7]) *Op. cit.*, ibid. c. 3.—[8]) *Op. cit.*, ibid.

pe essentiam, uti Aristoteles ait, κατὰ τοὔνομα, *nomini congruentem*. Nihil enim, ut modo diximus, prohibet, quominus ea, quae univoca dicuntur, diversas essentias habeant, sed oportet communem eis esse essentiam significatam nomine generis, cuius univoca esse dicuntur. Et sane, homo, et brutum sunt univoca, non quod ille est animal rationale, hoc autem animal irrationale, sed quod ambo commune habent nomen animalis, communemque essentiam, quae illo nomine significatur. Hinc Albertus M. probantibus non posse inveniri unam naturam generis in pluribus speciebus ex eo quod Aristoteles aliam esse rationem, sive naturam animalis in uno animali, aliam in alio docuit, respondit: « ratio animalis secundum unumquodque, « hoc est secundum esse, quod habet in unoquoque sin« gillatim, est altera: hoc enim verum est non tantum « in specie, sed etiam in individuo, quia sic animal « non accipitur ut essentia generis, sed ut habet esse « speciale, vel singulare in specie, vel in individuo: sic « autem non est genus, quia est in illo tantum, et « non est extra illud in alio: et ideo sic non est in esse « universalis, sed particularis: quia, quamvis hoc, quod « est in uno, sit in alio universali, tamen non secun« dum quod est in uno, est in alio [1] ».

Cum haec sit univocorum natura, consequitur quidquid de subiecto univoce praedicatur, nonnisi secundum unum quinque praedicabilium, sive universalium posse praedicari. « Omne, s. Thomas ait, quod de pluribus « univoce praedicatur, vel est genus, vel est species, « vel differentia, vel accidens, vel proprium [2] ». Re

---

[1]) *Op. cit.*, ibid. Ei s. Thomas adstipulatus est multis in locis, ex quibus hunc seligimus: « Dicendum, quod diversa ratio mi« nus communium non facit aequivocationem in magis commu« ni. Licet enim sit alia propria definitio equi, et asini; tamen u« nivocatur in nomine animalis; quia communis definitio anima« lis convenit utrique »; I, q. XXIX, a. 4 ad 4. Cf p. 657.

[2]) *Cont. Gent.*, lib. I, c. 32, n. 3. Cf p. 223.

vera, non potest quidquam univoce praedicari, nisi de rebus, quae participes essentiae, eius nomine significatae sunt. Atqui plures res participes eiusdem essentiae, uti suo loco ostensum est, non aliter esse possunt, nisi vel tanquam species participes sunt essentiae *generis*, cui subiiciuntur, vel tanquam individua sive essentiae *speciei*, ad quam pertinent, sive *differentiae essentialis*, per quam ab individuis alterius speciei discriminantur, sive essentiae *qualitatis*, quae necessario ab essentia suae speciei dimanat, nempe *proprii*, sive essentiae *qualitatis*, quae essentiam speciei suae non necessario consequitur, nempe *accidentis* [1]. Ergo quidquid de pluribus univoce praedicatur, non aliter, quam vel ut genus, vel ut species, vel ut differentia, vel ut proprium, vel ut accidens praedicari potest. Quandoquidem autem illud, quod convenit uni universali, convenit quoque, uti ostendimus, omnibus, quae ei subiiciuntur, sive haec etiam universalia sint, sive individua [2], liquet universale superius, quod de inferiori univoce praedicatur, univoce etiam praedicandum esse de alio universali, quod ei, quo ipsum superius est, tanquam inferius subiicitur, et sic deinceps usque ad ultimam speciem, quae de individuis univoce praedicatur. Ita *esse vivens*, eo quod de *planta*, et *animali univoce* praedicatur, de *bruto*, et de *homine*, quae sunt species animalis, necnon de *singulis brutis*, et *hominibus univoce* etiam praedicetur necesse est. Apposite s. Damascenus: « Illud autem nosse oportet quaecumque de ali-
« quo praedicatur, ut de subiecto, hoc est univoce, eadem
« de eo praedicari, quod illi subiectum est. Exempli gra-
« tia, animal de homine praedicatur, tanquam de subiecto,
« hoc est univoce, et homo de Petro. Petrus enim sub-

---

[1]) « Quod de pluribus, s. Thomas ait, praedicatur univoce se-
« cundum participationem, cuilibet eorum convenit, de quo prae-
« dicatur; nam species participare dicitur genus, et individuum
« speciem »; *Ibid.* n. 5.

[2]) Cf p. 310.

« iicitur homini. Praedicatur itaque etiam de Petro ani-
« mal: nam Petrus quoque animal [1] ».

Explicatis synonymis, homonyma, sive aequivoca exponere aggrediamur. « Homonyma, uti Aristoteles ait,
« dicuntur quorum nomen solum est commune, ad il-
« lud vero nomen definitio accommodata est diversa [2] ». Praestat audire s. Damascenum, qui secundum Clementem Alex. [3], aliosque veteres hanc definitionem aristotelicam breviter quidem, sed dilucide explicuit. « Aequi-
« voca, ait, sunt, quorum nomen dumtaxat commune
« est, ceterum definitione, aut descriptione differunt,
« ut canis nomen aequivocum est. Nam et terrestrem,
« et marinum canem significat. Alteram porro defini-
« tionem habet terrestris canis, et alteram marinus:
« quandoquidem diversa utriusque natura est [4] ». Ipse duo de his post Simplicium, Boëtium, aliosque antiquos adnotavit, quae in synonymorum definitione iam explicuimus. Primum est, voce *rationis*, λόγος vel definitionem, vel descriptionem designari, quia, illud, quod nomen aequivocis commune, non secus ac illud, quod nomen univocis commune denotat, non semper definitionis, sed quandoque dumtaxat descriptionis capax est. « Hic
« autem, ait [5], *rationis* nomine definitio intelligitur, ac de-
« scriptio ». Alterum est aequivoca ab se differre oportere illa dumtaxat *ratione*, nempe definitione, quam nomen eis commune denotat, cum nihil vetet, quin in definitione, aut descriptione per aliud nomen significata conveniant, ideoque ex hac altera parte considerata sint univoca.
« Illis autem, subdit, verbis *secundum nomen*, hoc in-
« dicatur, aliam esse definitionem ipsius nominis, cuius
« ratione aequivoca sunt. V. g. terrestris et marinus
« canis, ut canis nomine significantur, aequivoca sunt,
« si quis enim terrestris canis, et marini, quatenus u-

---

[1]) *Op. cit.*, c. XVI.—[2]) *Categ. ibid.* ed., et vert. Bekker.
[3]) *Strom.*, *Op. cit.*, ibid.—[4]) *Op. cit.*, c. XXXI.
[5]) *Ibid.* vid. Boet. p. 116, et 117, et Simpl. fol. 6 *verso* col. 2.

« terque ipsorum canis vocatur, definitionem afferre « velit, alteram terrestri, alteram marino cani defini- « tionem tribuet. Fieri autem potest ut et definitione, « et nomine inter se conveniant : ambo enim animalia « vocantur, et animalis definitionem recipiunt. Verum « huius nominis animalis ratione aequivoci non sunt, « sed potius univoci [1] ».

Iam, aequivocorum duo praecipua genera a Boëtio [2], Simplicio [3], aliisque antiquis, et a Scholasticis numerata fuere; si quidem, ut ab his observatum fuit, illorum aliis commune nomen est a *fortuna*, sive *casu* ἀπὸ τύχης, aliis ab *intentione*, ἀπὸ διανοίας sive a *consilio*. « Ex homonymis autem, Clemens ait, alia quidem « habent idem nomen a fortuna, ut Aiax Locrus, « Aiax Salaminius: alia autem ex intentione [4] ». Priora sunt, quae idem nomen habent, non quia ulla similitudo, aut ullus alius ordo unius ad alterum in eis invenitur, sed per accidens ; posteriora autem, quia est in eis aliqua similitudo, sive aliquis ordo, ex quo, tanquam communi ipsorum principio, commune nomen accipiunt. « Dicendum, quod in aequivocis, quae per for- « tunam sunt, et casum, ut canis non attenditur si- « militudo aliqua, sed in aequivocis, quae dicuntur per « respectum ad unum principium, attenditur aliqua « similitudo analogiae, vel proportionis [5] » ; atque alibi: « In his, ait, quae sunt a casu aequivoca, nul- « lus ordo, aut respectus attenditur unius ad alterum; « sed omnino per accidens est quod unum nomen di- « versis rebus attribuitur : non enim nomen impositum « uni signat ipsum habere ordinem ad alterum [6] ». Ita Aiax Locrus, et Aiax Salaminius idem nomen non habuere ex eo quod aliquis ordo inter eos perspectus fuerit ; casu enim effectum est, ut unus homo, qui natus

---

[1]) *Ibid.* Cf Simplic., *Op. cit.* fol. 6 *verso* col. 2.
[2]) *Op. cit.*, p. 117. — [3]) *Op. cit.*, loc. cit. — [4]) *Op. cit.*, loc. cit.
[5]) *In lib. I Sent.*, Dist. XXXI, q. II, a. 1 ad 2.
[6]) *Cont. Gent.*, lib. I, c. 33, n. 1.

est Locride, nomen habeat idem, ac qui Salamine natus est ; quapropter quod ad nomen ipsis commune spectat, sunt aequivoci *a casu*. Contra ea , nomen *sanitas* , ut exemplum in Scholis tritum adhibeamus , tribuitur tum corpori , tum medicinae, tum pulsui ob ordinem, quem ad sanitatem habent ; corpus enim dicitur *sanum* , eo quod sanitas ei , tanquam subiecto, inest; medicina dicitur *sana* , quia in causa est , cur corpus sit *sanum*; et pulsus vocatur *sanus* , quia corpus esse sanum argumento est. Ea , quae a fortuna sunt aequivoca , Scholastici *pure aequivoca*, vel dumtaxat, *aequivoca* nuncuparunt, quippe quod, cum ab univocis maxime distent, commune generis nomen ad ea significanda retinuerunt , atque ea , quae *a consilio* aequivoca sunt, peculiari nomine *analogorum* donarunt ab *analogia*, ἀπὸ τῆς ἀναλογίας quam Cicero latine comparationem , proportionemve [1] vertit.

Iamvero, quod ad pure aequivoca attinet, in his explicandis haud multum immoremur oportet. Monuisse satis est communitatem nominis in ipsis esse omnino fortuitam , quia nihil prae se ferunt , ex quo, cur eorum commune nomen sit , causa assignari potest. « Vbi est , s. Thomas ait , pura aequivocatio , nulla si- « militudo in rebus illis attenditur , sed solum unitas « nominis [2] ». Adde, quod eorum cognitio parum, aut nihil ad scientiae assecutionem confert. At de analogis res aliter se habet ; si quidem et nonnulla sunt , quae, cum in controversiam vocentur , aliqua explicatione egent , et in scientiis maximum habent momentum. De his tria breviter quaeremus , scilicet 1° num Aristoteles *analoga*, tanquam peculiarem speciem aequivocorum, admiserit ; 2° utrum necne analoga media inter univoca,

---

[1]) *De Vnivers.*, c. 12. Mentionem analogiae s. Augustinus fecit , ubi ait: « . . . ad analogiam, idest ad rationem quamdam « comparationis dirigenda »; *Serm.* LII, c. 8, n. 23.

[2]) *Cont. Gent.*, lib. I, c. 33, n. 2.

et pure aequivoca admittenda sint; 3° quot sint principia, ex quibus ἀναλογία, *analogia*, inter plura oriri potest, quotque idcirco analogorum species existant.

Primae quaestioni nonnulli hodierni interpretes locum fecerunt. Waitzius in annotationibus, quas primo capiti *Categor.* assuit, homonyma quam brevissime definivit, nullamque analogorum mentionem fecit [1]. Trendelenburgius Aristotelem unquam de analogis locutum fuisse negavit, Dandiniunque e S. I., quem unum Scholasticorum legisse videtur, secus sentientem, redarguit, quin locum ex VII *Phys.* c. 4 a Iesuita laudatum excuteret [2]. Bonghius Stagiritam scripsit definitionem analogorum praetermisisse, atque hac ex causa illam litem inter Scholasticos exarsisse, num ens de categoriis *univoce*, an *aequivoce*, an *analogice* praedicetur [3]. Inter recentes Scholasticos quaestio agitata fuit, utrum, necne Aristoteles analoga ab aequivocis distinxerit. Scotus enim non negavit Aristotelem de illius generis aequivocis, quae deinceps nomine analogorum designata sunt, saepe locutum fuisse; at, quandoquidem nullibi eorum definitionem attulit, id firmo argumento esse censuit, quod ea ab aequivocis non seiunxisset [4].

Verum, has opiniones diiudicare haud difficile erit. Et sane, Aristoteles, secus ac Bonghio post Scotum, eiusque discipulos visum est, definitionem analogorum non omnino omisit. Nam, cum analogorum, uti ex dictis patet, nomen sit commune, sed diversum illud, quod commune nomen in singulis significat, sane definitio aequivocorum, ab Aristotele in *Categor.* tradita, non solum ea, quae pure aequivoca, sed etiam ea, quae analoga a Scholasticis dicta sunt, complectitur. Id exemplo, quo Aristoteles ibi usus est, planum fit, nempe animalis, quod est commune *animali vero et pi-*

---

[1]) *Op. cit.*, part. I, p. 369-371.
[2]) *In lib. II De Anim.*, c. 1, § 8, p. 334, et 335, ed. cit.
[3]) *Op. cit.*, lib. IV, c. 2, p. 151, not. (3).
[4]) *Elench.*, q. XV.

cto; si quidem animal non est pure aequivocum, sed est analogum animali vero, et picto, quia animal pictum dicitur animal ex eo quod similitudinem cum vero habet[1].

Quod si definitio analogorum, quae apud Aristotelem legitur, perinde pure aequivocis, ac analogis convenit, in universum dici non potest, quemadmodum Scotus voluit, Aristotelem analoga ab aequivocis non distinxisse; sed inquirendum est, num ipse ea, quae a Scholasticis analoga nuncupata sunt, inter aequivoca unquam numeraverit. Si enim hoc factitavit, id argumento est eum pure aequivoca, et analoga genere coniunxisse, specie autem discriminasse, quia pure aequivoca, et analoga duos diversos modos exhibent, quibus communis notio aequivocorum in eis determinatur. Iam, res ita vere se habet. Nam, praeterquam quod Aristoteles non raro id ὁμωνύμως, *aequivoce*, praedicari dixit, quod, secundum distinctionem a Scholasticis adhibitam, *analogice* praedicatur, et ὁμωνύμιαν, *aequivocationem*, vocavit, quae penes Scholasticos *analogia* est, in lib. VII *Phys.* c. 4 duas homonymorum species recensuit, quae pure aequivocis, et analogis adprime respondent; unam eorum, quae multum inter se distant, alteram eorum, quae similitudine, aut proportione ita propinqua sunt, ut vix aequivoca videantur.

Ex quo intelligis Dandinium, quem Trendelenburgius reprehendit, vel potius Doctores Scholae, quos ille secutus est, ab Aristotelis doctrina non aberrasse, eo quod analogis medium locum inter synonyma, et pure aequivoca darent. Etenim Stagirita in loco, quem modo citavimus, sancivit illa aequivoca, quae post eum analoga dicta sunt, adeo sibi cohaerere, ut, etsi aequivo-

---

[1]) « Dicendum, inquit s. Thomas, quod animal dictum de ani« mali vero, et de picto, non dicitur pure aequivoce. Sed Philo« sophus largo modo accipit aequivoca, secundum quod inclu« dunt in se analoga; quia et ens, quod analogice dicitur, ali« quando dicitur aequivoce praedicari de diversis praedicamen« tis »; I, q. XIII, a. 10 ad 4.

ca sint, tamen non esse videantur. Illud vero incredibile videtur Trendelenburgium doctrinam a Scholasticis tantopere excultam repudiasse, aut certe neglexisse, cum *principium analogiae*, de quo alias dicemus, admittat, et inculcet [1]; vis enim huius principii a natura analogorum pendet.

Porro, quin analoga a pure aequivocis re ipsa discriminanda sint, in dubium revocare nemini licet. Etenim indubium est esse alia, quibus commune est aliquod nomen, quin ullum principium existat, ex quo communitas nominis repeti queat, puta Aiacem Locrum, et Aiacem Salaminium, quibus nomen Aiacis commune fuit; alia vero, quorum non solum commune est aliquod nomen, sed etiam essentia nomini accommodata, cuiusmodi sunt brutum, et homo, quibus idem nomen animalis convenit; alia denique, in quibus, si non sit communis essentia, quae nomini eorum communi respondet, tamen non deest aliquod principium, in quo communitas nominis fundatur; puta ob sanitatem, quae in corpore est, sana dicitur medicina, quam ipsa corpori restituit, et sana urina, quae indicium sanitatis in corpore est. Iamvero, prima sunt ea, quae *pure aequivoca* vel solum *aequivoca*, altera autem ea, quae *univoca*, postrema ea, quae *analoga* in Scholis dicuntur. Analoga igitur non solum ab univocis, sed etiam ab aequivocis distinguuntur.

Perspicuum autem est analogis, contra ac Trendelenburgius contendit, re ipsa medium esse locum inter univoca, et pure aequivoca, cum ipsa minus, quam pure aequivoca, ab univocis distent. Nam, si in univocis eadem est ratio, quae nomini ipsorum respondet, atque in pure aequivocis est omnino diversa, in analogis ratio, quae communi nomine designatur, secundum diversos modos est *simpliciter*, ἁπλῶς, diversa, et secundum quid, κατά τι, hoc est secundum aliquam proportionem, vel habitudi-

---

[1]) *Elem. Log.*, § 38, p. 113 ed. cit.

nem, eadem. Ita, pulsus, medicina, cibus, et animal, quod ad *sanitatem* spectat, nec omnino conveniunt, quia ad ipsam diversis modis se habent, nec omnino differunt, quia omnia a *sanitate*, ad quam diversis modis se habent, *sana* dicuntur. Animal enim dicitur sanum, quia sanitatem habet; pulsus, quia illam significat; medicina, quia illam producit; cibus denique, quia illam conservat, et adiuvat. Apposite s. Thomas: « Neque enim in iis, quae analogice dicuntur, est una « ratio, sicut est in univocis, nec totaliter diversa, sicut « in aequivocis, sed nomen, quod sic multipliciter dici- « tur, significat diversas proportiones ad aliquid unum[1] ». Omissis aliis locis, alterum afferamus, in quo analoga esse media inter univoca, et aequivoca ostendit: « Di- « cendum, quod est duplex modus dividendi commune « in ea, quae sub ipso sunt, sicut est duplex commu- « nitatis modus. Est enim quaedam divisio univoci in « species per differentias, quibus aequaliter natura gene- « ris in speciebus participatur, sicut animal dividitur in « hominem, et equum, et huiusmodi; alia vero divisio « est eius, quod est commune per analogiam, quod qui- « dem secundum perfectam rationem praedicatur de uno « dividentium, et de altero imperfecte, et secundum « quid, sicut ens dividitur in substantiam, et in acci-

---

[1]) I, q. XIII, a. 5 c. Fusius idem cum alibi, tum hoc in loco exposuit: « Vnivocorum est omnino eadem ratio, aequivocorum « est omnino ratio diversa: in analogicis vero oportet, quod no- « men secundum unam significationem acceptum ponatur in de- « finitione eiusdem nominis secundum alias significationes acce- « pti; sicut ens de substantia dictum ponitur in definitione entis, « secundum quod de accidente dicitur: et sanum dictum de ani- « mali ponitur in definitione sani, secundum quod dicitur de u- « rina, et de medicina. Huius enim sani, quod est in animali, « urina est significativa, et medicina factiva »; *Ibid.*, a. 10 c. Idem s. Bonaventura sanxit his paucis: « modus dicendi analo- « gus. . . partem tenet de natura univoci, partem de natura ae- « quivoci »; *In lib. I Sent.* Dist. XIV, a. 1, q. 2 *resol.*

« dens, et in ens actu, et in ens potentia: et haec divisio « est quasi media inter univocum, et aequivocum [1] ».

Sed obiectioni Scoti occurrendum est. Hic enim contendit analogiam posse quidem esse in rebus, quia aliquam proprietatem magis uni rei, quam alteri, convenire non repugnat; sed in voces neutiquam posse cadere, quia, cum voces conceptiones intellectus significent, et quidquid intellectus concipit, sub distincta, et determinata ratione concipiat, fieri non potest, ut una vox diversos modos, quibus aliquid in multis invenitur, significet [2]. Verum, Albertus M. hanc obiectionem, quam nonnulli aetatis suae fere iisdem, ac deinceps Scotus, verbis exponebant, tamquam merum sophisma, iam exploserat, et confutaverat. Eius argumentatio huc redit: In quolibet nomine materiam, nempe sonum, qui ore hominis fit, quique *vox* dicitur, et *formam*, nempe configurationem litterarum, ex qua vox variatur, a significatione, hoc est, a conceptu, quem nomen significat, diligenter distinguere oportet [3]; illae enim essentiam, sive naturam nominis efficiunt, haec vero est perfectio, quae naturam nominis consequitur. Iam, cum res ita sit, patet, voce et configuratione litterarum, sive articulatione multiplicatis, necesse esse, ut nomen multiplex evadat; si quidem, quoniam quaelibet res suam formam, suamque materiam habet, forma et materia nominis multiplicatis ipsum nomen multiplicetur oportet. At, multiplicata significatione, non necessario evenit, ut nomen multiplicetur, quia, cum significatio essentiam nominis non

---

[1]) *In lib. II Sent.*, Dist. XLII, q. I, a. 3 *sol.*

[2]) *Op. cit.*, ibid., n. 12.

[3]) Hinc s. Augustinus verbum a voce discriminavit, illudque *vocem formatam* nuncupavit. « Vox, ait, materia est verborum, « verba vero formatam vocem indicant »; *De Gen. ad litt.*, lib. I, c. 15, n. 29. Hac in re s. Augustinus, et Albertus M. secuti sunt Stoicos, qui simplicem *sonum*, φωνή, a *dictione*, λέξις, accurate distinxerunt. Vid. Dioclem Magn., apud Laert. lib. VII, segm. 55 sqq, necnon latinos grammaticos, quos Rudolph. Schmidt laudavit in sua *Stoicorum Grammatica*, § 5, p. 19, not. 32, Halis 1839.

ingrediatur, idem nomen diversa significare non repugnat, sed vel unum dumtaxat, vel diversa significare potest. Re vera, si de nominibus agitur, quae naturaliter res significant, significatio nominis eadem semper manet, quia, cum natura rei semper eadem sit, nomen, quod rem naturaliter significat, idem semper significare debet. Sed, si de nominibus agitur, quae *ad placitum* dicuntur, nempe quae ab institutione res cognoscentis, et nominantis pendent, significatio nominis diversa esse potest, quia plures, diversaeque esse queunt causae, seu principia, ex quibus ad idem nomen pluribus, diversisque rebus imponendum adduci possumus. E. g., quoniam intelligimus sanitatem, quae corpori inest, a cibo conservari, et adiuvari, a medicina, si quando in corpore depereat, instaurari, et a pulsu patefieri, nomen sanitatis, quae corpori in primis convenit, ad significandum cibum, aut, medicinam, aut pulsum trahimus, et non solum corpus, sed etiam cibum, medicinam, et pulsum *sana* dicimus [1]. Solida haec, luculentaque Alberti argumentatio profecto in causa fuit, cur s. Thomas eandem doctrinam inculcaret. « Manifestum, inquit, est quod unitas « vocis significativae, vel diversitas non dependet ex « unitate, vel diversitate rei significatae, alioquin non « esset aliquod nomen aequivocum, secundum hoc enim,

---

[1]) « Dicendum ergo est, quod nomen habet materiam vocem, « in qua formatur: habet autem formam literaturam, quam dat « actus imponentis ad significandum hoc, vel illud. Et haec ma« teria, et haec forma semper manet in nomine, quamdiu est vox « et nomen: et haec manent in aequivoco secundum nomen et « materiam nominis eadem semper in communi. Dicitur autem « significatum aliquando significatio, et haec in signis quidem « naturalibus manet eadem: in his autem, quae ad placitum sunt, « aliquando est diversa, eo quod placitum non est stans, et uno « modo causas habens: et propter hoc, manente nomine eodem « secundum propriam materiam, et propriam formam, non est « necesse, quod idem habeat significatum: et ideo non est neces« se, quod eadem sit relatio talis signi ad significatum, sed pot« est esse relatio diversa »; *Op. cit.*, tract. I, c. 2.

« si sint diversae res, essent diversa nomina, et non « idem nomen [1] ».

Ex his quae, praecipuo duce Alberto M., disseruimus, facile intelligitur nullam inesse vim argumento, quod Scotus tantopere inculcavit. Re vera, etsi illud Scoto demus, quod alias excutiendum nobis erit, intellectum quidquid concipit, *sub distincta, et determinata ratione* concipere, inde confici nequit plura, et diversa eodem nomine significari non posse; quin immo nos idem nomen pluribus, diversisque rebus dare non possumus, nisi intellectus noster unumquodque eorum *sub distincta et determinata ratione* concipiat. Nos enim ex eo, quod *distincte* et *determinate* cibum, medicinam, et pulsum concipimus, illum conservare, istam producere, hunc significare sanitatem in corpore intelligimus, ob idque nomen sanitatis, quod corpori, tanquam subiecto eius, in primis convenire cognoscimus, damus quoque cibo, qui sanitatem in corpore conservat, et auget, medicinae quae illam producit, et pulsui, qui eius signum est. Ex quo patet eidem nomini sanitatis distinctum, et determinatum conceptum respondere, non solum, cum ad corpus, sed etiam cum ad cibum, vel medicinam, vel pulsum significandum adhibetur; licet ille conceptus in singulis horum quodammodo diversus sit.

Postquam divisionem aequivocorum in *pure aequivoca*, et *analoga* evicimus, necesse est, ut diversas analogorum species, quas Peripatetici antiquae, et mediae aetatis, secundum doctrinam Aristotelis, enumerarunt, exponamus. De pure equivocis plura dicere non attinet, quippe quod horum cognitio nec quiddam difficultatis habet, nec insignis utilitatis in scientiis est. Contra ea, analogorum doctrina, cum in cunctis scientiis, tum maxime in physicis, et in Theologia naturali magno usui est. Re vera, ut scientias naturae praetereamus, quarum cultores, uti omnibus compertum est, in phaeno-

---

1) *Quodlib.* 10, a. 17 c.

menis naturae colligendis, eorumque causis investigendis analogica argumentatione potissimum iuvantur, neminem profecto fugit Philosophis, qui de Deo tractant, non aliam viam ad divinorum attributorum cognitionem assequendam patere, quam quae ex rebus creatis, ope analogiae, ad Deum ducit. Cuius rei illud praeclaro argumento est, quod nuperi Rationalistae, ut suo loco dicemus, cum argumentationem analogicam, quam SS. Patres, et Scholastici in divinorum attributorum investigatione sectati sunt, tanquam ad anthropomorphismum ducentem, reiiciant [1], Deum, sive, ut aiunt, *Absolutum* esse nobis omnino ignotum asserere coguntur. Quamobrem e re valde est diversorum analogorum naturam penitus introspicere, ut quanta sit vis analogicae argumentationis, quantumque usus eius in divinorum attributorum cognitione ab anthropomorphismo abhorreat, propriis in locis demonstrare possimus.

Veteres, uti apud Clementem Alex. [2], Boëtium [3], Simplicium [4], aliosque videre licet, quatuor *aequivocorum a consilio*, sive, ut secundum Scholasticos loquamur, *analogorum* modos numerarunt. Quorum primus est *propter similitudinem*, καθ' ὁμοιότητα; scilicet, cum nomen plura propter similitudinem unius ad alterum, cui proprie convenit, significat. Puta, nomen hominis commune est homini *picto*, et *vivo*, quia ille huic, cui proprie convenit, similis est. Secundus est *propter proportionem*, κατ' ἀναλογίαν, nempe, cum idem nomen plura significat, quae parem habitudinem ad aliquid habent. Ita, *principium* est nomen commune monadi, sive unitati,

---

[1]) Rationalistae pertendunt eos, qui Deum ex rebus creatis cognoscere adnituntur, eo tandem pervenire ut Deo τὴν ἀνθρωπίνην μορφήν, nempe *humanam formam*, seu naturam tribuant: qui error *anthropomorphismi* nomen habuit.

[2]) *Op. cit.* ibid.

[3]) *Op. cit.*, lib. I, p. 117, ed. cit.

[4]) *Op. cit.*, fol. 6 *verso*, col. 2, et 7 *recto*, col. 1, ed. cit.

puncto, et fonti, si quidem quod est monas ad numerum, id est punctum ad lineam, et fons ad fluvium. Tertius est *ab eodem, et ad idem*, ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ καὶ πρὸς τὸ αὐτό; id quod fit, cum multa, et diversa ab aliquo uno idem nomen sumunt. E. g. a medicina hominem dicimus medicum, et librum medicum, et scalpellum medicum. Quartus denique modus est *ab uno, et ad unum*, ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, nimirum cum diversa idem nomen nanciscuntur ob unum aliquem finem, ad quem referuntur. Sic pulsum vocamus sanum, et rationem victus sanam, et medicamentum sanum, et alia multa sana, quia multifariam ad sanitatem, quae in animali, tanquam in subiecto est, referuntur. Hos duos posteriores modos plerique, teste Simplicio [1], ad unum revocabant, quem ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, nempe *ab uno, et ad unum* vocabant, ideoque tres tantum aequivocorum a *consilio* modos exponebant.

Verum, Scholastici secundum Arabes, non solum aequivoca *consilio* ab aequivocis *casu*, quae infima aequivocorum species sunt, nomine peculiari *analogorum* secreverunt, sed etiam novam horum divisionem excogitarunt, cuius ope quatuor, vel tres modos ab antiquis interpretibus recensitos, penitius cognoscere, faciliusque ab se invicem discriminare cuique licet. Ad huius divisionis intelligentiam assequendam animo reputare iuvat, etsi nomen analogis commune diversam essentiam in unoquoque ipsorum significet, tamen aliquid intelligi oportere, quod in ipsis secundum diversos respectus commune est; alioquin nomen commune fortuna, seu casu, ἀπὸ τύχης, non vero aliqua *cogitatione*, ἀπὸ διανοίας eis daretur. Iamvero, istud commune, quo intellectus in ipsis intelligere debet, non potest esse aliquid, quod idem in singulis est, quia hoc est univocorum proprium. Quamobrem aut aliquid commune, quod eis secundum diversum ordinem, aut secundum diversos perfectionis gradus tri-

---

[1]) *Loc. cit.*

buitur, aut aliqua habitudo, quam inter se invicem habent, sit oportet. Priora a Scholasticis dicta sunt *analoga attributionis*; posteriora autem *analoga proportionis*. Illa commune nomen ex eo sortiuntur, quod quemdam ordinem habent ad aliquid, in quo essentia, illi nomini accommodata, principaliter invenitur; haec autem ex eo quod essentia, nomini accommodata, est simpliciter in eis diversa, sed secundum aliquem respectum eadem. Quapropter analogia *attributionis* definiri potest: *ea, cuius termini idem nomen sumunt ab aliquo, in quo essentia, illi nomini accommodata, principaliter invenitur;* atque analogia proportionis *ea, cuius termini idem habent nomen, essentiam vero accommodatam nomini simpliciter diversam, sed aliqua proportione eamdem.* Prioris generis analogia, e. g., cibus, medicina, et pulsus *sana* dicuntur, quia unumquodque eorum, uti ante diximus, nomen *sani* mutuatur a sanitate, quae animali proprie, et principaliter convenit. Item quantitas, et qualitas, prout ad substantiam comparantur, *entia* vocantur, quia, cum *esse* cuiuslibet accidentis categorici, quemadmodum ostensum est, ab *esse* substantiae pendeat, quantitas, qualitas, et quodlibet aliud accidens categoricum nomen entis trahunt a substantia, cuius esse *per se*, proindeque principaliter convenit. Posterioris generis analogia animal, et medicina, vel animal, et cibus, vel animal, et pulsus *sana* nuncupantur, quia sanitas secundum aliquam proportionem in animali, ac in medicina, cibo, pulsuque invenitur, nimirum in animali, quia ipsa in hoc, tanquam in subiecto est, in medicina, quia ipsam producit, in cibo, quia ipsam conservat, atque in pulsu, quia ipsam patefacit. Pariter, substantia, et unumquodque aliorum accidentium categoricorum *entia* dicuntur, quia illud, quod nomen entis significat, in ipsis diversa proportione invenitur, hoc est in substantia, prout est *per se*, in quolibet accidente categorico, prout est *per aliud*. Hanc primam divisionem analogorum multis in locis s. Thomas explicuit, ex quibus hunc

brevem, sed satis luculentum exscribimus: « Quod (*praedicari analogice, hoc est secundum ordinem, vel respectum ad aliquod unum*) dupliciter contingit. Vno « modo, secundum quod multa habent respectum ad « aliquod unum, sicut secundum respectum ad unam « sanitatem animal dicitur sanum, ut eius subiectum, « medicina, ut eius effectivum, cibus, ut eius conservativum, urina, ut eius signum. Alio modo, secundum « quod duorum attenditur ordo, vel respectus, non ad « aliquid alterum, sed ad unum ipsorum; sicut ens de « substantia, et accidente dicitur, secundum quod accidens ad substantiam respectum habet, non secundum quod substantia, et accidens ad aliquod tertium « referantur [1] ».

Ex his, quae modo statuimus, nullo negotio intelligitur, 1° in analogis attributionis essentiam, quam nomen commune denotat, proprie non inveniri, nisi in analogo *principali*; si quidem ipsa in analogo principali, tanquam in subiecto, inest, in reliquis autem ex eo solum, quod ad ipsam quodammodo referuntur. Apposite s. Thomas: « quando aliquid dicitur analogice de « multis, illud invenitur secundum propriam rationem « in uno eorum tantum, a quo alia denominantur. Sicut sanum dicitur de animali, et urina, et medicina, « non quod sanitas sit nisi in animali tantum, sed a « sanitate animalis denominatur medicina sana, in quantum est illius sanitatis effectiva; et urina, in quantum « est illius sanitatis significativa [2] ». 2° In analogis proportionis essentiam, quae communi nomine significatur, perfecte in uno, et imperfecte in altero inveniri, quia, cum essentia in eis sit eadem non omnino, sed secundum quamdam proportionem, perinde in uno, ac in alio, perfecte esse nequit. Audi rursus Aquinatem: « ...

---

[1]) *Cont. Gent.*, lib. I, c. 34; cf I, q. XIII, a. 5 c., et *Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. VII, a. 7 c.

[2]) I, q. XVI, a. 6 c.

« alia vero divisio est eius, quod est commune per a-
« nalogiam, quod quidem secundum perfectam ratio-
« nem praedicatur de uno dividentium, et de altero
« imperfecte, et secundum quid, sicut ens dividitur in
« substantiam, et accidens, et ens in actu, et ens in
« potentia [1] ».

Inter has autem duas analogorum species duo discriminis capita digna, quae hic exponantur, nobis esse videntur. Horum primum est, quod ad intelligendum plura, tanquam analoga attributionis, opus est, ut quidquam ipsis prius intelligatur; si quidem intelligi nequit plura ab aliquo uno, ad quod quemdam ordinem habent, commune nomen capessere, nisi hoc unum antea intelligatur. Ita, cibus, medicina, et pulsus sana dici non possunt, nisi postquam sanitatem esse in animali, tanquam in subiecto, intellectum sit, quia cibus, e. g., non dicitur sanus, nisi cum ipsum sanitatem in animali conservare compertum fuerit. Contra ea, cum plura, tanquam analoga proportionis, intelligantur non ex eo, quod ordinem ad aliud, sed ex eo, quod ordinem inter sese habent, consequitur ipsa posse intelligi per se, hoc est quin aliud tertium prius ipsis intelligatur. Audire e re est eumdem Aquinatem: « Huius praedicationis (*analogicae*) duplex est modus. Vnus, quo aliquid praedicatur de duobus per respectum ad aliquod tertium, « sicut ens de qualitate, et quantitate per respectum « ad substantiam. Alius modus est, quo aliquid praedicatur de duobus per respectum unius ad alterum,

---

[1]) *In lib. II Sent.*, Dist. XLII, q. I, a. 3 *sol.* Audire quoque iuvat s. Bonaventuram: «Notandum quod duplex est analogia. Est quae-« dam per reductionem ad unitatem naturae secundum prius, et po-« sterius; et haec potest esse comparando creaturam ad creatorem... « Alia est analogia per reductionem ad unitatem similitudinis pro-« portionis, non naturae, et quod sic analogatur, non est inter alia... « Vnde Deus non est ens inter omnia»; *In lib. I Sent.*, Dist. VII, a. unic., q. 4 *resol.*

« sicut ens de substantia, et quantitate. In primo au-
« tem modo praedicationis oportet esse aliquid prius
« duobus, ad quod ambo respectum habent, sicut sub-
« stantia ad quantitatem, et qualitatem; in secundo au-
« tem non, sed necesse est unum esse prius altero. Et
« ideo cum Deo nihil sit prius, sed ipse sit prior crea-
« tura, competit in divina praedicatione secundus mo-
« dus analogiae et non primus [1] ».

Secundum est, quod in analogis proportionis illud analogum, ad quod aliud unum, vel alia plura ordinem habent, horum definitionem ingreditur, quia ratio essentiae, quam nomen ipsis commune significat, ab illo in haec derivatur; sed in analogis attributionis ob contrariam rationem, nempe quia essentia, communi nomine significata, non derivatur ab uno in aliud, sed omnibus secundum aliquam proportionem communis est, nullum eorum in definitionem alterius locum habet. Idem Aquinas hoc secundum utrorumque analogorum discrimen et exposuit, et praeclaris exemplis declaravit. Etenim contendentibus analogum principale in definitione alterius, vel plurium locum sibi vindicare, respondit id intelligendum esse « de communitate analogiae, quae ac-
« cipitur secundum determinatam habitudinem unius ad
« alterum: tunc enim oportet quod unum in diffinitio-
« ne alterius ponatur, sicut substantia in diffinitione ac-
« cidentis, vel aliquid, unum in diffinitione duorum, ex
« eo quod utraque dicuntur per habitudinem ad unum,
« sicut substantia in diffinitione quantitatis et qualita-
« tis [2] ». De utrisque analogis autem alio in loco inquit:
« . . . quando aliqua condividuntur, aequaliter recipien-

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot. Dei*, q. VII, a. 7 c.

[2]) *Qq. dispp., De Verit.*, q. II, a. 11 ad 6. Huius pronuntiati rationem sanctus Doctor alibi assignavit his verbis: « .... in omni-
« bus nominibus, quae de pluribus analogice dicuntur, necesse est,
« quod omnia dicantur per respectum ad unum. Et ideo illud nomen
« oportet, quod ponatur in definitione omnium. Et quia ratio, quam

« tia communis praedicationem, tunc unum non ponitur in diffinitione alterius; sed quando commune praedicatur de eis per prius et posterius, tunc primum ponitur in diffinitione aliorum, sicut substantia in diffinitione accidentium [1] ».

Analogia proportionis duos diversos modos habet. Ipsa enim quandoque denotat quemdam ordinem, seu convenientiam inter terminos eiusdem proportionis, quandoque autem ordinem, seu convenientiam inter duas proportiones, hoc est proportionem duarum proportionum. Priori modo analoga sunt *duo*, et *unum*, quia numerus binus est duplum unitatis; posteriori autem *sex* et *quatuor* sunt analoga, quia, ita sex ad tria, sicut quatuor ad duo, se habet, cum uterque numerus sit alterius duplum.

Scholastici ad priorem analogiam proportionis significandam absolutum nomen *proportionis* retinuerunt, posteriorem vero *proportionalitatem* vocarunt, propterea quod, ut Ferrariensis animadvertit [2], prior, cum proportionem inter duos terminos determinate significet, perfectior est altera, quae non aliud nisi similitudinem inter duas proportiones, sive proportionem proportionum denotat [3]. S. Thomas, quemadmodum primam divisionem analogiae in analogiam attributionis, et in analo-

---

«significat nomen, est definitio, ut dicitur in IV Metaph. (text. 28), «necesse est, quod illud nomen per prius dicatur de eo, quod poni«tur in definitione aliorum, et per posterius de aliis secundum or«dinem, quo appropinquant ad illud primum, vel magis, vel minus: «sicut sanum, quod dicitur de animali, cadit in definitione sani, «quod dicitur de medicina, quae dicitur sana, inquantum causat «sanitatem in animali: et in definitione sani, quod dicitur de urina, «quae dicitur sana, inquantum est signum sanitatis animalis»; I, q. XIII, a. 6 c.

[1]) *In lib. III Sent.*, Dist. XXXIII, q. I, a. 1 ad q. 2, ad 1.

[2]) *Comment. in Libros quatuor Cont. Gent.*, in lib. I, c. 34.

[3]) «Aequalitas, ait s. Thomas, in proportionibus vocatur propor«tionalitas»; *In lib. V Met.*, lect. 5.

giam proportionis, ita hanc alteram analogiae proportionis luculenter explicuit. Omnium locorum, in quibus de ipsa egit, instar hic esse quit : « Convenientia . . . . « secundum proportionem potest esse duplex, et secun- « dum hoc duplex attenditur analogiae communitas. Est « enim quaedam convenientia inter ipsa, quorum est « ad invicem proportio, eo quod habent determinatam « distantiam, vel aliam habitudinem ad invicem, sicut « binarius cum unitate, eo quod est eius duplum ; con- « venientia etiam quandoque attenditur duorum ad invi- « cem, inter quae non sit proportio, sed magis similitu- « do duarum ad invicem proportionum, sicut senarius « convenit cum quaternario ex hoc, quod sicut senarius « est duplum ternarii, ita quaternarius binarii. Prima « ergo convenientia est proportionis, secunda autem pro- « portionalitatis; unde et secundum modum primae con- « venientiae invenimus aliquid analogice dictum de duo- « bus, quorum unum ad alterum habitudinem habet ; « sicut ens dicitur de substantia, et accidente ex habi- « tudine, quam substantia, et accidens habent . . . . « Quandoque vero dicitur aliquid analogice secundo mo- « do convenientiae, sicut nomen visus dicitur de visu « corporali, et intellectu, eo quod sicut visus est in « oculo, ita intellectus est in mente [1] ».

Inter univoca, et aequivoca sive pura, sive analoga medium locum *denominativa*, παρωνύμα, tenent, quippe quae, uti ex dicendis patebit, partim cum illis, partim cum

[1]) *Qq. dispp., De Ver.*, q. II, a. 11 c. Adiicere nobis liceat alterum locum eiusdem sancti Doctoris, ut novis exemplis haec doctrina planior fiat: « Quandoque (*unum nomen dicitur de multis*) « secundum proportiones diversas ad idem subiectum, sicut « qualitas dicitur esse ens, quia est dispositio per se entis; « idest, substantiae; quantitas vero eo quod est mensura eius- « dem, et sic de aliis: vel secundum unam proportionem ad « diversa subiecta; eamdem enim habent proportionem visus « ad corpus, et intellectus ad animam. Vnde sicut visus est « potentia organi corporalis, ita intellectus est potentia animae « absque participatione corporis »; *In lib. I Ethic.*, lect. 7.

his conveniunt. Hinc, postquam univoca, et aequivoca explicuimus, nonnihil de denominativis dicamus oportet. Quorum ratio ut plane intelligatur, advertendum est cum Alberto M. cuncta accidentia categorica ad substantiam, tanquam ad commune suum subiectum, reduci [1]. Re vera, quandoquidem ad essentiam cuiuslibet accidentis categorici pertinet substantiae inesse, et illud, in quo *esse* alicuius rei inesse intelligitur, subiectum eius est, consequitur substantiam esse re ipsa subiectum omnium accidentium categoricorum [2]. Atqui omne accidens ad proprium subiectum reducitur, quippe quod, cum ipsum sit essentia, cui esse in alio, tanquam in subiecto, convenit, profecto intelligi non potest, nisi comparatum ad aliquod subiectum, a quo sustentetur. Omnia igitur accidentia categorica ad substantiam, tanquam ad commune suum subiectum, reducuntur [3]. Quoniam autem accidentia ad substantiam, tanquam ad commune subiectum suum, reducuntur, inde efficitur, ut substantia ab accidentibus, quae ei insunt, denominari queat, propterea quod, si cui substantiae essentia alicuius accidentis inest, necesse est, ut nomen accidentis aliquo modo accommodatum ei conveniat. Ita, si Socrati *sapientia* inest, nomen *sapientis* a sapientia efformatum ipsi convenire debet; unde *sapiens* dicendus est.

Iam, advertendum est nomen, quo forma, sive essentia accidentis in se spectata significatur, esse oportere aliquo modo diversum a nomine, quo eadem essentia significatur, prout in subiecto est. Nam, quando-

---

[1]) « . . . sicut dicit Arist. in *prima phil.* lib. 9, omnia accidentium genera reducuntur ad substantiam, ut ad subiectum unum omnium aliorum per praedicabile, quod inter universalia vocatur accidens »; *Op. cit.*, ibid., c. 4.

[2]) Cf pp. 423, not. 4, 488, not. 2, 489, not. 1.

[3]) « . . . et hoc non potest fieri, subdit idem Albertus M., nisi per denominationem factam a principali, hoc est a nomine, quod essentiam accidentis per se spectatam significat ». « Dicendum, Aquinas scribit, quod denominatio proprie est secundum habitudinem accidentis ad subiectum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. I, a. 5 ad 2.

quidem nomina ad conceptus rerum significandos destinantur, necesse est, ut, prout conceptus rei variatur, nomen, quo res significatur, etiam quodammodo varietur. Nomen, quod essentiam rei per se significat, *abstractum*, et nomen, quod subiectum significat, cui essentia rei inhaeret, *concretum* vocatur [1]. Igitur nomen abstractum, et nomen concretum accidentis quodammodo varia sint oportet. Haec autem variatio in eo consistit, quod eadem vox, quae essentiam accidentis in se spectatam significat, ad significandam inhaerentiam eiusdem essentiae in subiecto quodammodo in fine inflectitur, et transfiguratur. Puta, *candor* denotat solum aliquam qualitatem, nempe albedinem; at *candidum*, quod a candore, inflexa aliquantum terminatione, efficitur, candorem in subiecto, seu subiectum candore perfusum significat. Item, cum *grammaticam* dicimus, non aliud, nisi disciplinam orationi congruam, denotamus; verum, si, variata terminatione illius vocis, *grammaticum* dixerimus, hominem disciplina grammaticae imbutum designamus. Quandoquidem nomina, quae essentiam accidentis, prout in subiecto est, designant, subiectum denominant, a graecis post Aristotelem παρωνύμα, *paronyma* [2], et a latinis secundum Boëthium [3] *denominativa* dicta sunt. Ita, Hercules, ob fortitudinem qua pollebat, *fortis*, et Socrates a sapientia, qua praeditus erat, *sapiens* denominatus fuit.

Ex his omnibus patet s. Ioannem Damascenum, post Aristotelem [4], et Clementem Alex. [5], paronyma scite definivisse hoc modo: « Denominativa. . . sunt, quae « ab aliquo, dissidentia casu, hoc est nominis inflexione, appellationem (τὴν προσηγορίαν) habent [6] ». Vt haec definitio plane intelligatur, oportet praecipuas eius partes,

---

[1]) Cf s. Thom., I, q. XIII, a. 1 ad 2; q. XXXII, a. 2 c.
[2]) *Categ.*, c. 1, p. 81. — [3]) *Op. cit.*, lib. IV, p. 118.
[4]) « Denominata vero dicuntur, quaecumque ab aliquo, ita ut ca« su differant, denominationem habent »; *ibid.*, ed. et vert. Bekker.
[5]) *Op. cit.*, lib. VIII, c. 8. — [6]) *Op. cit.*, c. 35.

ducibus B. Alberto M., et s. Thoma, breviter explicare. Atque in primis, per illud *ab aliquo*, ἀπὸ τινος, a quo denominativa nomen accipiunt, quodque *principale* Albertus M. vocavit [1], intelligatur oportet *forma*, sive essentia accidentis, nempe accidens consideratum *absolute*, non vero prout *esse* eius a subiecto pendet. « Et quod di-« citur, ab aliquo, denotat nomen accidentis, secun-« dum quod in sua puritate, et principalitate significa-« tur. Dicit enim Avicen. in 6 de naturalibus, ubi agit de « anima, quod intellectus accidentis est absolutus, quamvis « esse accidentis sit dependens [2] ». Breviter s. Thomas: « Vnumquodque denominatur a sua forma [3] ». Cuius rei ratio haec est: Subiectum ab accidente categorico appellationem habet, sive, ut propria voce utamur, *denominatur*, quippe quod accidens categoricum aliquo speciali modo ipsum determinat, hoc est, ut idem clarius dicamus, aliquem specialem modum essendi in ipso producit [4]. Nam, cum nomina, ut saepe dictum est, ad res significandas comparata sint, consequitur non posse subiecto ullam appellationem dari, nisi in eo aliquis modus essendi, sive aliqua determinatio sit, quae illi appellationi respondet. Atqui illud, quod rem determinat, uti antea diximus, tanquam *forma* rei, et illud, quod determinatur, tanquam *materia* rei intelligitur, quia per determinationem illud, quod *potentia* in re erat, *actu* in ea esse incipit. Ergo per illud *ab aliquo*, a quo denominativa appellationem habent, *forma*, sive essentia accidentis intelligenda est. E. g., *sapientia*, a qua homo *sapiens* denominatur, essentiam qualitatis, quae *sapientia* dicitur, significare debet, quia, si in homine illud, quod *notionem*, sive essentiam sapientiae constituit, non invenitur, homo appellationem sapientis habere non potest.

---

[1]) Vid. pauca verba eius, quae modo excripsimus, p. 684, not. 3.
[2]) *Op. cit.*, ibid. — [3]) I, q. XIII, a. 11 c.
[4]) « Subiectum, s. Thomas ait, comparatur ad accidens, si-« cut potentia ad actum, subiectum enim secundum accidens « est aliquo modo in actu »; I, q. III, a. 6 c.

Verum, s. Thomas adiecit illud *ab aliquo*, a quo denominativa appellationem habent, ita explicandum esse, ut ad id quoque, quod *instar formae* se habet, porrigatur. Quod ut planum fiat, illud, quod in Articulo praecedenti diximus, memoria repetendum est, scilicet formam rei id proprie, et stricte dici, quod rem in certo genere, aut certa specie determinat, essentiamque eius constituit, sed, cum quidquid essentiae rei iam constitutae addi intelligitur, rem quodam speciali modo determinet, accidentia, etiam tanquam formas rei, posse intelligi; unde illa divisio formae in *substantialem*, et *accidentalem* in Scholis obtinuit. Quandoquidem vero accidentia formae subiecti dicuntur non quidem *per se*, hoc est *principaliter*, sed propter formam substantialem, cui assimilantur, sive ut cum Scholis loquamur, quam *imitantur*, ideo s. Thomas docuit, illud, a quo aliquid denominatur, esse posse non solum formam, sed omne id, quod instar formae se habet. « Dicendum est, « s. Thomas ait, quod illud, a quo aliquid denomina« tur, non oportet, quod sit semper forma secundum « rei naturam, sed sufficit, quod significetur per mo« dum formae, grammatice loquendo [1] ». Inter multa exempla, quibus idem Aquinas hanc doctrinam illustrare studuit, unum ab accidente actionis sumere lubet. Re vera, subiectum, ut ipse advertit, perbelle denominatur a termino suae actionis. Nam, etsi terminus actionis non sit in subiecto, tamquam forma, sive essentia eius; nihilominus, quoniam subiectum est causa actionis, ab huius termino iure denominatur, quoties notione actionis res termino significata continetur, quia actio subiectum aliquo modo determinat. Ita, arbor propter flores, quos producit, merito *florens* dicitur, non quod essentia floris in illa est, sed quod flores sunt terminus actionis eius, qui notione actionis (nempe *florere*) continetur. Pergamus audire ipsum Aquinatem: « Contingit aliquid denominari per

---

[1]) *Qq. dispp., De Pot.*, q. VII, a. 10 ad 8.

« id , quod ab ipso procedit , non solum sicut agens « actione, sed etiam sicut ipso termino actionis, qui est « effectus , quando ipse effectus in intellectu actionis « includitur. Dicimus enim , quod ignis est calefaciens « calefactione , quamvis calefactio non sit calor , qui « est forma ignis , sed actio ab igne procedens. Et di- « cimus, quod arbor est florens floribus, quamvis flores « non sint forma arboris , sed quidam effectus ab ipsa « procedentes [1] ».

Secundum hanc doctrinam s. Thomas primo statuit tot diversos modos denominationis subiecto convenire , quot sunt diversae naturae accidentium categoricorum , ex quibus ipsum denominatur. Et primo , quandoquidem accidentium alia *esse* suum significant , tanquam aliquid, quod alii, veluti subiecto, inest, alia vero tanquam aliquid, quod ab alio propter aliquod principium, et maxime propter principium causalitatis pendet [2], subiectum ab aliis denominatur per aliquam formam, quae ei inhaeret , ab aliis vero per aliquid , a quo accidens pendet. Priori modo substantia a *quantitate*, et *qualitate* denominatur, quia ob essentiam quantitatis, aut qualitatis, quae ipsi inest, *quanta*, aut *qualis* dicitur; posteriori autem subiectum a scientia denominatur , quia res , ob quarum cognitionem subiectum *sciens* dicitur, extra ipsum subiectum sunt [3].

---

[1]) I, q. XXXVII, a. 2 c.

[2]) Hoc pronuntiatum s. Bonaventura quoque egregie explicuit his verbis: « Notandum est quod est aliquod accidens, quod com- « paratur ad aliquid, sicut ad subiectum, et ad causam; aliquod, « quod solum comparatur ad aliquid, sicut ad subiectum, et ad « aliud, sicut ad causam. V. g., nigredo in corvo comparatur ad « ipsum corvum, sicut ad subiectum, et causam; lumen in aëre, « vel species in speculo comparatur solum sicut ad subiectum, « non sicut ad causam, quia, etsi illa recipiatur, aliunde tamen « habet ortum »; *In lib. II Sent.*, Dist. XXVI, a. 1, q. 3 *resol.*

[3]) « Sciendum est quod secundum diversam naturam generis « diversus est modus denominationis. Quaedam enim genera se- « cundum rationem suam significant ut inhaerens, sicut qualitas,

Secundo, sanctus Doctor illud quoque animadvertit, subiectum ab accidentibus absolutis, et a relativis, quorum ambo termini sunt reales, denominari per aliquid, quod ei inhaeret, quia accidentia absoluta *esse* suum, tanquam subiecto inhaerens, significant, et termini relationis realis, uti ostendimus, per aliquid, quod re ipsa in eis est, ad se invicem referuntur; a relativis vero, quorum unus terminus est realis, alter logicus, denominari non per aliquid, quod in ipso est, sed per terminum, ad quem refertur. Re vera, substantia a *quantitate*, quae est accidens absolutum, dicitur *quanta*, eo quod, ut modo diximus, essentia quantitatis in ea est, et homo a *paternitate*, quae est relatio realis stricte sumta dicitur *pater*, quia *esse patrem* ei inest; verum homo a *scientia* dicitur *sciens* propter obiectum scibile, a quo scientia hominis pendet [1].

Tertio, idem sanctus Doctor monuit accidentium categoricorum alia esse eiusmodi, ut subiectum ab eis per aliquid, quod extra ipsum est, denominetur; uti corpus a *loco*, et a *tempore*, esse *alicubi*, et *quandoque* dicitur, alia autem esse eiusmodi, ut subiectum ab eis denominetur per aliquid, quod in ipso est, puta, cum corpus ab *albedine*, quae in eo est, dicitur *album* [2]. Vnde ipse

---

« et quantitas, et huiusmodi, et in talibus non fit denominatio, « nisi per formam inhaerentem, quae est secundum aliquod esse « vel substantiale, vel accidentale. Quaedam autem significant se- « cundum rationem suam, ut ab alio ens, et non ut inhaerens, si- « cut praecipue patet in actione. . . Vnde in genere actionis deno- « minatur accidens per id, quod ab eo est et non per id, quod « principium eius est »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXII, q. I, a. 1 *sol.*

[1]) Dicendum, quod in omnibus absolutis denominatur aliquid « per id, quod sibi inest, sed in relativis quandoque denomina- « tur aliquid per id, quod in ipso est sicut pater paternitate, quae « realiter in ipso est. Quandoque autem denominatur eo quod so- « lum in altero est, sicut in illis, in quorum alio est relatio se- « cundum rem, et in alio secundum rationem tantum »; *In lib. I Sent.*, Dist. XL, q. I, a. 1 ad 2.

[2]) « Duplex est modus, quo aliquid denominative praedicatur: »denominatur enim aliquid ab eo, quod extra ipsum est, sicut

edixit, quod « accidentia quaedam denominant illud, « in quo sunt, sicut albedo. . . . Quaedam autem de- « nominant etiam illud, in quo non sunt, ut in sub- « iecto [1] ».

Quamvis hi diversi modi denominationis, quos secundum Aquinatem exposuimus, eiusmodi sint, ut alii cum aliis aliqua ratione confundantur; nihilominus illos singillatim explicare nobis visum est, ut praecipui respectus, ex quibus subiectum denominari potest, patescerent [2]. Illud his adiiciendum esse cum Alberto M. arbitramur, τὸ *aliquid*, a quo subiectum denominatur, alterius naturae, ac ipsum subiectum, esse oportere. Enimvero, certum est non posse denominari, nisi illud, quod iam in certo genere, aut specie constitutum intelligitur, quia denominatio essentiam rei consequitur. Atqui subiectum per propriam essentiam, sive naturam in certo genere, aut specie constituitur. Necesse igitur est, ut illud, ex quo subiectum denominatur, aliam, ac ipsum, essentiam habeat. Ita, homo, eo quod per humanitatem est homo, ab *humanitate* non denominatur *humanus*. Idem dictum putato de *proprio*. Hoc enim, etsi essentiam subiecti non ingrediatur, tamen ab ipsa necessario fluit; unde homo a *risibilitate*, quae eius proprium est, *risibilitatus* perperam diceretur [3]. S. Thomas huius rei hanc rationem attulit, quod nulla res potest ab eo denominari, quod *unum simpliciter* cum ea efficit: quapropter, cum res, et essentia eius unum simpliciter efficiant,

---

« a loco dicitur aliquid esse alicubi, et a tempore aliquando. Ali- « quid vero denominatur ab eo quod inest, sicut ab albedine al- « bus. A relatione vero non invenitur aliquid denominari quasi « exterius existente, sed inhaerente: non enim denominatur ali- « quis pater nisi a paternitate, quae ei inest »; *Cont. Gent.*, lib. II, c. 13, n. 2.

[1]) *In lib. II Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 5 ad 2.

[2]) Alios respectus, qui ad modo enumeratos facile revocantur, videre licet apud s. Bonaventuram, *In lib. II Sent.*, Dist. XXVII, a. 1, q. 2 *ad arg.*, et *In lib. III*, Dist. XXXVIII, a. unic., q. 5 *ad arg.*

[3]) *Op. cit.*, tract. I, c. 4.

aliquam rem ab essentia sua denominationem sumere repugnat [1]. Ex hoc perspicitur in qualibet serie accidentium categoricorum, uti B. Albertus quoque observavit, species a generibus, et differentiis appellationem sumere non posse, quippe quod essentia, quae notione generis aut differentiae continetur, in specie invenitur: quocirca accidens per propriam, non vero per essentiam alterius rei denominaretur. E. g. albedo non potest dici *colorata*, quia, cum sit species coloris, color in ea secundum specialem modum determinatus invenitur [2].

Praeterea, nomen *casus*, τῇ πτώσει, quod in definitione occurrit, non ita accipiendum est, ut a Grammaticis in declinatione nominum accipitur, sed, uti ab Aristotele accipi solet, pro qualibet inflexione, et transfiguratione vocis in fine [3]. « Et quod subditur, Albertus M. « scribit, solo casu differentiae, dicitur hic casus quae- « cumque inflexio nominis secundum finem nominis, « sive dictionis: sive fiat per derivationem, sive fiat per « declinationem, ut a iustitia derivatur iustus, vel ve- « rius dicendo a iustitia formatur iustus [4] ». Quae acceptio vocis ad hanc rem valde accommodata est; nam

---

[1]) « Ex albedine et subiecto non fit unum simpliciter; unde hoc « nomen *album* copulat suum subiectum quasi extrinsecum »; *In lib. III Sent.*, Dist. VII, q. I, a. 1 ad 5. Vid. s. Bonavent. *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIII, a. unic., q. 4 *resol.*

[2]) *Op. cit.*, ibid.

[3]) Πρώσις, *casus*, observante Waitzio (*Op. cit.* p.328, et 329), significat, secundum Stagiritam, omnia ea, quae sive a nomine, sive a verbo quomodolibet derivantur, et proprie σύστοιχα, *coniugata* dicuntur. Id cunctis antiquis commune fuisse Simplicius testis est, quippe qui ait: « Nam veteres appellabant casus non solum hos « quinque, qui in praesentia dicuntur, sed etiam modos, et infle- « xiones, quae adiiciuntur, etiamsi habeant qualescumque for- « mationes.... Verum hos casus appellabant, quia idem secundum « transformationem terminationis cum proprie casibus patieban- « tur »; *Op. cit.*, fol. 7 *verso*, col. 2. Hinc Blemmidas terminationem omnis dictionis *casum* vocari dixit: Πτῶσις καλεῖται πέρας τῆς λέξεως; *Epit. logic.*, c. 7, ed. cit.

[4]) *Op. cit.* tract. I, c. 4.

denominativa, licet in principio cum primo nomine conveniant, in fine tamen quasi ab eo decidunt, et inflexione sua variantur; uti a candore fit candidus, a musica musicus, a grammatica grammaticus.

Postremo, cum denominativa appellationem *ab aliquo* sumere dicuntur, caveto, ne id de originatione vocis, de qua grammatici tractant, dictum existimes; alioquin paronyma cum *paragogis*, hoc est denominativa cum *derivatis* confunderes. Quod ut plane intelligas, advertito aliter logicum, aliter grammaticum ab uno nomine plura efformare. Namque, uti Albertus M. scite observavit, grammaticus, quippe qui diversis modis, seu formis nominum studet [1], a concretis abstracta efformat, quia illa simpliciorem formam, quam haec, habent, sed logicus, cum non formas nominum, sed notiones, quae nominibus continentur, consideret, ex abstractis efformat concreta, quia nomen concretum essentiam, nomine abstracto significatam, in subiecto, cui tribuitur, determinatam denotat. Apposite s. Augustinus, logicam efformationem nominum considerans, inquit: « Pius homo plus « est, an pietas? Sed plus est pietas, pius enim, pietate, « non pietas a pio; potest esse pietas, etsi ille, qui pius « erat, factus est impius. Quid item pulcher, et pul- « critudo? Plus est pulcritudo, quam pulcher, pulcri- « tudo enim facit pulcrum, non pulcher pulcritudi- « nem! [2] » Sed audiendus est Albertus M., qui hanc doctrinam praeclare exposuit. « Quamvis, ait, secundum « grammaticam iustitia derivetur a iusto, tamen secun- « dum naturam denominationis, et denominati, a iu- « stitia formatur iustus. Grammaticus enim modos, et « formas attendit, et quia in declinatione sic declinatur « iustus, addito *tia*, fit iustitia: ideo dicit iustitiam forma- « ri, vel derivari a iusto: hoc enim modo iustum a iu-

---

[1]) « Grammaticus, s. Thomas scribit, modos significandi per « nomen considerat »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIV, q. 1, a. 2 ad 1.

[2]) *In Ioann. Evang. c. III*, tract. 39, n. 7.

« stitia formari non potest. Natura autem denominans e « contrario est : quia denominans est naturam alienam « informans : et ideo nomen illius naturae praeintelli- « gere oportet , ut fine aliter in dictione inflexo deno- « minatio fiat, sicut iustum dicitur cadens per inflexio- « nem finis a iustitia, et album ab albedine, et sic est « ab omnibus aliis [1] ». Hinc nomina, quae ab uno principali efformantur , aliter a grammaticis , aliter a loigcis nuncupata sunt. Grammatici enim illud nomen , a quo aliud efformatur , πρωτοτύπον, *primitivum* , et illud, quod a primitivo efformatur, παράγωγον, *derivativum* vocarunt [2]; logici vero nomina , quae ab alio essentiam alicuius accidentis significante efformantur, subiectisque, in quibus illa essentia invenitur, tribuuntur, παρωνύμα, *denominativa*, nuncuparunt [3].

Quae cum ita sint , Albertus M. post Simplicium [4] , Boëtium [5], aliosque antiquos scite docuit , tria ad legitimam denominativorum constitutionem requiri. Quorum primum est, ut in re , hoc est in principe significatione conveniant, puta *albedo*, et *album*, quae eamdem qualitatem denotant [6]; secundum, ut nomina, quibus designantur , in principio sint similia ; tertium, ut eadem nomina sint dissimilia in fine [7]. Alii vero quartum requirunt, nempe, ut significatione quodammodo differant,

---

[1]) *Op. cit.*, ibid.

[2]) Illas duas species nominis Apollonius Dyscolus veterum grammaticorum praestantissimus, diligenter explicuit; *Syntax.*, lib. II, c. 8, et 31, et lib. III, c. 5, ed. Imm. Bekker, Berolini 1817.

[3]) Graeci voce paronymorum cum res, quae alicuius formae participes sunt, tum voces, quibus res, prout illius formae participes sunt, designarunt; sed Scholastici, ut omnem ambiguitatem tollerent, res denominativa *denominata*, et voces denominativas *denominantia* dixerunt.

[4]) *Op. cit.*, fol. 7 *verso*, col. 2. — [5]) *Op. cit.*, p, 118.

[6]) Id s. Bonaventura docuit his verbis: « Est eadem significatio « in concreto, et in abstracto in principali significato »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXI, part. 1, a. unic., q. 2 *resol.*

[7]) *Op. cit.*, ibid.

eaque ratione permoventur, quod principale, et denominatum non differant solum terminatione nominis, sed etiam modo, quo *forma*, sive essentia, ob diversam terminationem nominis, in ipsis significatur. Et sane eadem essentia in principali significatur secundum se, et in denominativo, prout est in subiecto [1]. Hi s. Ioannem Damascenum secuti fuisse videntur; hic enim denominativa nomine, et definitione, nempe *essentia*, quae, ut saepe dictum est, definitione continetur, partim convenire, partim dissidere asseruit. Lubet verbis, quibus id explicuit, hanc tractationem claudere, cum ipsa totam denominativorum doctrinam breviter et luculenter complectantur. « Sunt, inquit, nonnulla, quae inter univoca, et aequivoca medium locum tenent; atque et nomine et definitione partim conveniunt, partim dissident: quae quidem denominativa dicuntur; ut a Grammatica grammaticus. Nomine quippe conveniunt: verum nominis terminatione, hoc est, extrema syllaba differunt. Ac rursum definitione conveniunt, ac discrepant, quoniam grammatica scientia est: grammaticus autem, substantia, in qua est scientia [2] ». Nec omittere verba volumus, quibus denominativa ab analogis discriminari docuit. « Illud item nosse oportet, quod denominativa ea, a quibus denominata sunt, complectantur, ut Grammaticus grammaticam, iustus iustitiam. Quae autem ab uno dicuntur, nequaquam. Neque enim medicum instrumentum medicinam continet [3] ».

LOGICAE
VOLVMINIS PRIMI

FINIS

[1]) Videsis prae ceteris Toletum, *Op. cit.*, *Categ.* c. 1, fol. 42 *verso*, col. 2, ed. cit.
[2]) *Op. cit.*, ibid. — [3]) *Ibid.*

Nihil obstat
ANTONIVS CAN. D'AMELIO
Censor Theologus

Imprimatur
JOSEPH CAN. MOLINARI
Deputat.

469
100
S1
Sanseverino
469 AUTHOR
Philosophia Christiana